


R

# COMMENTARII IN EPISTOLAM PAVLI

Apostoli ad Titum, in quibus agitur copiose de uniuersa doctrina Christiana, & de corrigendis abusibus, qui in Ecclesiam, conniuentibus episcopis & doctoribus, irrepserunt.

AVTORE Christophoro Hofman.

*Elenchus locorum communium theologicorum, qui in hisce commentarijs explicantur.*






FRANCOFVRTI EX
Officina Petri Brubacchij
Mense Martio.
ANNO M. D. XLI.



SCripti sunt autem isti commentarii ad usum & commoditatem fidelium Iesu Christi, præcipue tamẽ illorum, quorũ est, fidei uerbo alios erudire, consolari & confirmare, hoc est, pro illis Ecclesiæ pastoribus, qui aut sunt nouicii doctores Euangelii, aut quibus non usquequaque & perfecte cognita est religionis & pietatis Christianæ doctrina. Simul in confusionem aduersariorum, à quibus doctrina gratiæ & ueritatis blasphematur.

# ELENCHVS
## LOCORVM COMMVNIVM

*theologicorum, qui in his commentarijs sunt expositi & explicati.*

FINIS INDICIS.



# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOmino, D. Augusto, duci Saxoniæ, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Mysnæ &c. Christophorus Hofman, pastor Ecclesiæ Ienensis S. D.



SAEPE *nos hortantur cœlestia mandata, ut pro principibus & gubernatoribus populorum uota faciamus.* Id *præceptum pluris facerent homines, si principum pericula intelligerent, cogitarentque his præcipue crudelissimum illum hostem generis humani,* Diabolum, *insidiari.* Ego *quidem intuens in uitam moresq; hominum, ac omnium temporum historiam animo repetens, perhorresco interdum toto corpore, considerans in tanto numero paucissimos fuisse bonos & salutares principes, quosdam etiam magna & heroica ui ingenij præditos, tamen postea non tantum suam,*

sed prorsus hominum naturam exuisse? Vt enim omittam cætera regna, seriem uide Romanorum principum. Qualia portenta successerunt Augusto? Tiberius, Caligula, Claudius, Nero: Deinde, etsi sunt interiecti pauci quidam mediocres, ut Vespasianus, Traianus, Marcus. In cæteris, qualis furor fuit, qui se flagiciosißimis libidinibus contaminârunt, ac in ciues infinitam crudelitatem exercuerunt? Quàm longus esset catalogus, si recensere omnes uelim? itaque unum tantum adijciam, Alexandrum Macedonem, ut consideremus, ne quidem præstantes naturas in illo rerum fastigio diu sibi constare. Nihil enim pulchrius atq; admirabilius fuit in uniuerso Alexandri regno, quàm ipsius regis ingenium? Quantum consilio pollebat in suscipiendis rebus maximis, cum penè adolescens sæpe reprehenderet ueterum ac peritißimorum ducum sententias? Quanta fuit in acie fortitudo? Idem ante captam Babylonem moderatione animi tanta præditus fuit, nihil ut superbe, nihil crudeliter fecerit, ac gentibus omnibus propter iusticiam, modestiam & clementiam charißimus esset. Ad hoc decus addebat adhuc temperantiam & continentiã. Erga suos etiam comitate & suauitate sermonis tanta fuit, ut Plutarchus dicat eum hac dote omnibus regibus, qui unquam extiterunt, antecelluisse. Ac talis

quidem

quidem fuit non multo amplius sexennio. Postea hac ingenij & uirtutis præstantia, &, ut ita dicam, diuinitate in ocio abiecta, quàm tetra et immanis belua fuit, cũ furens inter pocula, interficeret amicos? cum optime meritos duces iniuste necaret? cum perpetuo temulentus, & turpißimarum libidinum flammis ardens, ac nihil agens dignum homine, tamen postularet sibi diuinos honores tribui. Et quidẽ hac morum turpitudine cito sibi exitium accersiuit. Cumq; in armis fuisset inuictus, obscœnis uoluptatibus fractus, & subito extinctus est, ut multo antè significauerat Daniel, cum pinxit eum specie pardalis, quæ se armatis uenatoribus audacißime offert, & in tela ruit, eaq; motuum celeritate eludit. Itaque non capitur, ut ursi aut aliæ feræ, certamine aliquo, sed singulari arte. Aiunt auidißimas esse uini pardalides, ideoq; fingunt Bacchi nutrices mutatas esse in eas bestias. Spargit itaque uenator aliquantulum uini in uiam antro pardalis uicinam, deinde in locum opportunum collocat uasa plena uini. Excitatæ igitur uini odore bestiæ, prodeunt ex specu, & uinum quærunt, eoq; se iniurgitãt, deinde, q̃a salacitas incenditur uino, accedit uenus. Postea defatigatæ, opprimũtur somno. Ibi sopitas uenator adoritur, eisq; uincula inijcit. Quæ potuit imago pingi, magis exprimẽs naturas & mo

res Macedonicorum regum, qui fuerunt præcipui, Philippi, Alexandri ac Demetrij? Cum igitur Diabolus maxime insidietur gubernatoribus, econtrà, nos qui Ecclesias docemus, præcipue de principum periculis cogitare decet, eosq; deo aßiduis precibus commēdare. Hæc caußa est, cur aliquid mearum lucubrationū tibi, Princeps illustrißime, dedicare uoluerim, non solum, ut meam obseruantiam erga pios principes ostendam, quos ex animo ueneror, sed etiam ut lectores huius scripti admoneam, ut cogitantes hæc tanta pericula gubernatorum, suas preces ad mea et totius Ecclesiæ uota adiungant, ac petant, ut filius Dei Emanuel regat mētes principum, ac dißipet opera diaboli horribiliter grassantis in imperijs. Nō dubito pios angelos socios esse nostrarum precū. Sed in cœtu hoīm longe pauciores sunt, quàm oportuit, qui huius tantæ rei cura afficiuntur. Vtinam non solum uniuersa hominum multitudo, sed etiam pecudes & plantæ omnes clamore suo pias preces pro principibus adiuuare possent, qui nisi diuinitus tegantur & gubernentur, nequaquam possunt undique incursantes Diabolos depellere. Et tamen opus est hominum societati aliquibus bonis principibus. Te igitur, Auguste princeps, adhortor, ut quum pater te ad pietatem & uirtutem institui curet, tibiq; uirum doctißimum

mum addiderit, Ioannem Riuium, ut literas & doctrinam pietatis tibi tradat, annitaris & ipse, ut uoluntati parentum, & magistri præceptis tua diligentia respondeat. Et quoniam audio te non abhorrere à lectione piorum scriptorum, edidi commentarium auspicio tui nominis, ut ad legenda scripta huius generis te inuitarem, ac opto, ut meum officium & tibi gratum sit, & Ecclesiæ utile.

Bene uale.

IENAE ad Salam, die
diui Augustini.
Anno 1540.

## ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΠΑΥΛΟΥ τοῦ ἀποστόλου.

Ἐπὶ Νέρωνος τοῦ καίσαρος ῥωμαίων ἐμαρτύρησεν αὐτόθι παῦλος ὁ ἀπόστολος ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς ἐν τῷ τριακοστῷ ἕκτῳ ἔτει τοῦ σωτηρίου πάθους, τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνισάμενος ἐν ῥώμῃ πέμπτῃ ἡμέρᾳ πανέμου μηνὸς, ἣ τις λέγοιτ' ἂν παρὰ ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν ἰουλίων, καθ' ἣν ἐτελειώθη ὁ ἅγιος ἀπόστολος τῷ κατ' αὐτὸν μαρτυρίῳ ἑξηκοστῷ ἐννάτῳ ἔτει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ παρουσίας.

# IN EAM

QVAE EST AD TITVM à Paulo scripta, præfatio & argumentum.



Aulus in ea epistola, quæ est ipsius ad Titum, scribit de electionē & forma Episcoporum, tradens, quales ordinari debeant, quid docere & prædicare, qui ecclesias dei instituere, formare ac regere debent. Quam uitæ integritatem, & iusticiæ morum innocentiam, ipsi ante omnes alios præstare: quoniam sunt forma gregis, ut Petri uerbo utar. Et ab omnibus alijs obseruātur, quantum pietati, quæ est in Deum, deferant: & quantum fidei in Christum. Si enim indigne ambulent sua uocatione & suo ministerio, nemo quisquam magis noxius esse potest in ecclesia. Scribit autem idem Apostolus in priore ad Timotheum his similia: tractans hoc idem argumentum. Et Cap. 3. etiam formas eorum tradit, quos adpellant Diaconos: qui sunt Episcoporum ministri.

Neq; uero Episcopi, illi de quibus Paulus loqui-

tur, & quorum est uel esse potest usus in ecclesia Dei, sunt alij, præterquam quos nunc aut parochos, græca adpellatione, uocamus, hoc est, præbitores, quòd tradant, opinor, & exhibeant, ceu œconomi & dispensatores, ecclesijs demensum cibum, ut Dominus in euangelio inquit, hoc est, mysteria sibi credita, tradenda & reuelanda ecclesijs, iuxta illud Pauli, 1 Cor. 4: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispēsatores mysteriorum Dei. Aut quos pastores dicimus, quòd curam dominici gregis agant, id est, Ecclesiæ Christianæ. Nam pascere illam fidei uerbo debent. 1. Pet. 5. Act. 20. Ac habent eas omnes adpellationes ex officio, quæ nec tribuunt Episcopis aliam potestatem, quàm est doctrinæ & consolationis scripturarum. Et ipse Dominus quoq;, pastoris adpellationem sibi sumit, ex officio docendi, cum inquit, Ego sum pastor bonus. Quanquam ipse est aliter quoq; suæ ecclesiæ pastor, quàm alij eius ministri, utique non solum ut doctor siue prædicator uerbi Dei, uerum etiam, ut hæres ac Dominus, utq; sponsus & seruator Ecclesiæ. Deniq; ut precium & pignus, pro peccato & æterna morte, adeoq;, dux, autor, & caussa unica iusticiæ & æternæ uitæ. Imò, ipsißima iusticia, uita & certa atque indubia salus, omnium qui in ipsum credunt.

Sed Episcoporum quos dico, & de quibus in hoc

cripto nobis sermo est, siue pastorum ecclesiæ Christi, aut quomodocunque aliter illos adpellare uoles, non est nisi pascere ecclesias, uerbi fidei doctrina, & pœnitentiæ prædicatione. Habent enim officij nomina ac Titulos, ut dixi, & quidem ad hoc unum, ut gubernent Ecclesias uerbo Dei, & sacramentis fidei consolentur, non dignitatis aut prælaturæ adpellationes, seu dominatricis potestatis, in morem secularium principum, ut tyrannizent in plebe. Nec alios agnoscit aut recipit, pro Episcopis & pastoribus, quæ uere est ecclesia CHRISTI, iuxta illud Christi Ioan. decimo: Oues meæ uocem meam audiunt. Nam qui alios audiunt, & audientes recipiunt, eos impoßibile est ecclesiam DEI, & CHRISTI Iesu esse. Quia secundum Euangelium, à Christo traditum, neq; uiuunt, neq; possunt uiuere, ut quod neque audiunt neq; discunt usquam. Quare necessario sunt ignari, tam fidei in Deum, quàm ueræ & Christianæ pœnitentiæ præstandæ. Ideo nec sunt dißimiles Turcis & Iudæis, qui cura & fidelitate Episcoporum CHRISTI penitus destituuntur. Esto utantur communibus Ecclesiæ sacramentis, tamen quia hæc sine fidei doctrina eis traduntur, oportet illorum usum eos ignorare, ut prodesse ipsis nõ poßint, nisi admonitis tandem per

fidei doctrinam, & correctis, conuersis ac retractis in uiam: qua ipsi Domino Christo Iesu adhaereant, eumq; ut ducem & seruatorem suũ, siue, ut Petrus inquit, pastorem & Episcopum animarum nostrarum, sequantur.

Quapropter, & si qui sunt ex electis Dei, ac uere ecclesiae Christi membra, illi tandem conuertuntur necessario: ac conuertunt ipsi sese & auertunt, ab istis impostoribus, furibus scilicet & latronibus in ecclesia, qui fidẽ non docent: aut pure nõ tradunt: Siue, qui poenitentiae Christianae doctrinam negligunt, seu alienam docent: Hoc est, quasdam operum hypocrises, secundum doctrinas mandatorum hominum, aut fiduciam mandatorum legis, quae faciant. Sicut fit hoc tẽpore in ijs ecclesijs, in quibus inualuerunt hominum doctrinae, & tyrannis Pontificis Romani. Istos igitur fugiunt, qui uere sunt Christi: sicut iterum Dominus ait, Ioan. 10. Alienum, (qui non est pastor.) non sequuntur, sed effugiunt ab eo. Quia non nouerunt uocem alienorum.

Porro Diaconi illi, de quibus Paulus in priore ad Timotheum scribit, & quorum opera, diligentia & labore quoque opus habet Ecclesia, sunt qui subseruiũt Episcopis in administratione, quam praestant, aut praedicatione eiusdem uerbi, aut dispensatione Sacramentorum, siue deniq; eleemosynarum eccle-

siæ in pauperes erogatione. Nec plures habet ecclesia ministros, nec indiget alijs. Nam presbyteri, quod suo loco, testimonio ipsius met Pauli, clarum faciemus, sunt ijdem qui & Episcopi. Vulgus autem sacerdotum istud & Monachorum, quod nunc in templis uenales habet precationes & Missas, tam est alienum ab ecclesia Christi genus, quàm quod maxime, pernitiosi ecclesiæ, ne dum necessarij esse, aut pertinere ad eam, posint. Sed usu scholarum indiget ecclesia, ut in quibus futuri ecclesiæ pastores, & ministri doceantur, de fidei mysterijs, quæ alijs tradant. Prorsus enim nullæ ecclesiæ, sine scholarum opera, possent conseruari.

Cæterum, cum doctrinæ Christianæ genus principaliter sit duplex, alterum, quo docemur, de gratia Dei, iustificante & saluante nos, per Christum Iesum, & rursus alterum, de iusticia morum & bonorum operum, quam iustificati & salui facti præstemus, Paulus tamen in hac ad Titum epistola, non multa tradit, de gratia, quam dixi, erga nos DEI, ac longe plura, de operibus nostræ obedientiæ, scribit. Ac de gratia quidem non scribit seria disputatione, ut facit in epistola ad Romanos, & in alia ad Galatas, quamquam fidelibus in Christo clarum facit, & in hac ad Titum epistola, quòd nulla alia re iustificemur coram DEO, aut salui efficiamur,

à peccato & morte, quàm per iustificatoris IESV Christi gratiam & beneficentiam. Primum, Cap. 1. in epigrapha, deinde Cap. 2. & 3. Per occasionem, uidelicet, in hortatorijs argumentis. Sed neque opus habuit in hac epistola, de gratia disputare, ut in qua Episcopo scribit, suo met, Pauli inquam, testimonio, docto, pio, & fideli. Quem propterea oportuit gratiæ doctrinam callere, ac penitus nosse, ut doctrina & institutione peculiari, ea de re nihil opus haberet.

De instituendis autem & formandis in ecclesia doctoribus, adeoque de doctrina morum & operum bonorum, quam tradant doctores, & ecclesijs commendent, uoluit copiose agere, tum ut Titus ea uteretur, in gubernanda Creta, & constituendis Episcopis in ea insula. Tum etiam, ut alij recte ordinati Episcopi, & bene institutæ ecclesiæ eam semper retinerent, atque adeo, ut hac institutionis & doctrinæ forma, quam tradidisset Apostolus Iesu CHRISTI, sese contra impios doctores, & fanaticos spiritus defenderent. Multi enim illis Pauli temporibus currebant impostores, & pharisaici spiritus, qui ecclesias suis impijs opinionibus de necessitate quorundam operum ac rituum dementabant, quanquam nihil necessariorum. Imò etiam inutilium per se, & quibus Ecclesia Christi grauari

nullo

nullo modo debuerunt. Vnde etiam utile fuit, monstrare, quomodo oporteret talibus os audaciæ & blasphemiarum obturare, & quorum operum obediẽtia crederetur necessaria esse.

Nam postquam nouatio religionis inciderat & lex Mosaica erat abrogata, (quam tamen multi, conuersi ex Iudaismo ad Christum, ualde urgebant, & eius totam obseruationem, cum ipsis quoq; ceremonijs, obseruationibus ciborum, dierum, & circumcisione, & tanquam necessariam ad iustificationem requirebant), utile fuit, quin etiam necessarium docere, quid apud Christianos necessarium sit obseruare, quid minus, siue quod liberam obseruationem habet. Proinde, satis liquet, ex scripto Pauli, quòd Christiani nullius operis debitores sumus, quod sub Decalogi mandatis non contineatur: & quòd nulla prorsus re iustificemur, aut salui efficiamur, præter quàm fide, in filium Dei, Iesum Christum, Dominum & seruatorem nostrum. Itaq; alia operum præcepta habent liberam obseruationem, & illa Decalogi, quanquam necessaria, non tamen fieri debent opinione promerendæ iustificationis, sed studio glorificandi Dei, & ornandæ doctrinæ Euangelij IESV Christi. De qua tota ratione, suis in locis copiose satis dicemus:

Vt ergo Capite primo, de forma Episco-

porum scribit, quod ad mores & priuatam iusticiam eorum attinet, & admonens præterea episcopum decere tenacem esse, fidelis sermonis, qui secundum doctrinam est, ut potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Ita in Cap. secundo, formas tradit, de communibus moribus, & iusticia bonorum operum, quam præstet tota reliqua ecclesia, aut singuli, pro suo officio, & suæ personæ dignitate. Ac iubet, ut de his moribus doceant ecclesiam episcopi, ut per salutaria hortamēta episcoporū, iusticia bonorum operum, Deo & sua uocatione digna, omnes glorificent gratiam, & doctrinam Domini ac seruatoris nostri Iesu Christi ornent.

Capite tertio, præterquam quòd præcipit de obedientia erga ciuiles magistratus, pristini quoq; mali nos commonet, hoc est, peccati, in quo natura omnes homines sumus. Stulti, errantes, & serui plurimarum noxiarum cupiditatum, nunquam aliter iusti, aut salui, quàm beneficio gratiæ Dei, & redemptionis nostræ, quæ est à Christo. Quapropter etiam uetat eo loco, ne de quoquā male loquamur, aut cōuiciū ulli dicamus, Neq; litigemus, sed simus cōmodi et mansueti in oēs. Vtiq; memores huius ueteris cōditionis, qua fuimus natura filij iræ & æternæ dānationis, adeoq; beneficiorū gratiæ, præstitorum nobis in Christo Iesu. Et cogitemus atq; conemur Deo nostro obtemperare

obtemperare, qui salutem nostram sanguine unigeniti filij sui redemit. Ac ne simus ingrati redemptori Christo, qui aliud à nobis nõ requirit, quàm ut redempti à peccato deinceps uitemus ac fugiamus peccare, & obedientiæ mandatorum Dei studeamus.

Sed hæc in præfatione & argumento epistolæ sufficiant. Nam etiam, si reliqua sunt quædam, de quibus nihil dum diximus, commodius de eis loquemur in epistolæ enarratione.

## Enarratio primi capitis.

PAVLVS SERVVS DEI, APOSTOLVS AVTEM IESV CHRISTI.

HAc subscriptione utitur Paulus, primum ex necessitate, ut uidelicet doceat, quòd à se apostolo Iesu Christi, hoc ipsum scriptum proficiscatur. Nam si nomẽ suum celaret, doctrinam Christianam fraudaret gloria Christi, & sua autoritate. Deinde addendum fuit nomen, & propter hanc admonitiõem, ut meminerint Ecclesiæ, ne quorumlibet scripta recipiant doctrinæ salutaris noĩe. Si. n. nõ constet probatæ & certissimæ fidei esse dogmata q̃ uocãt ecclesiastica, qualia non habemus Christiani, nisi tradita à prophetis, Christo & apostolis, non debẽt audiri, admitti, aut recipi. Itaq; & à Christo, in confirmationem nostræ fidei, & dogmatum recipiẽdorum,

de solis apostolis & euãgelistis dictum est: Qui uos audit, me audit. Nam hoc dictum de nullis alijs intelligi potest, nisi quatenus doctrinam remissionis peccati & poenitentiæ acceptam ab apostolis & euãgelistis retinẽt, & urgẽt atq; sequũtur in prædicatiõe.

Deinde spectat alias commoditates Paulus, quòd inscriptionibus ferè prolixioribus utitur. Familiare enim est Paulo in epistolis suis, lõgo tractu, de sua uocatione, & uocationis officio, concionari, eumq; totum epigraphæ post subscriptionem & ante inscriptionem inserere. Sicut & ex alijs epistolis liquet. Sed prius de seruitutis & apostolatus adpellationibus, ut eis hic utitur Paulus, aliqua scribamus, postea & de reliquis, adiuuante nos Christo Iesu, dicturi.

Quòd igitur Paulus se dicit seruum Dei, & apostolum Iesu Christi, præterquam quòd narrat quæ faciunt ad gloriam uerbi Dei & Euangelij Iesu Christi à se prædicati, & pseudoapostolis se cũ doctrina sua opponit. Nam istorũ paßim multi currebant, non studio gloriæ Dei, sed auaritiæ & ambitionis: neq; salutis Ecclesiarũ, sed odio Euangelij & Christi. Quare nec serui Dei, nec apostoli Iesu Christi erant, quicquid fingerẽt: ut nec sunt, qui hoc tempore in papatu aliud docent, quàm uerbum Dei & Euangelium Iesu Christi. Nam utrorumq; hoc uitium & fuit & est, quòd doctrinis de merito & dignitate operũ nostro

rum

rum, & obscurabant & obscurãt gloriam Iesu Christi. Et ueteres quidem infensißimis odijs persequebantur Paulum, tanquã legis calumniatorem & hostem, cum non intelligerent recte, neq; legis neq; Euangelij doctrinã. Quemadmodũ & papistæ p ignorantiam legis & Euangelij oĩa contra gloriam Iesu Christi moliuntur. Et de utrisque in genere dicit Paulus 1. Timoth. 1. Finis aũt præcepti est charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A qbus quidam aberrantes, conuersi sunt in uaniloquium, uolentes esse legis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.

Istis ergo uanis & impijs hoĩbus, hostibus gratiæ Dei, etiã opponit sese Paulus, & iactat Dei seruũ & apostolum Iesu Christi, necessaria & sanctißima gloriatione. Non ita seruũ, ut qui adoratione cordis & spũs Deum religiose colunt, eoq; serui Dei dici possunt, sed peculiaris officij adpellatione. Vt qui significat, q credita sibi & delegata à deo perferat ad alios ac ministret Ecclesiis in dispensatione Euangelij Iesu Christi. Est. n. officij aplici nomẽ ac titulus hoc loco, ac testatur Paulũ ministrũ Ecclesiæ agere, ueréq; euangelistã. Sic aũt & 2. Tim. 2. utitur serui adpellatione, ubi scribit, Seruũ aũt Domini nõ oportet litigare, sed placidũ esse ad oẽs, aptũ ad docẽdũ, patiẽtem cũ mãsuetudine, corripiẽtẽ aduersarios. Quin etiam

Paulus ipse exposuit serui uocabulũ, per hoc q̃, con-
tinuo adiecit: Apostolus Iesu Christi, quasi dicat. Ita
ago seruum Dei, ut ministerio meo illustrem & uul-
gem apud omnes prædicationem Euangelij de gloria
seruatoris nostri Iesu Christi. Quæ ipsum quoq; De-
um patrem glorificat ac monstrat, quo præcipuo cul
tu uelit honorari ab omnibus nobis. Nimirum fide
unigeniti filij sui Iesu Christi nostri redemptoris.

Ita ergo opponit se iusticiarum rationis doctori-
bus, & refellit eorũ impias opiniones, q contẽdunt, q̃,
per iusticias legis saluemur. Sunt enim plus, quàm di
ci aut credi potest, perniciosi impostores & blasphe
mi, minimumq; ferendi, quia ueritatem Euangelij op
primunt: & p hoc Deũ suæ gratiæ gloria, Christũ re
demptoris, Ecclesias iusticia & salute æternæ uitæ,
fraudant ac spoliant. Paulus ergo ita se dicit seruum,
nõ ut seruiunt, q obsequijs fidei & pœnitẽtiæ Deum
colunt, sed ut qui ministrãt in Ecclesia prædicatione
& doctrina, annunciantes remißionem peccati per
Christum & pœnitentiam prædicantes. Adeoq;, ut
qui sacramenta alijs ministrant, quanquam in eo obse
quio ipse quoq; præstet & exhibeat quẽdam cultum
Deo: sed in peculiari & priuata uocatione, hoc est,
apostolica & ecclesiæ doctoris. Non ut uocatus per
gratiam ad salutem, quæ contingit omnibus eadẽ per
Christũ, quotquot credunt in eũ. Porrò de isto Euãge

listæ seu doctoris euãgelici cultu, ita scribit Rom. 1. Testis .n. mihi est Deus, quẽ colo spiritu meo, in euangelio filij ipsius &c. Et cap. 16. Audacius tamen scripsi uobis fratres ea parte, ueluti cõmonefaciens uos propter gratiam, q̃ data est mihi à deo, in hoc ut sim minister Iesu Christi in Gentes, sanctificans Euangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in spiritu.

Cæterum Apostoli nomen, factum est à mittendo. Et admonet ea appellatio, neminem fœliciter docere in Ecclesia, nisi qui uocatus & missus sit, atq; ad docendũ ablegatus, uel immediate à Deo patre & Christo Iesu, uel mediate per Ecclesiam, episcopos, principes & magistratus ciuiles, siue quoscũq; alios, qui pietate præditi & autoritate pollẽt in Ecclesia. Porrò apostolum esse Iesu Christi, est esse nũcium, præconem ac testẽ beneficiorum gratiæ, quæ nobis contigerunt per Christum, hoc est, donatæ gratuitæ remißionis peccati, iusticiæ, & æternæ uitæ, per misericordiam Dei propter Christum. Nec aliud uolunt hæc Christi uerba de officio apostolico, Act. 1. Et eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad extremum terræ. Proinde officij apostolici est, docere Euangelium de Christo. Euangelium autem est annũciatio de incarnato filio Dei, & traditione eius pro redimendis nobis à peccato & morte per

gratiam illam ineffabilē Dei, qua ille misericorditer omnibus ignoscit, ac recipit omnes in gratiā & gloriam filiorū Dei, quatenus in redemptorē Christum credunt. Quo testimonio detrahitur iusticijs nostris illa omnis gloria, & Christo tribuitur seruatoris titulus, nomen & honor, quem quicunq; auferunt ab eo, non possunt saluari. Et hæc quidem admonent nos de fidei neceßitate. Quia beneficia Euangelij accipi aliter aut poßideri, quàm per fidem, non possunt, ut de illa neceßitate mox plura scribemus.

De fidei neceßitate, & certitudine electionis, apud eos qui Euangelio credunt.

IVXTA FIDEM, ELECTORVM DEI, ET AGNITIONEM VERITATIS, QVAE EST SECVNDVM PIETATEM, IN SPE AETERNAE VITAE.

Id est, Ad hoc apostolus Iesu Christi, ut annunciem electis promißionem gratiæ & misericordiæ Dei, quam fide recipiant, adprehendant, & æternaliter poßideant. Siue, ut doceam ea quæ sunt fidei iustificantis per Christum, quæ solis, qui electi sunt à Deo, in spem gloriæ æternæ uitæ, contingit.

Sic ergo est seruus Dei Paulus, & apostolus Iesu Christi, ut doceat euangelion, de remißione peccati, iusticia & æterna uita per Christum, quæ tanta gratiæ beneficia nemo habere potest, quàm per fidem in

Chri

Christum. Magna igitur necessitas fidei est, ut sine qua nemo potest saluari, & per quam solam adprehenditur salus, iuxta illud Abac. 2. Iustus fide sua uicturus est. Sed & soli, qui electi sunt, credunt uere & perseuerāter Euangelio, id quod cōsolantissimum est audire & cognoscere, his qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum, uereq́; credunt in eum, ut suum seruatorē. Nec illi aliter solliciti sunt de prædestinatione sui coram Deo ad æternam uitam, nisi ut per Euangelium in Christum Iesum credant, nempe cuius fiducia sunt certi, se esse in gratia, esse filios Dei, & hæredes æternæ uitæ. Sic enim scriptum est Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et Ioan. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Apostoli itaque promiscue quidem docent bonos & malos, & Euangelij annunciationem spargunt in omnes, sed non omnes credunt Euangelio. Quin etiam eius doctrinæ & prædicationi plurimi contradicunt, sed in sui grauissimam condemnationem. Nam Euangelio & prædicationi apostolorum cōtradicere quid est, quàm testimonio spū sancti refragari, & se reum efficere irremissibilis peccati, nisi corrigatur et uitetur? In summa soli electi credūt Euāgelio, & hi

ſoli adprehendunt æternam uitam. Nec per aliud, quàm per promißionum fidem. Ioan. 8. Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit. Et cap. 3. Qui credit in filium Dei, habet æternam uitam. Quotquot igitur credunt in redemptorem Chriſtum Ieſum, ſunt iuſti, beati & ſalui coram Deo, nec per ullam rem aliam, quàm per ſolam in Ieſum Chriſtum fidem. Lege Rom. 3.

Proinde, ut dixi, hæc recte & prudenter intellecta adferunt magnam conſolationem omnibus qui Euangelium audiunt, diſcunt, & fidem ei habent. Significant enim eſſe quoſdam electos Dei, qui non poſſunt non ſaluari, ſicut docetur Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Porrò, & adferri illis ipſis electis Dei neceſſario gratiæ promißiões, quibus, ut medijs quibuſdam, trahantur & perueniant ad ſalutem, utiq;, ſi credant in eas. Deniq; & credere electos ſaluandos his gratiæ promißionibus, quia ſalus aliter adprehendi non poteſt, niſi per promißionum gratiæ fidem. Quibus etiam qui non credunt, illæ ſunt magis noxiæ, quia promißiones gratiæ cõtemni impune à nemine poſſunt.

Credunt itaq; electi Euangelio, & credendo efficiuntur filij Dei. Quia, ut Dei gratia & ueritas reuelatur per promißiones, ita credentes iuſtificat efficaciter, beatos efficit & ſaluat ab æterna morte. Hinc liquet

liquet, q̄ electi non solum uocãtur ut credant, uerum etiã credere eos Euangelio. In quo, hoc est, quia credunt promißionibus gratiæ, habent testimonium & pignus intra se suæ adoptionis coram Deo, & præfinitæ sibi & ordinatæ à Deo æternæ uitæ. Ephesi. 1. Credentes signati estis spiritu promißionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ ad redemptionem acquisitionis, ad laudem gloriæ ipsius.

Vt sunt ergo quos elegit Deus à condito orbe, ut gloriam immortalitatis hæreditate poßideant, sicut dicitur Ephe. 1. Elegit nos per ipsum (Christum) ante mũdi constitutionem &c. Ita existimemus & sciamus, non alios esse præterquàm eos, qui promißionibus gratiæ reuelatis per salutis Euangelion, de Christo redemptore credunt. Et Paulus quidem clare significat se in hoc seruire Deo patri & Christo Iesu, per promißionum Euangelij annunciationem, ut electi credentes salui fiant. Quapropter magna gratia habenda est Deo, pro hac salutis donatione per Christum, tum eiusdem annunciatiõe per apostolos & reliquos Euangelij ministros. Et ipsis quoq; doctores gratiæ debentur.

Sed impius mundus miris modis ingratus est Deo & redemptori Christo, atque adeo doctores Euangelij hostilißime persequitur. In quo est manifesta significatio condemnationis eius. Sicut Paulus scribit

Philippen. primo. Aliter itaque solent, quos Deus de hoc impio mundo, ut uitam æternam poßideant, sibi delegit. Isti enim amanter amplectuntur Euangelium, & credunt in filium Dei Christum Iesum. Accedit præterea in eis confeßio huius gratiæ & gloriæ Dei, cum gratiarum actione pro beneficijs redemptionis, quæ sunt à Christo Iesu. Prorsus enim sciunt se placere Deo, propter Christum, habere peccati remißionem & æternam uitam. Sciunt autem per promißionum Euangelij fidem. Nam error est, si credas te Deo placere propter opera tua, tum mereri per illa peccati remißionem & æternam uitam. Grauior tamen impietas est, si admonitus de errore, blasphemam & impiam opinionem non corrigis, & cor tuum obduras ad gratiæ uerbum. Denique, si quomodocunque aliter quæras saluari, quàm per solam gratiæ fidem. Quia Deo nemo placet, ut hæres æternæ uitæ, nisi per electionis gratiam, & promißionum gratiæ fidem.

Est porrò in hoc textu elegans fidei definitio, quæ solis electis contingit, & non potest non contingere eis. Si enim quæras, quid sit fides, recte respondetur, esse ueritatis huius agnitionem, quæ efficit uere pios homines, & excitat in eis spem æternæ uitæ. Sed illa ueritatis agnitio, est assensus in gratiæ promißionem, ac facit redamari Deum, & glorificari

Fidei definitio.

cari

cari ab his qui assensum promißioni habent, quod est ueræ pietatis in Deum. Et quia nihil diffidunt promittentis gratiæ, non possunt non concipere spem firmam æternæ uitæ. Itaque liberat à peccato fides, uidelicet saluificæ ueritatis cognitio. Ac uere pios efficit ac iustificat credētes, & gignit in eis spem salutis æternæ. Quó per legis iusticias peruenire nemo unquam potuit, neque poterit aliquando. Et de illa noticia saluificæ ueritatis, habes illud Esaiæ quinquagesimo tertio: In noticia sui iustificabit ipse iustus, seruus meus, multos, quoniam iniquitates eorum ipse portat. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia &c.

Proinde hic obserua, esse aliquam ueritatis cuiusdam certæ noticiam, quæ efficiat uere pios, iustos, sanctos & beatos homines coram Deo. Et eam ipsam noticiam non esse, quàm fidei promißionum gratiæ, & seruatoris Iesu Christi, qui est datus omnibus nobis in pignus gratiæ, adeoq; in precium & satisfactionem pro peccatis omnium nostrûm, & pro æterna morte. Hoc enim uolūt illa prophetæ uerba, In noticia sui iustificabit multos, quoniam iniquitates eorum ipse portat. Videlicet agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Et solus tollit, quia non est per alium salus. Act. quarto.

Præterea obserua, in pietate Christiana esse

præcipuum quendam & summũ cultũ Dei, uidelicet hanc amplitudinis immensitatem gratiæ Dei agnoscere & recipere per fidem, & Christum Iesum Dei filium pro æterno seruatore habere. Contrà, summã contumeliam esse Dei & Iesu Christi, contemnere hanc tantam gratiam, bonitatis huius effusæ tam prodigaliter, & misericordiæ Dei, quod faciunt increduli. Primum isti, qui per iusticias operum legis quærunt saluari: deinde & hi quoq;, qui per grauiorem delictorum cognitionem desperãt de gratia. Cum ipsi Domino Iesu quilibet peccatores hũc fidei honorem debemus, & glorificationẽ eius, q, uenerit in mundum saluos facere peccatores.

Hæc proinde sit gloria Iesu Christi, q, uenerit iustificare & saluos facere peccatores. Et illa confeßione gloriæ Christi nihil detrahimus legi, nisi effectum iustificationis, ut qui est proprius iustificatoris Iesu Christi in nobis. Qui semetipsum dedit preciũ, & uictimã, & satisfactionem pro nostris peccatis. Gal. 1. 1. Timoth. 2. Nec est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 4. Et Paulus inquit 1. Timoth. 1. Certus sermo est, et dignus qui omnibus modis accipiatur, q, Iesus Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. Et angelus Domini Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

rum. Et in huius gratiæ noticia cum esset Paulus, & oĩbus ecclesiis passim inculcaret eã, tãdem de ea ipsa ita scriptũ reliquit: Non.n.iudicaui me q̇cquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Idẽ pro hac ipsa noticia uulgata in Ecclesiis frequenter gratias agit, & precatur, ut omnibus plenior & locupletior, atq; adeo confirmatissima contingat. Vide exempli gratia 1. Cor. 1. Ephe. 1. Col. 1. &c.

Eodem facit illud Christi Ioan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscãt te solum Deũ uerum, & quem misisti Christum Iesum. Quia uita æterna, nisi per fidem gratiæ, eius qui unus est, uerus & æternus Deus, adprehendi aut haberi non potest, nec præstari alijs poterit, quàm per fiduciam seruatoris Christi, uidelicet mediatoris gratiæ. Hinc etiam dicitur, q in eius facie formæ illæ saluificæ cognitionis Dei sunt expressæ. 2 Corinth. 4. Quoniam Deus est, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ gloriæ Dei, in facie Christi. Huius etiam noticiæ comparatione ad iusticias legis, Paulus omnia derogat legi, affirmans quòd per solam IESV CHRISTI cognitionem iustificemur & salui efficiamur. Phil. 3. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem cognitionem IESV

CHRISTI Domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi, habeóq; pro reiectamẽtis, ut Christum lucrifaciam: utq; reperiar in illo, non habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi. Quæ est ex Deo iusticia, per fidem ad cognoscendum illum & uirtutem resurrectionis eius, & societatem paßionum illius &c.

Itaque fides non est dubia uel incerta opinio, sed maxime certa & firma noticia. Quanquam rerum capacitate rationis humanæ incomprehensibilium, & demonstrationibus per naturam creatam inexplicabilium, sed tamen reuelatarum à Deo, qui neminem fallit, nec potest fallere. Quare nulla alia rerum noticia certior est aut firmior, quàm illa per fidem promißionum gratiæ, de æterna salute nostra per Christum. Ideo efficacißime consolatur eos qui credunt. Rom. quinto. Et est præsentißimum remedium contra peccatum & æternam mortem. Quia est firmus & certißimus assensus, ut dictum est, hærens atque innitens in ineffabili & certa ueritate. Idcirco qui credunt Euangelio, sciunt quòd habeant placatum Deum perpetuóque clementißimum & indulgentißimum patrem propter Christum, qui nostrûm miseretur, ac fauet nobis, adeóque defendit & tuetur nos in quibuslibet calamitatibus & morte, si in illa præstitæ nobis per Christum gratiæ noticia

& fide permanemus, tum stabiles ac firmi perdura mus.

## DE NECESSITATE bonorum operum.

Sed ut est pars præcipua pietatis, credere Euangelio: ita in sanctificatis à Christo & cõsecratis Deo in hæreditatem immortalis gloriæ., accedere debet illa altera species pietatis, quæ lucet in iusticia morum & operum bonorum. Quanquam enim per solam fidem saluemur, tamen illa morum & operum bonorum iusticia quoque necessaria est coram Deo. Debet autem ex fide placati nobis Dei per Christum proficisci, & nemo ambigere aut dubitare debet, qn placeat Deo propter Christum. Quanquam enim adhuc sit imperfecta, & legi nondum satis faciat, tamen grata est Deo, in illis qui ex fide propiciatoris Christi operãtur, quibus propterea Deus ignoscit, si quas imperfectiones & immundicias adhuc habent. Tranquillat itaq; conscientiam perturbatam fides, & securam facit æternæ uitæ per Christum. Sed eadem immutat quoq; animos nostros, & corda nostra ita trãsformat ac rapit, ut ineffabili quodam studio & amore Dei & legis, cupiamus Deo in mandatis eius obsequi, & proximo seruire per dilectionem. Et hoc est quod Paulus inquit Gal, quinto: Nos spiritu

ex fide spem iustitiæ expectare. Item, fide, quæ per charitatem est efficax.

Hæc ergo demum solida & uerax pietas est, puritati fidei coniungere religiosam obseruationẽ mandatorum legis. Quam etiam Euangelia docent & prædicant, & apostoli & euangelistæ seduli sunt in eius præconijs & laudatione. Scilicet non iactare fidem, quæ est uacua iusticiæ morum & operum bonorum. In hac enim nihil est, nisi inanis & uana ostentatio fidei, uera fides nõ est. Nec opera iactare, separata à fide, hoc est, fiduciam operum habere, gratiæ fide exclusa. In quo est perfidiæ hypocritarũ arrogantia, transferentium in facta sua gloriam gratiæ Dei. Sed fidem habere, per quam inclusum teneas in corde tuo Christum Iesum iustificatorem & seruatorem tuum, quæ foris quidem proferat multos fructus pietatis & operum bonorum. Nam coram Deo non esse iustos & pios, qui iactant fidem, & turpitudini indulgent, & iniquitati seruiunt, & obseruationem mandatorum Dei contemnunt, res ipsa clamat, & communis omnium sensus, nec aberrans ea in re. Id quod liquet testimonio Pauli in hac tota epistola ad Titũ, & in alijs omnibus eius scriptis. Vt taceam testimonia prophetarum, Christi, & reliquorum apostolorum & euangelistarum.

Adde, quòd renatis per promißionum euangelij

fidem

fidem, datur spiritus sanctus, Tit. 3. Sed ille nouos, & spirituales motus creat in cordibus iustificatorum, ac totos mutat, ut per nouitatem uitæ Deum studeant glorificare. Lege quæ sunt hac de re Hier. 31. Et de fructibus spiritus ad Gal. 5.

Abrogata est quidem lex, per Euangelij promulgationem, tum, quia inefficax fuit ad iustificandum, tum etiam ne condemnet eos qui in Christum Iesum credunt. Sed illæ caussæ non tollunt necessitatem alicuius nouæ obedientiæ erga legem. Sed hoc agunt, ne quis iusticiam quærat ex lege, cum hoc frustra faciat: Sed per fidem remissionis peccati, quæ datur propter Christum. Item, ne quis metuat sese accusari per legem, si tamen in Christum iustificatorem credat. Per quem & promissionem remissionis peccati & uitæ æternæ habet, & spiritum cordis & internorum motuum renouatorem, quo agente & mouente nos mandata Dei facimus. Eph. 2. Conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus.

Quare ualde miror, quid acciderit Antinomis, nouo & prius inaudito generi pseudoprophetarū, nostro seculo exortorum, quòd audeant hanc partē iusticiæ amputare & tollere à fidei iusticia, tanquā minus necessariam, aut quæ non pertineat ad iusticiam Christianam, secure & impune contemni possit:

Nam etiamsi illa bonorum operum iusticia, neminem saluet à peccato, aut à morte: non ideo tamen tolli debuit, uel separari, à perfectione iusticiæ. Quasi eius nulla necessitas esset coram Deo, nulla dignitas, si præstetur ab eo, qui per iusticiam fidei liberatus est à peccato & à morte.

Necessaria est enim, quia constat à Deo præceptam esse. Adeoq; prædicari eam à Christo & Apostolis, & exigi eam, ab his qui fide iustificati sunt, & salui facti. Ostendi autem supra, illam placere Deo, in ijs qui ex fide in Christum operantur. Necesse est enim, ut persona operans prius sit reconciliata Deo, quàm per opera & facta sua placere queat. Habet etiam sua & ingentia præmia apud Deum in cœlis, quemadmodum transgreßio & contemptus æternas pœnas. Lege quæ sunt Matth. 5. 16 25. Rom. 2. 2. Cor. 5. &c. Vt ne dicam, quod 1. Cor. 6. Gal. 5. Eph. 5. &c. clare docetur, quòd nulli qui flagitiose uiuunt, poßint regnum Dei hæreditate consequi.

Adde, quòd obedientia boni operis, non modo exercet fidem, uerum etiam egregie munit, & confirmat eam, contra tentationes desperationis. Constat enim fidem durare, ac retineri non posse, in illis qui flagitiose uiuunt. Non potest enim conscientia mali operis, cum qua uiuitur sine pœnitentia, & sine correctione sui, simul cum fide remißi peccati

& propicij nobis Dei consistere. Rursus, qui ex fide gratiæ bene operantur & honeste uiuunt, hi simul certas significationes habent, propitiæ erga se & misericordis uoluntatis Dei. Hinc ipse quoq; Petrus iubet, ut studio bonorum operum, certam efficere nostri uocationem & electionem apud Deum conemur & laboremus. 2 Pet. 1.

Itaq; ipsa quoq; bona opera in iustificatis & credentibus in Christum Iesum, habent quandam significationem uoluntatis & beneuolentiæ Dei, iuxta illud, Luc. 6. dimittite, & dimittetur uobis. Date, & dabitur uobis, &c. Et hanc maximam commoditatem nemo negligere debet, aut parui æstimare. Nam à quibus negligitur aut contemnitur, illi cogentur haud dubie, tandem, per reuelationem peccati in conscientia, desperare. Notum est horribile exemplum proditoris Iudæ, & similium. Id metuendum est, ne quis similiter iram & perditionem sibi accersat.

In summa, quisquis dicit, se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est. 1 Ioan. 2. Et qui facit peccatum, ex Diabolo est: quoniã ab initio Diabolus peccat. Ergo etiam autor est peccati, & transgreßionum & contemptus Dei, in reprobis istis, qui mandata Dei irrident. Contrà, In hoc adparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. 1 Ioan. 3.

Igitur efficax est in illis quos saluat, ut uidelicet dissoluat illa opera peccati, quorum autor est, et caussa impulsiua Diabolus: deinde, ut operetur in eis nouã uitam, quam Deo & uocatione sua dignã uiuant. Lege Col. 3. Rom. 6. 12. &c.

Hæc habui, quæ dicere libuit hoc loco, de iusticia bonorum operũ, hinc sumpta occasione, quòd incideram in expositionem loci communis, de pietate, cuius constat esse duas partes, fidem in Deum, seu fidẽ promißionum Euangelij, & externam bonorum operum iusticiam. Et Paulus quidem hoc loco meminit tantum alterius partis eius, nempe, fidei, quæ est noticia ueritatis, & pietas in Deum. Alteram tacet, uidelicet, iusticiam morum & operum bonorum, quæ est superioris partis effectus quidam. Sed quoniam suscepi officium interpretis scripturarum, meum fuit de tota pietate dicere, præsertim hoc tempore, quo alij à doctrina pietatis separant fidem, eamq; in totum negligunt. Et alij rursus abstrahunt ab ea opera bona, & miris modis lacerant scripturas & doctrinam ueritatis. Sed quomodo illæ partes coniungi debeant, in prædicatione Christianæ iusticiæ, iam supra dixi.

Reuerenter de utraq; sentiẽdum & iudicandum est, sicut docemur exemplis omnium prophetarum, Christi & Apostolorum. Satis est enim, si adimas ac

detrahas

detrahas iusticiæ operum nostrorum, laudem meriti remißionis peccati & æternæ uitæ: Quia hæc est solius misericordiæ & iustificatoris Christi, & per fidem accipitur. Quare impium est & blasphemum, illam in nostras carnales iusticias transferre, & derogare, hoc pacto, gratiæ Dei, & beneficijs redemptoris Iesu Christi. Vt ne dicam, eas iusticias nostrorum operum caussam facere æternæ salutis, quæ sunt infinitis modis imperfectæ, immundæ & pollutæ coram Deo.

Sed rursus hoc quoq; impium est & blasphemū, iusticiam bonorum operum in totum damnare, quasi sine periculo sint, ac liberi à quouis malo, qui eam omittunt, & quācunq; occasionem bene operandi contemnunt. Cum utrumq; frustra nequeat esse, & quòd malis operibus comminatur Deus ultionē atq; uindictam suæ iræ, maxime uero æternam condemnationem, his qui non conuertuntur. Et contra, quòd à Renatis exigit aliquam uitæ nouitatem, bonos mores & bona opera, atq; adeo multa & magna præmia polliceatur, his qui dicto obediunt, & bene operantur. Quæ redditurus est bonis æterna in cœlis, alijs iudicium & condemnationem.

Hactenus ea pars epigraphæ exposita est, in qua Paulus officium apostolatus sui graphice describit, quanquā parce et tenuiter de illo locutus, sed uerbis

tamen amplißimis & sententijs profundißimis usus est. Tribuit sibi officium, in quo doceat fidem, ut inquit, electorum Dei, hoc est, officium prædicãdi gratiæ promißiones, quæ sunt materia & præbent exercitium fidei electorum, & per cognitionem ueritatis gratiæ Dei, efficiunt creditæ uere pios homines, & beatos spe æternæ uitæ. Atq; adeo, quibus solis fides electorum hæret ac nititur, tanquã caussæ remisſionis peccati, iusticiæ & æternæ uitæ. Nam, ut in summa dicam, Deus per reuelationem promißionũ gratiæ suæ, iustificat non solum Electos credentes, uerum etiam facit illis spem æternæ uitæ, qua nihil certius aut firmius, ut infra dicetur, esse potest. Sic autem Paulus clare discernit inter Euangelij ministerium & legis prædicationem, & Episcopos, seu pastores Ecclesiæ, facit non legis sed Euangelij doctores. Nam etiam lex beneficio Christi per Euangelium abrogata est, & Christo succedunt in officio docendi Episcopi, nõ Moisi. Quibus & dicitur Mar. ult. Prædicate Euangelium uniuersæ creaturæ, qui crediderit, &c. Item, Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

De legis abrogatione.

Sed illa de abrogatione legis, non oportet ita intelligere, ut solent Antinomi, nouum genus furiosorum, quasi nullus legis usus sit, uel esse possit in Ecclesia. Nam etiamsi uerum est, quòd per legem nemo iustificatur

iustificatur coram Deo, sicut testimonijs Pauli liquidißime patet. Gal. 2. Rom. 3. &c. Tamen est legum diuinarum multiplex alius usus, et magna necesßitas, cur earum prædicatio in ecclesiis retineatur, ut de illa infra propitio Christo scribam. Loquor autē de illa parte legis, quæ uocatur morum seu operum bonorum doctrina, & in Decalogi mandatis summatim continetur. A prophetis autem, Christo & Apostolis uarie multis in locis tractatur & exponitur: quia pertinet ad pœnitentiæ prædicationem. Hæc uero est summe necessaria, siue de interna illa, quam uocant contritionem, & fidem præit, loquaris, siue de externa huius nouitatis, quam præstamus per obedientiā morum, & operum bonorum, fide iustificati & salui facti. Non ut iustificemur, &c.

Non ergo imaginādā est politica, seu ciuilis abrogatio legis, ubi agitur de præceptis Decalogi abrogatis per Euangeliū: sed spiritualis, qua conscientiæ peccato oneratæ, terrore & cōminationibus legis exonerantur, & peccatores per consolationes Euangelij seruātur à desperatiōe. Vt qbus remisßio peccati gratuita, iusticia & salus, in Christo Iesu offertur et donatur. Res est.n. cōscientiarū Christiana libertas: quantū præsertim attinet Decalogi mādata. Ac debēt hoīes huius prudēter admoneri, in illius, libertatis in quā prædicatiōe, ne uidelicet quærāt iustificationē

ex lege. Ad iustificationem enim lex est inefficax & ociosa doctrina, & eo usq; abrogata, ne quis iusticiã ex illa quærat. Tum etiam, ne quis desperet, quanq̃ peccator, & legis exactioni nullo modo satisffaciẽs. In summa, ut nihil prorsus cum lege habeamus, in caussa illa conscientiæ, qua agitur de iustificatione, uita & salute coram Deo. Est enim præsumptio, & caussam habet ignorantiã sui & gratiæ, quærere iusticiam ex lege: & desperare propter grauitatem peccati, est Euangelij promißiones & Christum iustificatorem negare.

Proinde lex, neq; exigere iustificationem quam præstemus ipsi per opera et facta nostra, potest, neq; terrere aut cruciare peccatores, quos Christus promißionibus gratiæ consolatur. Alioqui enim seruiret homini ad peccandũ, et ad grauißimas blasphemias contra Deum, duplici ratione & modo, Priore, quo ad superbam & arrogantem præsumptionem, & posteriore, quo ad horribiles & graues blasphemias desperationis. Vtrumq; enim uicium horum, Deus maxime odit, quia filium suum unigenitum misit, saluos facere peccatores. Ex quo sanè liquet, quòd aliunde quærenda est iusticia & salus, quàm ex lege, nempe, ex Euangelio, per promißionem gratiæ & iustificatoris Christi fidem. Si qui enim ex lege quærant iustificari, nunquam fient nisi præsumptuosi & arrogantes

arrogantes hypocritæ, aut certe ex uera noticia peccati deijcient sese in horribilem desperationem.

Sed præterea sciendum est, beneficium abrogatæ legis, non pertinere, nisi ad eos, qui promissionibus gratiæ Euangelij, de iustificatore & seruatore, Christo Iesu, credunt. Ideo exactionibus legis nihil debere, solos eos, qui in Deum per redemptorē Christum Iesum credunt. Quanq̃ sint debitores glorificādi Dei, frenandæ carnis, & seruiendi proximo, propter Christum. Sed exactionibus legis nihil debere, est liberatum esse à legis maledictione: Christo autē debere, est hominem, in gratia constitutum, debitorem esse seruiendi gloriæ Dei & ornandæ gratiæ doctrinæ. 1 Cor. 6. Non estis uestri iuris. Nam empti estis precio. Glorificate iam Deū, in corpore uestro, & in spiritu uestro, quæ sunt Dei: In corpore, ut carnis lasciuias comprimatis: in spiritu, ut Deum timeatis, & fugiatis quælibet peccata & transgressiones legis: Atq; adeo, ut cum metu & tremore uestram ipsorum salutem operemini. Vt dicitur Phi. 2. Et rursus Phil. 1. Tantum digne Euangelio Christi conuersemini.

Docenda est autem hæc libertas apud Christianos, ut suus gratiæ honor, Christo redēptori debita gloria, & Ecclesiæ gratiæ salus, retineatur. Sicut igitur exactio iustificationis quæ fit lege, sublata est








& inducta, his qui Euangelio credunt: Ita ius condē nandi peccatores legi ademptum est, in illis qui per fidem sunt incorporati Christo Iesu: Nam remißionem peccati accipiunt, propter Christum, quicunq; per Euangelium credunt in eum, eoq; & à legis ira liberātur. Gal. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Non tamen concessa est licentia, uel impunitas peccandi. Nam & ad pœnitentiam uocamur, nouitate totius uitæ nostræ præstandam: tum coniungendam cum gratiæ fide, ut quæ aliter, neq; placere Deo, neq; hilariter & serio præstari, potest. Luc. ult. oportebat Christum pati, &c. Rom. 8. Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundū carnem ambulant. Et ibidem dicitur, si secundum carnē uixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Ideo perpetuis execrationibus legis obnoxij manent, quicunq; sine fide promißionū Euāgelij, et sine pœnitentia agunt: nec est cur faciāt sibi ullā spē libertatis, aut promittāt gratiæ salutem.

Hæc fortaßis nimium prolixe prosequor, & usq; ad tædium eruditi lectoris. Sed tamē propter multas graues caussas, necessaria existimo quæ diligenter exponantur. Neq; enim eruditis & intelligentibus hæc mysteria scribimus, non enim indigent nostro labore. Sed harū rerum imperitioribus seruimus, &

qui





qui Euangelicæ ueritatis adhuc ignari sunt. Quorũ esse multos, etiam ex illis, quibus cura pastoralis in Ecclesia, & administratio Euangelij cõmissa est, nemo ignorat. Deinde & propter aduersarios scribimus, qui uel obscurant beneficia gratiæ, per operum doctrinas, imprudenter & pharisaice traditas, uel pœnitentiæ doctrinam, per imprudentẽ gratiæ prædicationem, auferunt ex Ecclesia. Nã utrisq; necesse est os obturare, quia & ueritatem gratiæ, & gloriã uerbi legis oportet uindicare, & resistere his, à quibus, aut Euangelium, aut leges, blasphemantur. Oĩo autem insania est & furor, male de legibus sentire, et male de iusticia operum loqui. Et tales, qui hoc faciunt, necesse est nihil quicquam in gratiæ doctrinæ intelligere.

Reliqua est illa altera pars epigraphæ, in quæ Paulus agit, de diuinis promißionibus, quo ad certitudinem & firmitatem illarum: Item, quo ad durationem, secundum antiquitatẽ, quæ est temporis nota, quãdo primum sint exortæ, seu promulgatæ. Deniq; quando sint per Euangelij prædicationem uulgatæ in toto terrarum orbe, & administratio illarum Apostolis commissa. Sic ergo scribit Paulus.

QVAM PRO MISIT, QVI MENTIRI NESCIT, DEVS ANTE TEMPORA AETERNA.

De certitudine gratiæ & salutis, eorũ qui in gratiæ promißionẽ credunt,

PRoinde hic primus locus admonet nos de certitudine et firmitate diuinarum promißionum, atq; adeo, de certitudine salutis, eorum qui in gratiæ promißionem credunt, prorsus omnium. Ideo magnas consolationes adfert, in omni certamine conscientiæ, & uetat, ne in tentationibus peccati, inferorum, mortis, iræ & iudiciorum Dei contra peccatores, desperemus. Nam quia Deus promittit, se uelle saluare peccatores, si promittẽti sibi credant, haud dubie saluat credentes, quanticunq; aut qualescunq; sint peccatores. Neq; uult neq; potest aliquando mutare sententiã. Quia, ut dicit scriptura, Deus non est homo, ut mentiatur, nec filius hominis ut mutetur: Num. 23. Quapropter, ut bonus est et misericors, ita fidelis ac uerax, adeoq; seruans promißi, & permanet talis, mentiri uel mutari nesciens.

Hæc igitur recte intellecta faciunt nos maxime securos nostræ salutis, coram Deo, ut quã amittere, eo loco certitudinis positam, nunquã possumus ullius creaturæ iniuria. Non mundi, aut peccati, uel Diaboli et inferorum, nõ deniq; ullius alterius mali, si quod nominari posset. Nam ex manibus Dei, in quibus posita est, extorqueri non potest, qui uult quidem saluos facere, quotquot promißioni gratiæ suæ credũt. Si ergo in fide gratiæ permanserimus, nihil est quod nos salute nostra fraudare poßit. Nec uult Deus nos aliter

aliter certos esse, aut noticiã uoluntatis gratiæ suæ aliter habere, quã per promißionis fidẽ. Nec prodesset aliter scire, quia hæc gratiæ uoluntas, reuelata in promißionis uerbo, retinet credentes in dilectione et fide, adeoq; in timore Dei, utq; continuo studeãt proficere, & Deum in omni uita sua glorificare.

Huc facit ergo, in testimonium certitudinis & firmitatis huius, de qua loquor, primũ illud Pauli, Ro. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiã proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donet? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est. Imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei. Is etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neque uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; ulla creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

*Hæc itaq; maxima gloria est Christianorum, & summa fœlicitas, nempe, salutem ipsorum ita certo loco esse, ut amitti non poßit, modo fidem retineant. Atq; ut impium sit, & longe grauißimum peccatum dubitare & ambigere, de certitudine salutis.* Hoc e= *nim esset dubitare, de reuelata uoluntate* Dei, *deq́; certitudine, firmitate & ueritate promißionum gratiæ eius, & mendacij illũ arguere. Qua grauiore iniuria et blasphemia nemo posset* Deum *afficere.* R*ursus, ut grauißima impietas est, dubitatio & diffidentia, ita summus cultus* Dei *est, & honor quẽ requirit à nobis, fides qua acquiescimus in promißiõibus gratiæ eius, & nihil diffidimus, quin filij & hæredes* Dei *simus, per* C*hristum* I*esum.*

*Huc similiter facit, illud* B. P*auli, de eadem illa securitate & certitudine salutis,* Rom. 5. I*ustificati ex fide, pacẽ habemus erga* Deum, *per* D*ominũ nostrũ* I*esum* C*hristum.* P*er quem & accessum habemus, per fidem, in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum* Dei. T*am igitur certum est eos qui credunt in promißionem* E*uangelij, seruari à peccato & æterna morte, quàm est certum ac firmum,* D*eum mentiri neq; uelle neq; posse.* H*omines fallunt, alium alius: & spe facta inuicem fraudant, & frequẽter mentiuntur.* A*t* D*eus, ut neminẽ fallit, ita nec mentitur, ideo promissa spe salutis neminem*

minē fraudat. Nam etiam ad hoc promittit, quæ est bonitas & gratia eius, ut eos qui credunt per promissionem gratiæ saluet. Quare non possunt non saluari, qui promißiones Euangelij gratiæ eius fide apprehendunt: ideo & certum est eis, quòd sunt in gratia, quòd sunt filij Dei, & immortalis gloriæ hæredes, quatenus in fide manent.

Voluit autem Deus, omnis consolationis & misericordiæ clementißimus pater, omnia salutis nostræ, ex se pendere potius, quàm ex nobis. Ne si ex nobis penderent uidelicet, (hoc est, ex iusticijs legis, à nobis præstitis, potius quā ex sua promittentis bonitate, misericordia, & clementia,) in manibus nostris posita, dubia efficerentur & incerta. Vt etiam iram & indignationem excitarent in homine, contra occulta iudicia Dei: & meras blasphemias: Ideo certa ac firma nobis esse debuerunt, illa quæ dixi nostræ æternæ salutis: certa autem & firma, in Deo, misericorde, bono, clemente, uero ac fideli. Imò ipsamet bonitate, gratia, misericordia, ueritate & fidelitate, his qui in eum per gratiæ promißiones credunt. Et huc respiciens Paulus, ad Roma. quarto inquit: Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam firma sit promißio, uniuerso semini, &c. Loquitur enim de fide, quæ certitudini ac firmitati promißionum innititur, eoque certa

est & secura donatæ omnibus salutis per Christum. Quo modo certus homo, per opera legis, nunq̃ fieri potuisset. Imò quia legi nemo potest satisfacere, ideo nec potuisset quisquã, ex sola lege, nisi desperationẽ salutis reportare. Transfert igitur hæc sentẽtia, summam salutis nostræ, in promittentis Dei gratiam & bonitatem, & meritis nostris eandem adimit, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, hoc est, in Domini misericordia & bonitate. Sitq; certus & gratiæ ergo se Dei, & suæ æternæ salutis. Quanquã tales oporteat de meritis et dignitate operum suorum desperare.

Itaq; refelli uides hac sententia, quicquid à superioris seculi Papistis, Scholasticis Theologis, et Monachis, de meritis & dignitate operum nostrorum, est proditum. Non enim saluat ullos Deus, præterq̃ per promißionum gratiæ suæ fidem, prorsus gratis, et sine operibus, aut meritis, quæ finguntur, nostris. Imprimis etiam refelli uidemus, hæc blasphema commenta, quibus iubent hominem, de gratiæ erga se Dei & salutis certitudine dubitare. Vt ne dicam, quòd hæc dubitatio, est summum peccatum, & summa blasphemia, ut etiam supra exposui. Cæcitas supra cæcitatem, & profundior quàm ulla alia existere poßit. Nempe, audire ueritatem promissorum, & illam necessario agnoscere. Et tamen dubitare, num ueræ sint & firmæ credentibus. Quæ enim

*enim insania, furor & dementia potest cum hac com parari. Quanquam papistæ non quærunt accedere Deo, & in gratia Dei esse, fiducia promißionum gratiæ eius, sed fiducia operum legis à se præstitis & factis. Hinc etiam necesse est, ut perpetuo dubitent, atq; diffidant Deo, donec tandem in barathrum desperationis coniijciantur.*

*Tractat autem hoc idem argumentum pro confirmandis nobis, de certitudine & firmitate erga nos Dei, & salutis nostræ repositæ in Christo Iesu seruatore nostro, quatenus Euãgelio credimus, autor epistolæ ad Heb. capite 6. Inter cætera enim inquit eo loco, Plenius uolens Deus ostendere hæredibus promißionis immobilitatem cõsilij, interposuit iusiurandum, ut per duas res immutabiles (per quas impoßibile est mentiri Deum) firmum solatium habeamus: Qui confugimus ad tenendã propositam spem, quam sicut anchoram animæ tutam ac firmã habemus &c. Nec alio fine existimandus est iurasse Deus, his qui per pœnitentiam & conuersionem sui reuertuntur, seseq; ex fide gratiæ & reconciliationis emendant, quàm ut certum sit ac firmum ipsis, se denuo recipi à Deo in gratiam, & adprobari hanc eorum conuersionem à Deo, & quatenus hanc gratiæ fidem retinẽt immobiliter, & in proposito melioris uitæ durant, & pergunt ac proficiũt in illo, tum saluari eos à pec*

cato & æterna morte. Ezech. 33. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat.

Huc denique facit illud Pauli 2. Corinth. 1. Quot enim sunt promißiones Dei, per ipsum sunt etiam, et per ipsum Amen, id est, quoniam Deus promittit, qui est ipsa ueritas, & alienus ab omni mendacio, efficaciter saluat quotquot promittenti credunt. Sunt enim Amen, id est, uere firmæ & efficaces Dei promißiones per ipsum qui est ipsa ueritas & solidum fundamentum æternæ salutis, omnibus qui credunt in eum. Valeant ergo, & longe sint à nobis, ac ualeant suo more, nihil enim habent cum Deo & gratia eius, qui saluationem gloriæ regni Dei aliunde petendam esse, quàm ex promißionum gratiæ diuinæ ueritate & fidelitate existimant ac docent. Nec minus recedant à nobis, qui de certitudine salutis & gratiæ iubent dubitare. Nam his utrisq; commentis quorundam qui docent salutem ex legibus petere, & tamen de gratia dubitare iubent, conatur Diabolus ipse fiduciam promißionum gratiæ nobis excutere, & nos priuare fœlicitate æterna.

Vetat igitur promißio, ne dubitemus de gratia, & requirit, ut certißimo confidamus, Deum nobis præstare uelle salutem. Adeoq; saluare nos, quatenus in promißionem gratiæ eius credimus. Idē de lapsis

qui

qui pœnitentiam agunt, pronunciamus, esse uidelicet certißimum, quòd sunt in gratia æternæ saluationis. Quia Deus hāc fiduciam gratiæ suæ requirit ab eis, ut supra docui testimonio Ezechielis prophetæ. Itaq; & illis adest Deus, quāquam lapsis enormiter, ac prohibet ne desperent, sed emendati & correcti, confidant de gratia & bonitate Dei, ac sciāt se quoq; saluos fore. Quanquam .n. labi & peccare indignum sit homini Christiano, & res per se mala, ac displiceat Deo, tamen lapsos resurgere, & fiducia gratiæ recedere à peccato, seseq; emendare semper bonum est, ac placet Deo, sed labi, errare, concidere, in peccato manere, & desperare de gratia, uitia sunt, quæ ita displicent Deo, ut puniat illa æterna morte.

Vetustas promissionū gratiæ, seu Euangelij de Christo.

Ante tempora æterna dictum opinor ab Apostolo pro tēporibus illis, quæ fuerunt priusquam secula res cursus, quales nūc cernimus, Vueltlich lauff und uuesen, plene orirētur. Nam & prima gratiæ promissio, quæ fuit uerum Euangelium, & hoc ipsum cum nostro illo, quod prædicamus, de gratia & beneficentia erga nos Christi filij Dei, facta est primis parentibus nostris, ipsi Adam inquam, & Heuæ uxori eius, adhuc in paradiso existentibus, quanquam mora breuis esset, à qua propter peccatum & transgressionem atq; contemptū diuini mandati eijciebantur & exturbabantur è paradiso. Non tamē sine consola

tione Euangelij, per quod dictum est ad eos de Christo seruatore contra diabolum, Ipsum semen conteret caput tuum, id est, conteret uim potentiæ tuæ, & credentes liberabit à tyrannide tua. Destruens denuo regnum peccati & mortis, tum regnum iusticiæ & æternæ uitæ confirmans.

Sublimius est, si intelligamus Apostolum loqui de electione saluandorum, quos Deus ab æterno habuit innumerato, siue inclusos certo numero in æterna mente. Vt promißionem gratiæ, quæ extiterit ante tẽpora secularia dici accipiamus, id quod semel constituerat Deus, & proposuerat in semetipso per redẽptorem Christum seruare credentes, & illam gratiæ beneficentiã resedisse ab æterno, in Dei mẽte. Paulus de hac scribens, uocat πρόθεσιν καὶ προώρισιν, hoc est, propositum ac præfinitionem Dei: & copiosius de illa scribit Rom. 8. & Ephe. 1. &c. Sed prior sententia, ut est simplicior, ita magis quadrare uidetur huic loco quem enarramus. Meminit. n. promißionum Paulus, non electionis gratiæ, quam ante hunc locum paucis attigerat. Quanquam & illa altera sentẽcia, quam recitaui, est uera, & testimonia alia scripturæ plurima habet. Et Theophylactus quidem de illa sublimitate textum Pauli exponit. Fruatur quisq; suo iudicio. Res non habet periculum utrouis modo accipias ab Apostolo dictum esse.

Proinde

Proinde hæc testantur, promiſsionem æternæ uitæ per Christum Ieſum ſemper fuiſſe in mundo, aut certe uix condito orbe & creato primo homine uulgatam, ſeu prædicatam eſſe in mūdo. Longe uero prius eius manifeſtandæ propoſitum à Deo conceptum eſſe, & in Deo fuiſſe, nimirum ab æterno. Deniq; Euangelij initia & promulgationem longe uetuſtiorem eſſe promulgationi Moſaicæ legis. Ex quo ſequitur, Euangelium eſſe doctrinam ſalutis, id eſt, remiſsionis peccati, iuſticiæ & æternæ uitæ. Illo enim conſolatus eſt Deus peccatores, ac propoſuit eis ſpem reconciliationis & uitæ æternæ. Pernicioſe errare eos, qui legi tribuunt, quòd ſuos factores iuſtificet ac liberet à morte. Neminem enim conſolatur Deus per leges, ſed peccata hominum accuſat ſolum, & redarguit ac damnat. Et tamen hoc turpiſsimo & blaſphemo errore, quo tribuitur legibus uis iuſtificandi & ſaluandi peccatores, hoc tēpore nihil uulgatius eſt in papatu: In iſto enim perditionis & abominationis regno, una opera omnes Chriſti & Euangelij gloriā opprimunt, & quantum in ipſis eſt, Eccleſiam ſpoliant fœlicitate & beatitudine æternæ uitæ:

Videant ergo quid agant, & cui ſint rationem reddituri ſuorum ſceleratorum conatuum & cōſiliorum iſti impoſtores. Deinde reſpondeant, ſi uideri uolunt boni uiri eſſe, cur nos de nouatis eccleſiaſticis dogma

tibus traducant, quæ nemo audacius corrupit, aut fœdius dehonestauit, quàm papistæ. Non modo, quòd doctrinam de promißione æternæ uitæ, quæ semper fuit in mundo, propè aboleuerunt, ac funditus sustulerunt ex Ecclesia. Idq; opinione erroris & impietatis concepta de lege, hoc est, de meritis & dignitate carnalium iusticiarum nostrarum, tum prædicatione & doctrina, exẽplo & factis apud omnes ferè Christiani orbis homines confirmata. Verum etiam quòd pharisaicis doctrinis traditionum hominum tribuerunt meritum iusticiæ & æternæ uitæ, id quod longe impudentißimum est & audacißimũ. Et tamẽ iubẽt, ut his mendacibus doctrinis atq; imposturis parem honorem cum uerbo Dei habeamus. Penitúsque implent quod Paulus uaticinatus est 2. Thess. 2. de homine peccati, filio perditionis, Antichristo, qui aduersatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, (numen) Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.

Hæc contra eos qui Euangelij doctrinam, seu promißionem remißionis peccati, iusticiæ & æternæ uitæ calumniãtur & blasphemant, nouum dogma esse, cum Euangelij promißione, q, uidelicet iustificet ac saluet Deus peccati remißione per Christũ solos qui promißioni credunt, & quidem ita credunt, q, per nullam rẽ aliam salui fiant à peccato & morte, quàm

per

per solā fidem in Christum, nihil sit uetustius. Nam huc etiā facit illud Heb. 13. Iesus Christus heri & hodie, idem est & in secula. Apoc. 13. Agni, qui occisus est ab origine mundi. Tales enim sentētiæ testantur, semper unam & eandem salutis uiam fuisse in mūdo, & cognitam ac creditam ab omnibus electis. Et illis quoq; sanctis patribus, qui claruerūt ante Christum exhibitum in carne, iuxta illud Ioan. 8. Abraham pater uester exultauit, ut uideret diem meum. & uidit, & gauisus est. Itē 1. Cor. 10. Bibebant de spirituali, q̄ illos comitabatur, petra. Petra uero fuit Christus.

Cæterum, noua & perniciosa dogmata in Ecclesia, sunt imposturæ & hæreses papistarū, quibus nos iubent fiduciam facere carnaliū iusticiarū nostrarum. Qualescunq; sint illæ, nihil refert, seu à Deo, seu ab hōibus præceptæ. Fiducia. n. sui impia est, & ea præsertim, qua hoīes quærūt per opa sua iustificari, blasphema est in gratiā Dei, & in seruatorē Christum Iesum. Quapropter dogmatibus illis de meritis operū & dignitate iusticiarū nostrarū extinguūt in nobis fiduciā gratiæ et beneficiorū iustificatoris & redēptoris Iesu Christi, cū doctrinā gratiæ & uiā salutis semp oporteat retinere eādē, uulgatā à cōdito orbe, ut q hāc quādocūq; nouarint, semp pestilētißimæ pestes extiterint in Ecclesia, iuxta illud Christi Ioā. 10. Ego sum ostiū ouiū, oēs quotquot ante me uenerūt, Noua dogmata.

*fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues.*

*In summa una salutis uia est, beatorũ patrum ante incarnatum Christum, & nostra post exhibitum in carne Christum, immortalitate ac regno in cœlis glorificatũ. Via autem, ipsemet Iesus Christus Dei filius redemptor & saluator noster, qui semetipsum dedit uictimam & satisfactionem pro nostris peccatis, et pro æterna morte. Et eadem reuelata fuit & cognita atq; confessa omnibus electis, sanctis patribus Iudæorum, tũ nobis, q in Ecclesia recte glorificamus Deũ. Ioan, 10. Ego sum ostiũ, si quis p me introierit, saluabitur. Et cap. 14. Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrẽ, nisi p me. Act. 4. Hic est lapis, q reprobatus est à uobis ædificãtibus, qui factus est in caput anguli, & nõ est per aliquem aliũ salus. Nec .n. aliud nomẽ datũ est sub cœlo hoĩbus, p qđ oporteat nos saluos fieri. Et cap. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, q remißionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Viæ autem impostorum, quæ abducũt ignaros in perditionem, sunt doctrinæ Sophistarum, de merito operum & iusticiarum rationis, Lege 2. Pet. 2.*

MANIFESTAVIT AVTEM TEMPORIBVS SVIS, VERBVM SVVM, PER PRAEDICATIONEM.

*Hoc est, palàm prædicari fecit promißionem gratiæ,*

*tiæ toto terrarum orbe, & beneficentiã misericordiæ suæ peccatoribus insinuauit, nẽpe Deus, & manifesta uit quidem per uerbum Euãgelij, de incarnato, passo & glorificato Christo, cuius p prædicationẽ sunt mini stri apostoli. Mar. ult. Prædicate Euãgeliũ uniuersæ creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.*

*Proinde illud manifestauit, significat eam gratiæ seu promißionis æternæ uitæ reuelationem, quæ facta est per exhibitionem Iesu Christi, qui est testimonium ac pignus in nos gratiæ Dei, & ipsum adeo precium pro peccato & morte. Olim aũt promissa fuit diuini tus electis Dei hæc eadem gratia, nũc aũt iuxta man data Christi prædicata in toto orbe. Vt ergo prius de promißione illa, per quam sola uerbi prædicatione Euãgelij gloria reuelata est, locutus est, ita hic respi cit ad ea Paulus, q̃ innotuerunt mũdo p incarnationẽ filij Dei, & traditionẽ eius p peccatis nostris in mor tem. Et loquitur de Euãgelij annũciatione, q̃ facta est p apostolos multo clarius & illustrius quàm antea, priusquam uidelicet Christus in carne uenisset.*

*Hæc proinde est temporis circumstantia illa, qua docetur, q, certo ac præfinito à patre Deo tempore, uenerit in mundum Christus seruator, & prædicatio nem Euangelij exorsus sit, tũ alijs prædicandã cõmi serit, uidelicet apostolis, à se ad officium prædicandi*

delectis. Et de hoc ipso tempore ita scribit Paulus ad Gal. 4. Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Item Rom. 16. Iuxta reuelationem mysterij æternis temporibus taciti. Eph. 1. Vt notum faceret nobis mysterium uoluntatis suæ, secundum beneplacitum suum, quod proposuit in seipso, ut dispensaretur in plenitudine temporum.

Sed omniū pulcherrime de hac temporis nota scribit idem apostolus 2. Timot. 1. Saluos fecit nos, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est quidem nobis per Christum Iesum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per adparitionem seruatoris nostri Iesu Christi. Qui mortem quidem aboleuit, uitam autem in lucem produxit, & immortalitatem per Euangelium.

QVAE CREDITA EST MIHI SECVNDVM MANDATVM SALVATORIS NOSTRI DEI.

Hic uocationem suam allegat Paulus, & testatur se diuinitus missum esse ad Euāgelij annunciationē. Significat autem Deū esse Christum, à quo immediate missus est, & qui est saluator noster. Habuit igitur uocationem suam à Deo patre per Iesum Christum, sicut etiam scribit Gal. 1. Et mandata accepit de annunciando Euangelio in omnes. Cuius præterea ex-

tat elegans testimonium ac scriptum Col. 1. quod libet hic recensere. Meminit itaque Euangelij, & postea subijcit,

Cuius factus sum ego Paulus minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi ad uos, ut impleam uerbum Dei, mysterium quod absconditũ fuit à seculis & ætatibus, nunc autem manifestatũ est sanctis eius, quibus uoluit Deus notas facere diuitias gloriæ mysterij huius in Gentibus, quod est Christus inter uos, spes gloriæ quẽ nos annũciamus, corripiẽtes oẽm hoĩem, et docẽtes omnem hominẽ, in omni sapientia. Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Ad quod laboro certando secundum efficatiam eius, qui operatur in me potenter.

Paulo itaq;, quemadmodum et reliquis apostolis, credendum est in prædicatione Euangelij, ut uoci sonanti è cœlo Dei, utq; ipsiusmet Christi uerbis ac dictis. Nam ad eorum numerum pertinet, de quibus dictum est: Qui uos audit, me audit: et qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit, Luc. 10. Itẽ. Qui uos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eũ qui me misit. Mat. 10. Nã Paulum immediate uocauit Christus, ut paulo ante dictũ est, Act. 9. Cui præterea Euangelij noticia contigit, non ab hominibus, sed per reuelationem à Christo Iesu, ut ipse de se scribit Gal. primo.

De autoritate uerbi apostolorum.

Alij non sunt audiendi uel recipiendi, saltem noīe doctorum ecclesiæ, nisi idem uerbum Euangelij, quod ab apostolis, & illi à Christo acceperunt, Christus à Deo, ut est Ioan. 7. nos doceant. Quod etiam confirmationē accepit diuinitus factam, contestante uidelicet Deo, & confirmāte uerbum signis & prodigijs, & uarijs uirtutibus & spiritussancti donis, secūdum suam uoluntatem distributis. Marc. 16. Heb. 2.

Qui igitur aliena dogmata & pugnantia cum Euangelio Dei spargunt in Ecclesia, ut ferè semper fecerunt papistæ, & adhuc faciunt, & audiri postulāt ac recipi in suo uerbo, isti sunt fures & latrones. Nec audiunt uel recipiunt tales, qui sunt oues Christi, suæ ecclesiæ unici & æterni pastoris. Nam si necesse est Ecclesiam non errare, quoniam est columna & firmamentum ueritatis. 1. Timoth. 3. non potest alterius uocem audire & recipere quàm sponsi sui Christi. Quia alij oēs possunt esse pseudoprophetæ & mendaces, solus autem Christus suæ ecclesiæ uerus pastor est, & æternus doctor, & solus non mentitur. Itaque ne apostolis quidem licet aliud uerbum docere in Ecclesia, quàm quod acceperunt à Christo. Non sunt. n. nisi ministri Euāgelij Iesu Christi. Hinc etiam Paulus inquit Rom. 15. Non ausim aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Christus &c.

Quin etiam Paulus eos execratur & anathematizat

tizat, qui doctrinæ salutaris & beatificæ noïe spargunt noua dogmata in Ecclesia & Euãgelij prædicationem, quæ tradita est à Christo & apostolis, non retinẽt. Gal. 1. Sed licet nos aut angelus è cœlo euangelizet uobis, præter id qđ euangelizauimus uobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis uobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.

In summa, euangelistarum & apostolorum doctrina, ut tota sacra scriptura, canon est & regula ueritatis, quam solã recipere in omnibus debemus, eiq; obsequi in omnibus & seruire. Adeoq; aliorũ omnium scripta (de dogmatibus ecclesiasticis loquor, & qbus in re salutis æternæ credi iubẽt, hoc est, quibus agitur de iusticia corã Deo, & uita æterna, de cultu, quem oporteat Christifideles Deo præstare: & similibus, quæ pertinent ad rem & negocium conscientiarum) per eam probare & examinare, nec prius recipere uel adprobare quicquam, quàm cõstet quòd scriptis sacris nullo modo pugnet uel aduersetur. Ita ut ipsi quoq; sancti patres iudicauerũt ac censuerũt, quorũ sententiæ in libro Decretorũ papaliũ à Gratiano referuntur, uidelicet dist. 9. quarum aliquot subscribam. De autoritate doctrinæ beatorũ patrum in Ecclesia.

Vulgata est aũt illa Augustini, Noli meis literis, quasi canonicis scripturis inseruire, sed in illis, & qđ non credebas, cum inueneris, incunctanter crede, in

istis autem, quod certum non habebas, nisi certum in tellexeris, noli firme tenere.

Item, illa eiusdem, Ego solis eis scriptorum, qui iam Canonici adpellantur, didici hunc timorẽ, tremorem honoremq; referre, ut nullum eorũ scribendo errasse audeam credere, aut si aliquid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud existimem quàm uel mendosum esse codicem, uel non esse assecu tum interpretem, quod dictum est, uel me minime in tellexisse nõ ambigam. Alios autem ita lego, ut quan talibet sanctitate, quãtáue doctrina polleant, nõ ideo uerũ putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores, uel per canonicas uel probabiles ratio nes, qđ à uero nõ abhorreat, persuadere potuerunt.

Ad hæc illa eiusdem, Quis nesciat sacram scri pturam canonicam tam ueteris quàm noui testamen ti, certis terminis suis contineri, eamq; posterioribus omnibus episcoporum literis ita præponi, ut de il- la omnino dubitari & disceptari non poßit, utrum re ctum sit, quicquid in ea scriptum sit, uel constiterit esse. Episcoporum aũt literas, quæ post confirmatum canonem uel scriptæ sunt, uel scribuntur, & per ser monem forte sapientiorem in ea re cuius libet peritio ris, & per aliorum Episcoporum grauiorem autori tatem, doctioremq; prudentiam, & per concilia lice re reprehẽdi, si qd in eis forte à ueritate deuiatũ est.

Et

Et in hanc sententiam habes plura testimonia per totam illam distinctionem quam dixi. Etsi pontifices Romani omnia sibi sumant iudicare, ipsi uero à nemine uelint aut patiātur sese iudicari. Quanquam Christus dicat: Cauete uobis à pseudoprophetis. Mat. 7. Item, Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducātur, si fieri poßit, etiā electi. Et Paulus Act. 20. Cauete uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritussanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim scio, quòd post discesßionem meam, lupi rapaces in uos irruent, non parcentes gregi, & ex uobisipsis surgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Propter quod uigilate &c. Ac Petrus 2. Pet. 2. Fuerunt uero pseudoprophetæ in populo, sicut & inter uos erunt mendaces magistri, qui introducent sectas perditionis, & negabunt Deum, qui illos mercatus fuerat &c.

Et quid multis opus est, cum clare admoneat scriptura futurum, ut Antichristus ueniat, qui ueritatem Euangelij opprimat, corrumpat atque perdat in multis? Quis igitur est Romanus Episcopus, ut uelit in omnibus æqualis esse Deo? Et quis dedit ei hanc potestatem, ut proferat nouum uerbum in Ecclesia? Neque enim est Dominus Eccle

siæ, sed Euangelij minister, & Ecclesiæ seruulus, ut alij episcopi & ministri. Sed & cur pugnantia cum uerbo Dei loquitur, & admonitus non corrigit suas hæreses & impietates? Damnat enim nuptias & esum carnium, & uiolat institutionem sacramenti dominicæ cœnæ. Denique fingit, quòd operibus & factis nostris iustificemur coram Deo. Et non credamus impostorem esse? Non fugiamus eum, & non reclamemus blasphemijs eius? Quin potius taceat & obmutescat, cedens autoritati uerbi Dei, aut sit anathema & maledictus coram Deo. Audiat nostras correptiones, iuxta illud Pauli, Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. prima Corint. decimoquarto. Item, Omnia probate, quod bonum est tenete. prima Thess. quinto.

Cõtra impias & corruptas cõsuetudines

Sed adijciam hic quædam contra inolitas consuetudines malas ac prauas, siue cõtra errores plurimorũ diuturnitate temporis roboratos. Nam & consuetudines & plurimorum consensum solent obijcere nobis, qui suæ malæ caussæ amplius patrocinari nesciunt, cum à ueritate & luce uerbi Dei redarguantur. De aduersarijs Euangelij loquor, qui malunt animas iustorum periclitari & perire, quàm suos noxios errores corrigere, & dogmata corrupta renouare.

Proinde impiam & pernitiosam consuetudinem radicitus euellendam esse docetur in cõstitutionibus

Decretorum

Decretorum, dist. 8. & primum, autoritate Nicolai Papae, cui haec sequentia tribuuntur. Mala autem cõsuetudo, non minus quam pernitiosa corruptela, abijcienda & uitanda est. Quae nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impijs assumitur. Et incipiunt praeuaricationes, & uariae praesumptiones celerrime, nõ compressae, pro legibus uenerari: & priuilegiorum more perpetuo celebrari.

Sed pergam in gratiam piorum & gloriam uerbi Dei, eam totam distinctionem, ab hoc decreto Nicolai Papae, usq; ad eius finem referre. Igitur, quod proxime adijcitur, legitur sub titulo Augustini, in hunc modum. Veritate manifestata, cedat consuetudo ueritati. Plane quis dubitet, ueritati manifestatae consuetudinem cedere. Item, Nemo consuetudinem rationi & ueritati praeponat. Quia consuetudinem ratio et ueritas semper excludit.

Gregorij est. Si cõsuetudinem fortaßis opponas, aduertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum uia, ueritas & uita. Non dicit, Ego sum consuetudo, sed ueritas. Et certe, ut beati Cypriani utamur sentẽtia, quaelibet consuetudo, quantumuis uetusta, quantũuis uulgata, ueritati omnino est postponẽda, & usus, qui ueritati est contrarius, est abolendus.

Rursus Augustini est. Qui contempta ueritate praesumit consuetudinem sequi, aut circa fratres in-

*uidus est, & malignus, quibus ueritas reuelatur, aut circa* Deum *ingratus est, inspiratione cuius* Ecclesia *eius instruitur.* Nā Dominus *in* Euangelio, Ego *sum inquit, ueritas, non dixit,* Ego *sum censuetudo.*

Et *illud eiusdem*, Frustra *quidam, cum ratione uincuntur, consuetudinem nobis obijciunt: quasi consuetudo maior sit ueritate.* Aut *non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à spiritu sancto reuelatum est.* Hoc *plane uerum est.* Quia *ratio & ueritas consuetudini præponenda sunt.* Sed *si consuetudini ueritas suffragatur, nihil oportet firmius retinere.*

Ex Cypriano *sumpta.* Cōsuetudo, *quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quo minus præualeat ueritas & uincat.* Nam *consuetudo sine ueritate, uetustas erroris est.* Propter *quod relicto errore, sequamur ueritatem, scientes, quia apud* Esdram *ueritas uincit.* Vt *scriptum est, ueritas ualet & inualescit, & uincit in æternum, & uerum obtinet in sæcula sæculorum.*

Et *eodem*, Ignosci *potest simpliciter erranti, sicut de se ipso* Paulus Apostolus *dicit,* Qui *primo fui blasphemus & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci.* Post *inspirationem uero et reuelationem ueritatis factam, qui in eo quod errauerat perseuerat, prudens ac sciens, iam non in uenia ignorantiæ peccat.* Præsumptione *enim*

*atq;*

atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.

Eiusdem est. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid primus qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinẽ sequi oportet, sed Dei ueritatẽ. Cũ per Esaiã prophetam loquatur Deus & dicat, sine caussa colunt me, mandata & doctrinas hoĩm docentes uel sequentes:

Hæc propter eos inculcamus, (allata ex libro Decretorum Gratiani,) qui diffidunt scripturis, aut insidiose illas calumniantur. Cum in dictis hominũ aut superstitiose hæreant, uel odiant potius ueritatis manifestationem, ac mallent oppressam. Sed & honesta uictoria est, si istos quosdam suo gladio iugulemus et suis armis conficiamus, qui autoritatibus Patrum magis niti uolunt, quàm uerbo Dei, deserentes Petram, & ædificantes in harenam. Ad Pauli scriptum reuertor, cuius quanta sit autoritas supra expositũ est. Prædicat enim uerbum, diuina autoritate confirmatum ac commendatum nobis. Sed & Iesu Christi est, illud de Paulo, Act. 9. Electum instrumentum est mihi ille, ut portet nomen meum, coram Gentibus & Regibus & filijs Israel.

Paulo itaq; cõmissa fuit Euãgelij et salutis æternæ doctrina, quã etiã pro officio Apostoli Iesu Christi

fideliter

fidelicet & pure administrauit.1.Cor.9. Etenim si Euangelizē nō est quòd glorier. Necessitas.n. mihi incūbit. Væ aūt mihi, nisi Euāgelizē. Quæ si expenderēt Episcopi, quorsum sunt dicta, multo sanius & purius traderēt, aut certe tradere curarēt, Christiana dogmata quā nunc faciunt. Et abolitis impijs hoīm mādatis & constitutionibus, solū ea præualere facerent in Ecclesia, quæ sunt Euangelij Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. At ne agnoscunt quidem, se esse Euangelij ministros: nec quærunt uel affectant nisi tyrannides in ecclesia. Væ ipsis.

Isti enim sunt pseudoepiscopi, Idola, & laruæ quædam Diaboli, per quos impostor spiritus iste seducit mundum, & à ueritate et salutis uia illum auertit. De quibus lege quæ sunt, 1 Tim.4.2 Timoth.3.2 Pet.2. Item Zach.11.de uasis & ministerio pastoris stulti, deserentis gregem, & perdentis illum.

TITO, GERMANO FILIO IVXTA COMMVNEM FIDEM.

Priora ad personam Pauli, & ad officiorum eius descriptionē pertinuerūt. Ideo inserta est eis quædā Euangelij definitio, & promißionum gratiæ eius. Hæc sequentia continent inscriptionem, uel sunt inscriptio. Ideo & Titum, cui inscripta est Epistola, nonnihil laudant.

Quod

Quod igitur inquit, Tito germano filio, filij adpellationem insigni epitheto nobilitauit, quod autore Hieronymo, latino sermone uix potest explicari: Erasmus interpretatur, uero, legitimo, proprio & germano. Vetus interpres, uertit dilecto, per metalepsin, cuius usus est, cum in dicendo aliud ex alio intelligimus. Nam quæ natiua sunt & uera, non suppositicia, non adulterina, ea chara habemus. Germanũ autem adpellat filium Paulus Titum, quòd ardore & studio simili promouendi gloriam Euangelij raperetur Titus, quo Paulus, & in eo Paulum ipsum, ceu uerus iam & natiuus filius eius, referret. In summa, uirtutes Episcopo fideli, et digno Ecclesiæ doctori, præstaret.

Quod uero subdit, iuxta communem fidem, licet, uel potius, oportet, ad idẽ referre. q. d. Vt Titus me non immerito agnoscit & confitetur suum patrem: Ita ego Titum agnosco & habeo, ueri, natiui, eoq; et dilectißimi filij loco. Non ideo solum, quia illum genui per Euangelium in Christo, uerum etiam, quia uix alium habeo, qui dotes Episcopi, & doctoris ecclesiæ, tam proprie habeat, & uirtutes eius tam diligenter & exacte præstat. Significat ergo Paulus, se amare Titum, ut unice charum filium, cum propter alias uirtutes & dotes animi, tum propter synceritatem, puritatem & fidelitatem, quam in docendo

Euangelium Christi , & propaganda gloria eius præstabat.

GRATIA, MISERICORDIA, PAX, A DEO PATRE, ET DOMINO IESV CHRISTO, SERVATORE NOSTRO.

Cum Paulus in hac salutatione, optet ac precetur nobis contingere, gratiam, misericordiam, & pacē, & quidem à Deo patre, et Domino Iesu Christo, discamus ea bona, nulla humana industria parari posse, nec ullis per merita operū suorum ea donari, sed solis cōtingere, quibus gratuita donatione conferātur.

Gratia. Significat autem gratiæ nomen simpliciter numinis fauorem, & complectitur donū remißionis peccati, & cætera beneficia quæ hominibus per Euangelium conferuntur. Sicut est liberatio ab æterna morte, à Diabolo & insidijs eius, iusticia gratiæ, seu imputatio iusticiæ, & uitæ æternæ donum. Et si quæ sunt alia præmia iustorū, siue in terris, siue in cœlo, quæ nisi per fidem accipi non possunt.

Misericordia. Porro misericordia est gratuita ignoscentia, idē prorsus quod gratia, aut affectio, qua ingemiscimus & dolemus alij male esse, ideo & in calamitatibus illorum succurrimus eis & iuuamus eos. Et sic quidem describitur misericordia et dilectio in nos Dei, Ioan. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, (utiq; misertus illius.) ut filium suum unigenitum daret, ut omnis

nis qui credit in eũ nõ pereat, sed habeat æternã uitã: Et Rom. 5. Commendat autẽ charitatem suam Deus. Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis, iustificati nũc in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum.

Cæterum Pax, Hebraica dicendi proprietate significat quarumlibet rerum fœlicitatem & prosperitatem, corporalium æque ut spiritualium. Teutonice glueck und heil. Imprimis conscientiæ tranquillitatẽ & gaudium. De qua pace est Rom. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, &c. Item Esa. 32 Et erit opus iusticiæ pax. Dixi autem supra, hæc dona diuinitus & gratuita donatione nobis conferri. Idcirco expectare illa per gratiæ fidem debemus, & postulare, per nomen Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, ut per quem Deus nihil negare nobis potest: imò nihil non amat nobis donare, quod saltem deceat illum donare, & nobis utile ac bonum esse possit, ita ut per multas gratiæ promissiones docemur. Ut Ioan. 16. Matth. 7. 18. Luc. 11. 18. &c. Nullæ enim precationes ualent, quàm per Christum. Cõiungit aũt filiũ patri, in eo quo tantã fœlicitatẽ nobis cœlesti dono cõtingere orat, cũ ut significet Deũ esse filiũ, à quo ut à Deo patre ueniat atq; descẽdat super nos gratia, misericordia et pax, et si qd præterea est diuinorũ munerũ, quæ sub dictis cõprehenduntur. Pax,

Tum etiam, ut doceat, quòd ista dona, nisi per mediatorem Christum nulli conferantur. Cum .n. sit unus mediator, Dei & hominum, homo Christus Iesus, 1 Timoth. 2. necesse est, ut quicquid cœlesti munere nobis datur, id propter solum Christum accipiamus. Col. 1. Per ipsum sunt uniuersa. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, &c. Quo grauiorem condemnationẽ merentur, qui Iesu Christo sunt ingrati, & gloriæ eius detrahunt. Quia à Christo & per Christum habent, quicquid sunt & habent, tum boni, tum mali. Seorsim autem boni, spirituales & æternas fœlicitates. Largitur itaq; nobis Deus pater, necessaria huius & futuræ uitæ, sed sine filio nihil quicquam, & per eum, ac propter eum unum, omnia. Ac filius quidem accepta à patre bona, in nos transfundit. Ioan. 1. Eph. 4.

Et quoniam hunc æqualem honorem filius cum patre habet, ideo liquidißime constat, filium esse Deum, Vnum etiam & eundem cum potestate Deum. Quia Deus per Esaiam inquit. Ego Dominus, hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo. Esa. 42.

Hæc sunt ingentia & ineffabilia beneficia, uidelicet, recipi nos in gratiam à Deo, Deumq́; misereri nostrûm & respicere nos. Tum adiuuare nos in quibuslibet calamitatibus, & tandem æternæ morti

eripere. Hæc enim omnia insunt in prædictis rebus, gratiæ, misericordiæ & pacis: & propter Christũ nobis contingunt. Nec est enim alius mediator, omnium donorum Dei, ut dictum est. Hinc ipse quoq; ad se unus uocat nos omnes, quia solus omnes iuuare potest, & malis quibuslibet eripere. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Venit autem in hunc mundum, ut nos peccato & morti eripiat, Gal. 1. & regno cœlestis gloriæ donet. Luc. 12. Noli timere pusillus grex: Quia placuit patri uestro dare uobis regnum. Idcirco enim me mediatore uos donauit. Et Ioã 16. inquit, Cõfidite quia ego uici mumdum. Nobis ergo uictus est. Nam omnis gloria Christi est nostra, quatenus side in illo permanemus.

HVIVS REI GRATIA RELIQVI TE IN CRETA: VT QVAE DESVNT, PERGAS CORRIGERE, ET CONSTITVAS OPPIDATIM PRESBYTEROS, SICVT EGO TIBI ORDINARAM.

Raræ sunt narrationes in Deliberatiuis, sed incidunt tamen. Vt si opus sit aliqua cõmemoratione rerũ, de quibus antea nõnihil constitutũ fuit à nobis. Vt in hac monitoria Pauli, breuis narratiuncula præmittitur, qua reuocantur Tito in memoriam, quæ prius egerat cum ipso Paulus, uidelicet, de Episcopis eli-

gendis in Creta, & oppidatim in ea insula ordinandis & constituẽdis. Est autem species Deliberatiuæ monitoria, & Paulus in hac ad Titum utens narratione, colligit ex ipsa propositionem, quæ obseruari debet, uice Status. Videlicet, si quis sit inculpatus, illũ debere eligi & constitui in Episcopum: siue, ad doctoris Ecclesiæ munus obeundum. Hanc enim deinceps in tota Epistola obseruat Paulus, & exponit atq; confirmat. Quia Episcopi formas tradit, et quæ illum deceant in docendo prosequi & urgere.

Propositio & status.

Titum itaq; Paulus Ecclesiis in Creta, quæ et Cãdia uocatur, præfecerat, & inde abiens, quod ex narratione colligitur, præceperat, ut optimis quibusq;, maximeq; idoneis delectis, constitueret in singulis ciuitatibus ex eis suos Episcopos, quarum olim Creta centum habuisse memoratur, unde etiam quondã dicta est ἑκατόμπολις, ut Erasmus Rot. scribit quòd centum habuerit oppida. Adpellat autem hoc loco presbyteros, quos paulo post nominat Episcopos, quare apud Paulum ijdem sunt presbyteri, qui Episcopi. Illud ætatis, hoc officij nomen est. Presbyter enim significat seniorem, Episcopus autem speculatorem, seu inspectorem. Sed de hoc posteriore nomine infra scribemus. Magis autem apti sunt ad officia Episcoporum seniores, quã iuniores, seu iuuenes, & nulla rerum experientia, ut sunt ferè homines in iu-

uenili

uenili ætate, docti.

Pertinet autem ad totam Ecclesiam hoc præceptum Pauli, non minus quàm ad Titum, ac necesse habet totus orbis ita prouideri, cura & custodia Episcoporum, ut Creta. Quare prodest obseruare, has formas Episcoporum, quas Paulus dilineat atq; depingit, ut in Ecclesiis semper tales curemus elegi & ordinari, si modo curæ est nobis gloria Christi, & salus animarum nostrarum. Ac prosunt hæc Pauli uerba non electoribus solum Episcoporum, sed interim ipsis quoq; Episcopis. Nam cũ ipsi seorsim hæc secum legunt, debent cogitare, quales se esse deceat, & quid pro officio Ecclesijs præstare. Debent præterea timore Dei, & amore Domini nostri Iesu Christi & Ecclesiarum, officium quilibet suum præstare.

SI QVIS EST INCVLPATVS.

Hic orditur formas Episcoporũ tradere & præscribere, quas si conferas cum huius seculi & ætatis nostræ Episcopis, uideris tibi in nouo orbe uersari, & in peregrina aliqua Ecclesia, quæ Christum & Apostolos Iesu Christi pœnitus ignorat, & monita hæc salutaria & necessaria irridet atque contemnit. Nam isti noua facie Episcopi, uerius sunt principes huius mundi, quàm Episcopi. Imò nihil prorsus uerorum Episcoporum habent, sed impostorum, perdentium Ecclesias, plurimum.

De forma Episcopi.

Miſſant enim, & indulgentijs illudunt Eccleſiæ, & baptizant campanas, & cætera huiuſmodi decora ſua faciunt. Nam Euangelium Ieſu Chriſti annunciare, & ſacramenta miniſtrare indigniſſimum ſuo officio ducunt. Quapropter & Chriſtus iſtos reiecit ac repulit, ut turpitudo eorum, cum ignominia & confuſione innoteſcat & traducatur, in toto mundo, & pueris fabula fiant quòd uidelicet in Euangelio Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti, miniſtrare contempſerunt.

Cæterum Vetus interpres, pro ſi quis eſt inculpatus, dixit: ſi quis ſine crimine eſt. Sed uox Græca ἀνέγκλητος, autore Eraſmo Roterodamo, nõ ita ſonat, quaſi dicas, uacantem omni culpa, ſed quem nemo poſſit accuſare, ſiue criminari, & uocare in ius ob crimen aliquod. Nemo enim omni culpa uacat, præſertim coram Deo, ſed apud homines, inculpabiles poſſumus eſſe. Ac talem uult eſſe Epiſcopum Paulus, ut qui inculpate apud homines uiuat, non qui ſit ſine omni peccato coram Deo. Cum talis nemo reperiatur, iuxta illud Prophetæ, Et ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in cõſpectu tuo omnis uiuens.

Igitur inaccuſabilem ſe præſtare apud homines, ſatis eſt Epiſcopo, quamq̃ eſt magnæ uirtutis. Quòd ſi hominum reſpectu de externis uicijs loquaris, etiã plus

plus est inculpabilem esse, quã crimine uacare, propterea quòd integritas, ut Erasmus inquit, non raro sit obnoxia crimini, ob speciem probabilem culpæ. Sed non debet admittere Episcopus, uel in speciẽ reprehẽsibile et uiciosum, etiãsi ipsum opus, seu factũ, careat crimine. 2 Cor. 6. Nemini dantes ullam offensionẽ, ut nõ uituperetur ministeriũ nostrũ. 1 Thess. 5. Ab omni specie mala abstinete. Quanquã enim hoc posterius dictum Apostoli in genere omnibus loquatur, tamen ab Episcopis imprimis requirit ut inculpate uiuant. Ne quos specie mali offendant, & alienent à fide. Quia Episcoporum uicia grauius lædũt, quàm reliqui uulgi Christianorum. Et tanto conspectius crimen in se habet, quãto maior est qui peccat.

Hoc itaq; caueant Episcopi, ne cui offensionem, uel per speciem criminis et culpæ, præbeãt: id tamẽ, quod fieri quoq; posset, in re per se licita nec inhonesta. Exempli gratia, ob speciem turpis lucri, seu cupiditatis auariciæ debent abstinere Episcopi ab omnibus usuris, & alijs prophanis contractibus qui instituuntur caussa lucri. Sicut etiam præcipitur ipsis, in Decr. dist. 47. Quanquam enim ciuiles leges, aliquo usq; adprobent usuras, & usura prætendat aliquam æquitatis speciem: (Quia uidetur æquum & iustum, ut beneficio exhibito, reddatur aliquod emolumentum. Similiter in usura utilitas attenditur: quia

per ipſam in republica, multorum hæreditates inco-lumes ſeruantur. Et plæriq; neceſsitatis cauſſa, atq; ut habeant unde uiuant, uxor, liberi & familia, lucra emendo & uendendo quærunt, &c.) tamen non ferendum eſt in Epiſcopo, poſſe uel per falſam ſuſpi-tionem de crimine notari, ſi hoc ſua culpa fiat. Vt in uſura, dat ſignificationem auariciæ, quanquam in caſu, quo nemini noceat, & in nullas leges peccet.

Atq; in hunc modum, de alijs ſimilibus caſibus iudicium fieri debet, & per alia multa exempla excutienda eſt ſpecies mali, quam præ alijs cauere diligentiſsime debebunt Epiſcopi, & in eo honori Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruire. Ac lege de cauſsis huius rationis plura. 1 Cor. 9. Nam & cap. 9: inter cætera inquit Paulus, Omnia mihi licent, ſed nō omnia conducunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat: ſed quiſque quod alterius. Ideoq; idem Apoſtolus frequenter abſtinuit ab ijs quoq; rebus, quibus cum ſumma hone-ſtate & ſummo iure uti potuiſſet, ac caruit eis, quorum uſum ipſa quoq; neceſsitas flagitabat. Sed maluit egere, ne cui daret occaſionem miniſterium Euangelij reprehendendi, ut de ſe ſcribit, 1 Cor. 9. Voluit enim, ſicut & debuit, per omnem occaſionem ſe Eccleſijs Dei inculpabilem Euangelij miniſtrum exhibere, quem omnes boni, & Eccleſiæ ueri Epiſcopi. curabunt imitari.

Tractat

Tractat autem hunc eundem locum Pauli quidam Canon, in Decr. dist. 25. sed ineptißime, & indoctißime, & miris modis nugatur, de paruis quibusdam, seu minutis peccatis, ut uocat, tolerabilibus scilicet in Episcopo, non intelligens sententiam scripturæ de peccato, & pharisaicis opinionibus iudicium de illo faciens, quem legat quisquis uolet suo loco. Quia indignißimus est, qui huc uel transcribatur, uel legatur in Christiano orbe. Pauli sententia est, sic decere Episcopum agere, ne ob ullum aliquod crimen, seu culpam, uideatur merito à reliqua Ecclesia accusari posse, in cuius oculis, & cum cuius offensione, peccat. Imò ne quidem ob suspicionem criminis: ut supra expositum est. Sed & dixi supra à Paulo hoc loco quasi propositionem principalem totius scripti constitutam esse, quam sequentia exponant atque confirment. Vnde per ea quæ mox subijcientur ex ipsius met Pauli scripto intelligetur, quid sit, quod iubet Episcopum esse ἀνέγκλητον & inculpatum.

VNIVS VXORIS VIR.

Non prædicat per se, neq; laudat hic locus coniugia, sed aliâs prædicata, præcepta & laudata, adprobat & laudat in ipsis quoque doctoribus — De cõiugio sacerdotum

Ecclesiæ, & Episcopis etiam libera permittit: Imò certis quibusdam de caußis necessaria facit. Neque enim liberum est cœlibem uiuere ulli homini, nisi quatenus dono continentiæ uere est præditus, & cœlebs uiuendo, uere castus uiuit, non indulgens scortationibus, & cæteris huiusmodi immundicijs peccati, quas aut lex damnat, aut à quibus abhorret natura.

Vt ergo non cogantur ducere uxores ulli homines, uere casti & sancte continentes, imò laudabile est & pium, si qui tales sunt, sic permaneant, tamen quicunq; continentiam illam laudatam præstare non possunt, iubentur matrimonia contrahere. Et eam ob caussam, ipsi quoq; Episcopi, coguntur habere, suam quisq; uxorem, si uidelicet extra matrimonij statum minus continenter uiuant, aut uiuere se posse confidant. Ideo si uolunt eligere coniugium, nemo debet, aut potest iure, illos arcere & prohibere à cõiugio. Alioqui, quis nescit, si sua spõte cœlibes permanere uelint, & caste uiuere, hoc ipsum liberũ esse eis, ut cœlibes permaneãt, & à nemine cogi posse, ut uxores ducãt? modo in cœlibatu isto suo pure et caste uiuãt. Quod igitur Paulus præcipit, de unitate uxoris, habẽdæ ab Episcopo, illud propter incõtinentes dixit, ne intelligas huius neceßitatis, & habendæ unius uxoris, aliam caussam esse, nisi ut scortationes uitent Episcopi. Idcirco enim suam quisque

uxorē habere iubetur, si aliter cōtinēs esse nō poßit. Nō potest enim, ut neq; uult, Apostolus leges matrimonij condere, sed conditas, positas & praeceptas à Deo, praedicat, laudat & cōmendat his oībus quibus opus est usu propriae cōiugis. Maxime aūt episcopis, ut facit in hac sua ad Titum, & in alia ad Timotheum epistola. Quia cum de formis episcopi scribat, docendum fuit, quomodo deceat episcopum in omnibus uirum honestum & inculpabilem esse. Qualis non est, quisquis uxorē ducit, uel ideo quia uxorem ducit, sed quantum ad rem coniugiorum attinet, honestate & unitate uxoris suae contentus, in matrimonio ita continenter uiuit, ut ab alijs corrumpēdis & polluendis sibi caueat, utq; usu suae uxoris tantum fruatur.

Proinde his qui dono continentiae non sunt praediti, sunt praecepta coniugia, multo magis his qui incontinenter & intemperanter uiuunt, prorsus omnibus sub coelo hominibus, nedum episcopis, qui prae alijs debent uitae exemplo lucere in Ecclesia. Nā & talem condidit hominem Deus, ut sit aptus ad coniugium, nec poßit nisi cupere sibi suam uxorē, nisi quem ipsemet Deus separat, peculiari dono continentiae illum honorans. Deinde, negatiua huius diuini praecepti, Non moechaberis, non solum adprobat coniugia in omnibus, uerumetiam praecipit omnibus, qui aliter continentes esse non possunt, ut suam quisque habeat

uxorem. Scortationes autem & libidines illas uagas, quas Deus damnat, fugiat. Nā si caste & continenter quidam uiuāt & amēt ita uiuere, nulla caußa est, cur cogantur ducere uxores. Idcirco tales semper opor tet excipere à neceßitate illa obedientiæ legis, quæ præcipit coniugia, ut quos Deus ipse excipit, & pri uilegio libertatis honorat. Sed et idcirco positum est negatiue præceptum, Non mœchaberis, ut non hoc solum sciamus, semper damnari scortationes, uerum etiam propter uitandas scortationes, semper præce- pta esse coniugia, his qui alioqui continenter uiuere non possunt, aut non confidunt. Sed rursus, si qui con tinēter uiuāt atq; ita uiuere amēt, nihil esse cur ad cō iugia cogātur. nō reprehēdit. n. lex nisi scortatiōes.

Iam Christi est illud Matth. 19. de puro cœlibatu & uera continentia. Non omnes capiunt uerbum hoc, sed quibus datum est. Proinde nihil obscure sig gnificat ueram continentiam ulli contingere, nisi do- nante Deo, cur igitur audent homines præcepta con tinētiæ dare, & quasi leges Deo suo præscribere do nandæ continentiæ? Aut certe irridendi & mandatū Dei, de fugienda scortatione? uel deniq; contemnēdi dona Dei? Cur præcipiunt. n. de continentia, his qui bus ultro & libere non est donata à Deo? An somni- ant Deū coactū legibus papisticis subseruire, & con tinentiam donare tot hoībus quot isti præcipiunt eā?

Siue

Siue potius, An iuuat istos libidines & scortationes per suas sceleratas leges multiplicare? (quod & faciunt) contempto tum Deo, tum legibus Dei, tum expectatione doni? Scio ac sum certus, q rem ipsam acu quod dici solet, tetigi, & nimis uere significaui, etiã si spũs impostores, erroris & impietatis, seipsos nesciãt. Itaq; Christus loquitur de uera cõtinentia, quã Deus donat, eamq; solam laudat nobis, & illam quæ à cõiugatis præstatur. Nos igitur damnamus pharisaicam illam, quam hoĩes præcipiunt, & nullam efficere possunt, in oĩbus quibus præcipiunt eã, nec præstare sua uirtute ueram, omnes quibus præcipitur, nisi de illa loquaris, quæ præstatur à coniugatis, qui licet debitam beneuolentiam sibi reddant. Iam etiam quod Christus inquit. Qui potest capere capiat, etiam laudat cœlibatum, sed in continentibus & castis, quos Deus tales esse facit, non hominum mandata. Neq; enim possunt uere cõtinentes efficere, ut dictum est. Etiamsi nimis efficaces sint ad multiplicandum damnatas libidines & prohibitas scortationes. Hæc enim uolo sæpius inclamare papistis, si forte experrecti audiant nostras accusationes & querelas.

Sed Pauli est illud 1. Corint. 7. Melius est matrimonium contrahere, quàm uri. Significat ergo præcepta esse cõiugia his qui fœde & turpiter uruntur, et incẽdia libidinis intra se sentiũt. Quales obsecro,

an nō sunt cœlibes isti papistici sacerdotes, inquam, monachi & totum cahos istud hypocritarum, eorum qui simulant continētiam uerius quàm præstant? aut quomodocunq; præstant, quam donatam à Deo non acceperunt? Rursus hoc quoq; Pauli est, eiusdem, quem suprà citaui, loci. Propter stupra uitāda suam quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum. Quæ an non sunt ministris Euangelij, hoc est, episcopis & præsbyteris quoque dicta? Certe episcopos propter hanc unam caußam iubet coniugatos & uxoratos esse, ne uidelicet sint scortatores. Nec aliud intelligit Paulus in eo quo illis præcipit de unitate uxoris, nisi ut suam quisq; inter eos uxorem habeat, de cuius ratione infrà copiosius scribam. Quasi dicat Paulus: Episcopus unam habeat, quæ sit sua uxor, & illa una contentus, à congressu aliarum abstineat.

Deniq; 1. Cor. 6 inquit Paulus: Fugite scortationem. Atq; idem testatur in eodem cap. quòd nulli immundi, nulli scortatores, nulli adulteri regnum Dei hæreditate consequi poßint. Vt ergo prohibita est quæuis immundicia & scortatio, & pœnam habet æternam condemnationem, ita præcepta sunt coniugia, ut qui extra matrimonij statum continentes nequeant esse, continentiam coniugalem præstent, ac sciant licitum esse coniugis usum. Et sperent immortalitatē, si p̄manserint in fide Domini nostri Iesu Christi.

sti. Sed Papa timorem Dei, & obedientiã erga illius mãdata abolet, & Christianos spoliat sua libertate, cui nihil prorsus cõcessum est in eos. Et quoniam autor est, ut plurimæ infandæ libidines in infinitũ multiplicẽtur, etiam priuat multos æternæ uitæ fœlicitate. Quod nisi pro officio Antichristi aduersarij istius Dei & Iesu Christi, & communis omnium hostis salutis Christianorum facere non potuit.

Hæc ergo sentẽtia quam recitaui, ut est ipsiusmet Dei & Domini nostri Iesu Christi, tum apostoli Pauli: ita necesse est, ut in eam omnis reliqua Ecclesia sanctorum consentiat. Oportet enim consensum Ecclesiæ sanctæ catholicæ unum & eundem esse, ut etiam hac in parte improbet uiolationem mandatorũ Dei, & caussas uiolationis, hoc est, ut damnet, episcopis et presbyteris libertatem coniugiorum non relinqui, prorsusq; adimi propriæ coniugis usum. Vt qui contrà sentiunt ac statuunt, eos necesse sit aut errare per ignorantiam, aut per malitiam ueritati aduersari, et ex Diabolo esse. Hunc enim impostorẽ habemus principalem caussam & autorem omnis mali, peculiariter efficacẽ in incredulis & inobedientibus istis, qui mandata Dei susq; deq; faciũt, tantum ut suæ temeritati reliqui obsequãtur, ut papistæ, q caussas prohibiti cõiugij in sacerdotibus nullas alias habẽt, nisi suas ambitiosas cupiditates, ut in opibus Ecclesiæ insolen

tius dominari, ne dicam libidinari poßint: Lege in Decret. dist. uigesimaoctaua.

Proinde manifestum est & ex loco Pauli ad Titum, in quo enarrando nunc uersor & ex omnibus quae hactenus in eum locum dixi, ministris Ecclesiae, pastoribus dico & episcopis, quos illa habet omnino liberas esse nuptias. Et Papam uiolentum tyrannum esse, & impostorem, spiritu Diaboli agitatum, quod interdixerit illis nuptias. Neque parendum esse Papae in hac impia constitutione, non magis quàm si in uniuersum prohiberet apud omnes legitimas nuptias. Tum sacerdotes ipsos, multo honestius & sanctius agere, si contrahant matrimonia, quàm si foede urantur, etiamsi uere abstineant se ab usu mulieris. Sin minus continenter uiuant, aut uiuere se posse desperent, tum uxores in remedium eius mali ducãt, ne in publico sint scandalo toti reliquae Ecclesiae, aut per fornicationem ipsi se foelicitate aeternae uitae priuent, & cum corpore & anima Diabolo tradant ac perdant.

Hic oportet addere, ꝙ quicunq; sacerdotibus prohibẽt cõiugia, siue episcopi, siue principes seculares, id ea prudentia & dexteritate istos facere, qua aliàs solent oĩa, omnes traditi in reprobã mentẽ, nisi quantum excuset illos inuoluntaria ignorantia. Offenduntur casto coniugio sacerdotum, immundicijs aũt &

turpitudine

turpitudine, & scortationibus nõ offendũtur. Quid speres à talibus ꝓ gloria Dei, & salute Ecclesiæ, amore honesti, odio turpitudinis, dolore & tristitia pereuntiũ animarũ fieri atq; præstari posse? scilicet, quos credas turpitudine & blasphemijs in Deũ, & ꝑditionibus miserorũ delectari, nisi sunt, ut iterũ dicã, qui ignorantes papisticis abominationibus seruiunt.

Bonorum pontificum & pij magistratus est, uel cogere eos qui incontinenter uiuunt, ut statum coniugij suscipiant & ingrediantur, uiuant honeste, pie & sancte potius in illo, quàm in pharisaico cœlibatu, turpiter, impie & perdite. Aut certe punire debent licentiam scortationum, tam in sacerdotibus quàm in uulgo. In primis autem episcopos & Ecclesiæ doctores puniant, si incontinenter uiuant, & cogant illos ad coniugij cõtinentiam. Aut repugnantes officio administrationis deijciant, & alijs legitimis pœnis affligant, ne perpetuo sceleris & audaciæ facinore alijs sint noxij in Ecclesia. Tum alios meliores & honesti amantes uiros publicæ administrationi sufficiant, qui sine hoc tanto ac tali scandalo, quantum ac quale præbent scortantes sacerdotes, Ecclesias gubernent.

Sed ad Paulum reuertor, qui liberas prædicat nuptias, & usum coniugiorum, & ubi laudat ac suadet cœlibatũ, nõ ministris Ecclesiæ loquitur tãtũ, sed

omnibus qui erant Corinthi. Et per consequens cunctis Euangelium & fidem in Christum Iesum professis, hoc est, uniuersali Ecclesiæ, ubicunq; illa degit, in toto terrarum orbe. Igitur ex illius scripto eius loci de quo loquimur, nihil potest haberi, quod pertineat seorsim ad sacerdotes, multo minus, quod faciat ad papisticos sacerdotes, siue ad papisticũ cœlibatum: Quanquam sint qui impudenter eo torqueant Pauli scriptum. Sed dicam de cœlibatu, cuius Paulus facit hanc præcipuam caussam, quam adferebat præsens, ut inquit, necessitas, hoc est, persecutiones illæ, quas tunc sustinebat Ecclesia propter confessam fidem in Christum. In quo casu certe tutius agit, & promptius cõfitetur, qui non est alligatus uxori, aut quæ non est alligata uiro.

Etsi præterea hoc quoq; significat, cœlibes omnia expeditius agere, q̃ sunt officij Christiani, quàm coniugatos, nec distrahi illos in morem coniugatorum, uel cura rei domesticæ, uel alijs occupationibus, ne quid minus sedulo aut negligẽter præstent. Sic enim inquit. Afflictionem tamen carnis habebunt tales. Sed in toto illo scripto cautissime loquitur, ne cui laqueum inijciat. Nam ita quoq; dicit: Hoc ad utilitatem uestram dico, non ut laqueum uobis inijciam, sed ut id quod decorum est, sciatis, ut adhæreatis Domino assidui, non distracti. Sed hæc quid ad Romanum

Pontificē, qui non prædicat libera cōiugia? Imò, qui nihil obſcure dānat cōiugia in toto genere ſacerdotū.

Non eſt autem diuerſa Chriſti ſententia ab illa Pauli, Matth. 19. ubi dicit: Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, hoc eſt, ut expeditius & firmius confiteantur Euangelium regni Dei in perſecutione. Adde, ſi libet, & hanc rationē, ut dicantur ſe caſtrare propter regnum cœlorū, quicunq; cœlibes manent, ut quælibet alia officij Chriſtiani facilius præſtent ac faciant. Nihil .n. repugno. Sed Papa nō facit talem aliquam cauſſam cœlibatus, quem præcipit, ſed fingit eſſe rem minus licitam & immundam in ſacerdote. Quod cedit in infamiam totius coniugij, imò Deo ipſo eſt ignominioſum, nempe autori coniugij.

Et quis eſt tandem Papa, q̃ audet leges Dei reſigere? An nō Antichriſtus ille, qui eſt uaſtator omnis honeſtatis et pietatis in Deū, quē olim ignorabamus? Num enim poteſt Papa incōtinentibus ſacerdotibus prohibere nuptias, & licētiam & impunitatem ſcortandi concedere? Quod ſi non poteſt, quo præiudicio facit, ſi nō Antichriſtiano? Quos .n. ſacerdotes Papa & papiſtæ ſerio corripiunt, propter ſcortationem et turpitudinem eius? Imò cur non ſinunt ſacerdotes ſua libertate frui, quam habent à Deo, ne reprehenſibiles fiant, propter admiſſam ſcortatiōem? Neq; enim tam

Pauli, quàm Dei uox est illa 1. Corinth. 7. Propter stupra uitanda, suam quisque uxorem habeat.

Vt ergo qui donum continentiæ habent, honesto & pio instituto cœlibes manent: ita qui illo dono carent, periculose consulunt sibi, si constituant secum, q; cœlibes uiuere uelint. Multo aũt periculosius, qui ultro se per uotum astringũt ad cœlibatum: fortaßis plerunq; ignari uirium suarũ. Stultius aũt, qui coacti papisticis legibus continentiam uouent, ut papistici sacerdotes faciunt, cum melius longe esset, non uouere, & prorsus non fieri sacerdotem, quàm ita uouere, & per turpißimam & impijßimam conditionem suscipere sacerdotium. Et adhuc peius agunt, qui uouent continentiam, quam præstare nunquam in animum induxerunt, ut metuendum est à multis fieri, qui sacerdocia, siue præbendas, ut uocant, apud papistas ambiunt.

Denique omnium peßime facit Papa ille Satanæ minister & aduersarius Iesu Christi, q; legittimas nuptias in sacerdotibus reprehendit ac damnat, & uotum continentiæ tyrannice ab omnibus requirit, tum contra Deum & mandata eius, tum etiam contra publicam honestatem. Sed & priores isti, quos dixi, cum Papa, omnes irridere uidentur & contemnere Deum, eo q; laudabile & honestũ coniugiũ deserũt, uel ex pharisaico instituto, uel propter mandata hominum,

minum & doctrinas dæmoniorum, quibus uidelicet seruiunt, & ab obediētia mandatorum Dei abstrahi & absterreri sese patiuntur. Omnium aūt grauissime peccat Pōtifex, qui suis Diabolicis doctrinis autor est alijs, ut mandata Dei contemnant. Quanquam nunc securus fastidit nostras illas iustissimas accusationes & necessarias querelas contra impietatem & uim iniustam, quā facit his, quibus prohibet ducere uxores. Sed erit quando ultra non ridebit, sed plorabit.

Addo nūc, Si continentia est donū, quod diuinitus contingit hoībus, ut suprà declaratum est, contingit quidem paucissimis, quod res ipsa testatur, & experientia publice apud omnes docet: certe furiosorum est, leges condere de uitando cōiugio, quæ tot mille hominibus præsertim, sine discrimine aut mitigatione legum imponuntur. An non enim hoc est ui cōpellere hoīes ad scortandum, & Diabolo obijcere & tradere secundū suam uoluntatē & desiderium? Si enim adest nobis uera cōtinentia à Deo donata, quid opus habemus legibus Papæ? Si autem non adest, quid, obsecro, molitur Papa prohibendo nuptias? Aut quid efficit uel operatur? Sane quidem, castum efficere neminem potest, & uetat tamen uxores ducere. Sed hoc pacto, si non iubet uerbo atq; edictis propositis scortari, tamen scortationum est uehemens & summa caussa. Ideo eius mandata, quibus coniugia sa-

cerdotum damnat, non possunt non ex Diabolo esse.

Alia confutatio cōtra eos, qui coniugia sacerdotum damnant.

Age uero, quando se obtulit mihi occasio, uolo scele ratam audaciam Pontificum Romanorum paulo copiosius & firmius de impio & blasphemo errore cōuincere, cuius fuerunt in Ecclesia autores, in damnato coniugio sacerdotum, & defendunt illum tanquam pium, utilem ac necessarium. Atq; adeo frequēter admoniti, corrigere & abolere nolūt, cū sit plus quàm barbaricæ, crudelis, impiæ, inutilis, pharisaicæ & noxiæ constitutionis. Sunt igitur duo summa capita erroris & impietatis, circa quæ omnes papistæ impingunt in eo q, abolēt libertatem coniugiorum in sacerdotibus. Prius, ut dictum est, q, contra decretum Dei & Apostoli Iesu Christi institutū damnant coniugia in clero, ut uocāt, siue in doctoribus & episcopis Ecclesiæ. Alterū, q, fingūt Paulū concionari, nescio q̄, cōtra digamiā & polygamiā, & istius occasione uocabulū digami tam copiose, scelerate, nequiter & malitiose, prorsusq; papistice interpretantur ac torquent, ut nihil suprà cogitari, nedum dici, siue ad cumulum impietatis quomodocunque aliter accedere posit.

Prohiberi itaq; episcopos, pastores, sacerdotes, & Ecclesiæ doctores à coniugio audacia & temeritate Romanorū Pontificum & reliquæ totius sentinæ papistarum, per se notum est, cum etiam uelint et

gaudeant

gaudeant in eo prædicari. Sed prædicabimus eos, ut merentur, qui iam dudum neminem ordinant siue ad mittunt ad officiũ ecclesiasticũ, nisi qui uoto se astrinxerit prius, q̃ uelit in perpetuum totius uitæ suæ, unitate, commertio & consuetudine uxoris carere, hoc est, abstinere se ab honorabili cõiugio, et uitare illud, ceu rem iniquam, fœdam ac turpem & indignam homini sacerdoti scilicet, episcopo et Ecclesiæ doctori. Itaq; & plurimi canones extãt, in quibus iubent isti pseudoepiscopi ecclesiarũ, & honestatis uastatores, ne q cõiugati ad sacros ordines admittantur, cũ etiã si qui admißi, deinde ad honorabiles nuptias aspexerint, eos rursus spoliant officio ecclesiastico, & deturbant inde atque deijciunt ceu inutiles & perniciosos Ecclesiæ.

Hoc itaque fieri ab istis pestibus Ecclesiarum & corruptelis bonorum morum, contra doctrinam Domini nostri Iesu Christi, adeoq; contra ordinationem Pauli, & totam sanctam Ecclesiam, suprà abunde expositum est. Quo nunc lectorẽ remitto, ut breuius et citius me absoluã. Illud igitur facinus nõ est flagitiosum tantũ, uerum etiam blasphemũ in ordinationem Dei, & totũ cõiugiorum statũ infamat. Si. n. coniugem esse indignũ est sacerdoti, cui Christiano poterit licere, bonũ aut honestum esse habere uxorẽ? Nonne enim ipsum uerbũ Dei, Euangeliũ salutis nostræ, oĩa

sacramenta, & quicquid sanctam Ecclesiam efficere potest, sunt ex æquo omnium Christianorum? Nihil enim plus ex illis habent, & usurpare sibi possunt sacerdotes, quàm quilibet ex infima plebe. Nisi quòd sunt ministri harum rerum, & quòd necessitas eis incũbit ministrandi & conferendi hoc quicquid est rerum sacrarũ oĩbus dignis & recte ac debite petentibus eas. Quòd si administratio requirit cœlibes, & administratoribus indignæ sunt nuptiæ, quomodo licebit coniuges esse eos, qui bonis ipsis administratis utũtur? An plus est ministrare res, quàm rebus ipsis participare, uti ac frui? Seruus ne maior est, qui ministrat an dominus cui ministratur? Pudeat uos pharisæos & hypocritas in tantis criminibus inscitiæ & impietatis deprehendi.

Vide etiam & expende, quale sit & quàm inaudite tyrannidis & crudelitatis facinus, hominem prohibere unitate & consuetudine uxoris. Quæ enim uiolentia tyrannorum cum hac conferri potest? Aut quæ barbaræ Gentes unquam tale quid molitæ fuerunt? Deinde, quis dedit eis potestatem in Ecclesiam, nisi quæ est ministerij & seruitutis? In administrando autem quid possunt, nisi docere alios de beneficio redemptionis per Christum, aut exhortari illos ad opera bona, uel cõsolari per sacramẽta, tũ eos qui cõtradicunt arguere? Quid mihi ultra hæc cum Romano

mano Pontifice aut ullis alijs episcopis? An possunt illi spoliare me pecunia mea? Et, quod maius est, an possunt me libertate coniugiorum fraudare, dominari in conscientia, & perdere animam, quam Deus seruare quærit? Quis dedit eis, & ubi hanc potestatem? Imò cui seruiunt in hac impietate, quæ potestate Domini nostri Iesu Christi ex diametro pugnat et aduersatur? Dicam paucis, & clare. Nam instinctu Diaboli prodierunt, ex nobis progreßi, cum non essent ex nobis, ut Ioãnes inquit. Isti, inquam, qui iamdudũ deserto & corrupto ministerio ecclesiastico, tyrãnides in Ecclesia affectarunt. Et ultra alia innumera mala quæ introduxerunt in Ecclesiã, & quibus propè deleuerunt eam, etiam his barbaricis & lenonũ edictis, planèq; Diabolis grassantur, & Ecclesiam Dei turbant, uastant atque perdunt.

Sed dißimulatis paulisper his impietatibus, rogo istos per omnia sacra, perq; Christum Iesum Dominum & seruatorem nostrum, si uideri uolunt uiri honesti & boni esse, & ipsum Dominum Christũ reuereri & honorare, ut dicãt nobis, cũ qua utilitate Ecclesiarũ, publicæ honestatis et Reip. cõdiderint istas uiolẽtas, ne dicã pharisaicas leges, aut retinere eas uelint, qbus uetãt & prohibẽt, ne Ecclesiæ ministri sint uxorati. Quõ.n. potest Ecclesiæ aut in publico noxia

*esse sacerdotis uxor?* Imò *quomodo non honesta potius esse, & ornare* Ecclesiam, *uidelicet pudica, honesta, casta, & liberos educans in timore* Domini? Nam *si laudabiles sunt, q̃ tales reliquis* Christianis *contingunt, quomodo nõ sacerdotibus laudabiles erunt, et* Ecclesiæ *ornamẽto? Aut nihil ne sperãt boni peruenturum in* Ecclesiam, *à sexu mulierum?* Nam *si omnes mulieres uitiosas credunt, & occasionem mali bonis esse, cur non in uniuersum abolent totum coniugij statum? Imo cur miscentur scortis, & alunt meretrices, qui legitimæ coniugis usum & honorabiles nuptias tam odiunt, abominabiles ducunt & execrantur?*

Coniugia *sunt præcepta à* Deo, *omnibus sub cœlo hoı̃bus, qui dono continentiæ non sunt præditi, quod suprà dictum, demonstratum & probatum est.* Quid *igitur habet, obsecro, hanc necessitatẽ tantæ utilitatis, uel in speciẽ probabilis* Ecclesia *q̃ fingitur (*Nam *quæ uere est* Ecclesia Dei, *ea retinet ac seqtur uerbũ* Dei*) cur debeat abrogari, tolli, & irrita fieri libertas coniugiorũ in sacerdotibus?* An *poßũt ne papistæ melius q̃d mãdatis* Dei *cõstituere & ordinare?* Id *uero doceãt nos. Si uero nõ poßũt, cur iubẽt, ut relictis optimis & diuinis cõstitutiõibus ad peßimas & pharisaicas hoı̃m constitutiones relabamur?* O *ineffabilem temeritatem sceleratißimarum cogitationum.*

Iam

Iam, quod supra quoq; dictum est, Episcopi persona, præ alijs bono & sancto uitæ exemplo, lucere in Ecclesia debet, sed hoc ne fiat, obstant ministri isti Satanæ, qui prohibent, ne Ecclesiarum pastores Episcopi uxores ducant. Nam impoßibile est, tot Episcopos & Sacerdotes, quot semper habuit Ecclesia, & semper habere debet, perpetuo tenore in cœlibatu, quo uitant & fugiunt matrimonia, imò uitare & fugere coguntur, caste & continenter uiuere, aut certe, nõ fœde & turpiter uri. Nihil hic suffragari mihi uolo, nisi experientiam testem, quæ omnium conscientias reuincit. Tum omnium illa turpißima exempla fornicationum, immundiciarum, & adulteriorũ, quæ nostra ætas uidit, & adhuc uidet in Ecclesia Papæ. Nã Ecclesiæ Dei est alia facies. Habet enim Episcopos uxoratos, & prædicat libertatem coniugiorum, nec præbet occasionem scortandi, sed omnibus modis tollit, & abrumpit eam. Nec propter aliud præcipit, ut Episcopi habeant suas uxores.

Scribit Theophylactus, id quod hic à Paulo dictũ est, talem uidelicet ordinandum esse Episcopum, qui sit unius uxoris maritus, eo dictum esse, ut hæreticorum ora occludantur, detrahentium seu obtrectantium nuptijs. Sed hunc scriptorem habuit orientis Ecclesia, inter quã, & suam occidentis, ipsi quoq; Papistæ discernũt. Et fingũt in sua Ecclesia, recte scilicet

constitutum atq; ordinatum, & pie receptum esse, quod olim in Orientis Ecclesia nemo potuit neq; uoluit recipere, aut adprobare, ut piam & sanam constitutionem, qua uidelicet libertas cõiugij sacerdoti interdicitur. Vide igitur mirabiles uices. In ueteri orientis Ecclesia, non fuit hæreticus, quisquis probabat sacerdotum coniugia: In noua illa papistica Ecclesia hæreticus est, quisquis adprobat coniugia sacerdotum. Et rursus, in Ecclesia orientis hæretici sunt, quicunq; nuptias sacerdotum improbant & dãnant, in Ecclesia autem papæ sunt uiri sancti Catholici & Christianæ pietatis curatores. Nisi quòd Ecclesiæ Christi hoc ipsum probare non possunt.

Quid igitur, & cui Ecclesiæ tandem iungemus & sociabimus Deum, Christum & Apostolos? Certe enim, in ecclesia Papæ, non recipitur laudator coniugij Sacerdotũ, multo minus, qui præcipiat, ut Episcopi habeant suam quisq; uxorem. Male igitur illi omnes in Ecclesia papæ audiunt, qui fauent cõiugio sacerdotum, & papistis ipse quoq; Deus hæreticus est. Deinde Christus quoq;, & Paulus istis sunt hæretici. Deniq; tota sancta Ecclesia catholica, est iudicio istorum quædam colluuies immundiciæ hæreticorum. Quia oportet, ut in idem uerbũ Dei tota consentiat, & adprobet cũ Deo, Christo atq; Paulo coniugia Sacerdotũ. Intelligis opinor ex his, quo usq; promouerit

mouerit cum sua pietate & sanctimonia Papatus, qui habet Episcopos & sacerdotes, scortatores, lenones, & meretricum alūnos. Nihil per contumeliā dico, sed dolore Christiano propter afflictionē Ecclesiæ, & odio execrabilis turpitudinis, quæ defenditur pro iusticia & pietate, hæc omnia scribo. Nihil fingo, sed rem ipsam, quod nemo melius nouit quā papistæ, & facti historiam narro, impijs in confusionē, pijs autem in suæ fidei confirmatius robur.

Sed hæc hactenus, contra blasphemias, damnantiū honestatem coniugiorū in sacerdotibus, Ecclesiæ ministris. Venio nunc ad alterā illam partem, in qua recepi me dicturum, de digamia & polygamia, quæ fingitur à Papistis: & natura non est, uel digamia, uel polygamia. Et tamen ita male audiūt, res illæ bonæ & sanctæ, (de honestis cōiugijs loquor.) aut per insciciā, aut per calumniā & malignitatē infamatæ, ut etiam eorū coniugia, ceu immunda damnentur, & indigna iudicentur sacerdotibus, qui neq; digami neq; polygami unquā fuerunt. Contendunt itaq;, quòd Apostolus ipse arceat ab administratione ecclesiastica, eū qui sit digamus, multoq; magis, si polygamus, propterea, quòd statuit, ne sit Episcopus, nisi unius uxoris uir. Sed postea affingunt, digamū esse, eū qui aut duas successiue uxores habuerit, aut qui ab alio relictam, id est, uiduā, in matrimonium suscepit. Vel

De papistica digamia & polygamia.

deniq; qui ab alio stupratam duxit, quanquã uirginem credens. Hos igitur omnes abigunt Papistæ ab administratione sacrorum, & sacerdotio, seu ecclesiastico officio priuant, digne scilicet, & uehementer papistice. Sic enim decet fieri ab his, qui ordinationem Dei, quæ est in puritate & honestate coniugiorũ, odiunt, & in omnibus infamant atq; dehonestant. Tum suam ipsorum hypocrisim & turpitudinem summis præconijs uehunt, & omni dignitate ornant in Ecclesia, quasi eo ipso placeant Deo, & sint digni officio & administratiõe ecclesiastica, qui quo modocunq; cœlibes uiuunt.

Sed si caussa hac nostra, imò Ecclesiæ catholicæ, Iesu Christi et Dei Patris, serio afficiuntur Papistæ dicant obsecro omnium primo, nũ agnoscant, Paulũ sacerdotibus cõcedere libertatem coniugij, cum una uxore? Si enim non agnoscunt, ociose hæc & frustra de digamia & polygamia hoc tempore disputantur, tametsi à quibusdam, in infamiam coniugij sacerdotalis proferuntur. Si autem agnoscunt, quid spoliant Sacerdotes unitate uxoris, per suas execrabiles leges? Nam totum coniugij statũ reprehendunt & dãnant papistæ, ut illicitum & immundum in sacerdotibus, idq; contra Paulum, imò contra Deum. Et auferunt illis, quod Deus, & ministerio suo Apostolus Iesu Christi conceßit, & donauit, Fures scilicet, &

latrones

latrones pernitiosißimi in Ecclesia. Qui sibi sumunt imperium in homines, in quos penitus nullũ habent, & quidem, tam crudele, uiolentum, atrox, impium, & periculosum his, quibus usum propriæ coniugis interdicunt, hoc est, uetant, ne Episcopus habeat suã uxorem. Nam ista crudelitate pharisaicæ legis, de præstando cœlibatu ab Episcopis & sacerdotibus, plurimas haud dubie animas occidunt, ac perdunt, & priuant illas fœlicitate æternæ uitæ. Quia non tã tum præbent occasionem licentiæ Scortationum & turpißimarum libidinum, sed etiam sunt efficax causa, fornicationum multiplicatarum in tota Ecclesia exemplo sacerdotum. Sed pergo:

Esto igitur, ut res per se indigna sit Christiano, & præsertim sacerdoti, digamia & polygamia, (de hoc enim non contendo, planeq; improbo eum, qui per intemperantiam & ardore libidinis, una sua uxore contentus esse nolit, et plures affectet, seu quærat, &c.) tamen neq; digami, neq; polygami sunt, illi supra memorati, quos esse uos Papistæ fingitis. Nec sunt in coniugio inhonesto. Ideoq; nec prohiberi, aut deturbari, ab officio ecclesiastico debuerunt, si tamen in alijs idonei ad ministerium, & digni reperti fuissent. Non iam excutio negotium digamiæ, sed cum Papistis ago, qui honesta coniugia, per sua blasphema commenta damnant. Tum eorundem oc-

casione, ministerio ecclesiastico deijciunt, qui ecclesiæ utiles esse potuerunt: & alios inutiles & perniciosos admittunt, tantum ut pharisaico cœlibatu, seu simulata apud homines castitate, se Ecclesiæ probēt.

Non igitur inter digamos numerari debuerunt, qui unius secundæ, aut uiduæ, aut corruptæ, mariti fuissent: multo minus reprehendi eorum coniugia, ut uiciosa & indigna Ecclesiæ ministris. Et ut contendas, digamum appellandum, qui est unius secūdæ maritus, num est propterea in coniugio uicioso & inhonesto? Sed si coniugio utitur, digno Christianis: quomodo idem coniugij status erit indignus Ecclesiæ ministro? Num coniugium per se honestum, uiciat ministerium, ò hypocritæ? Sed quomodo digamum probabitis, aut coniugio parum honesto uti, eum qui uiduam duxit in uxorem: aut qui stupratam duxerit, ignarus præsertim uiolationis ab alio factæ? Hos scilicet culpabitis, tanquam uiciosos & indignos ministerio, propter alienam culpam, nempe uxorum? Et quidem earum, quæ aut non habent culpam seu uitium, ut uiduæ: aut si culpabiles fuerunt, per pœnitentiam emendatæ sunt, ut ipsis quoq; angelis & Deo probentur ac placeant, & cōmertio tamen Episcopi apud papistas indignæ reputentur. An non sunt hæc summa scādala in Ecclesia Christi: qui uenit saluos facere peccatores, et pœnitētes reuersos recipit

in

*in cœtum Christianorum & filiorum Dei? Tum filiarum, quæ commertio tamen ministri Ecclesiæ, apud papistas, indignæ reputantur?*

*Quid quòd his cõmentis digamiæ blasphemant opus & creaturam Dei? Nam si illæ tales nuptiæ, de quibus in præsentia loquimur, sunt indignæ sacerdotibus, seu ministris, quomodo non omnibus Christianis erunt indignæ? Nam omniũ Christianorum, quis est magis altero, aut minus Christianus? Imò quis magis, aut minus sacerdos? Nonne hæc sunt ipsius met Petri, ad omnes Christianos? 1 Pet. 2. Vos estis genus electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, &c. Si ergo ministris Christianorum sunt indignæ istæ nuptiæ, quomodo non omnibus Christianis? Sit ergo summus Ecclesiæ minister, tamen minimus Christianus non est inferioris dignitatis coram Deo, & nulla re parum honesta debet uti. Coram Deo, & in Ecclesia Christi cessat personarũ respectus, nec alius alio maior, dignior aut minor est. Nec magnus, nisi quẽ gratiæ prærogatiua efficit præstantem & magnum, in Christo Iesu. Non ergo damnabitis hæc coniugia in sacerdotibus, aut certe, in oĩbus Christianis probabitis indigna & immunda esse.*

*Iubetis, ut honestatis publicæ ratio habeatur, maior in ministris, quã in alijs? ergo inhonesta probabitis hæc cõiugia? Nam eadem blasphemia usq; redit.*

Non est autem ferendum, ut uestris pharisaicis legibus, opus & ordinationē Dei infametis. Quin etiam si honestatis rationem haberetis, libera permitteretis coniugia sacerdotibus, omnium prorsus specierū, ut reliquis omnibus Christianis. Honesta sunt enim coniugia, & thorus matrimonialis, est immaculatus. Sed uos male audire facitis honestatem coniugiorū et pharisaismum docetis, & multiplicatis scortationes, immundicias & peccata in Ecclesia. Nam etiam fieri potest, ut uestri isti cœlibes, quos creatis, summe displiceant Deo: nō propter aliam caussam, nisi quia cœlibes uiuunt, etiamsi cœlibatus sit res libera & media apud Christianum, ut cōiugium. Et nemo melior aut deterior fit propter ipsum: nemo magis, aut minus Christianus. Tamen non est liber immundis, non tantū qui incontinenter uiuūt, sed illis quoq;, qui sunt uiciosi coram Deo impuritatem inuoluntarij cœlibatus.

Alijs itaq; papistarū indignæ creduntur nuptiæ sacerdotū, nec recipiunt nisi cœlibes. Alij, etsi cōiugia non damnent penitus in sacerdotibus, tamē secunda cōiugia uituperant: tū etiā, si Episcopus maritus sit, unius uiduæ, aut stupratæ. Ideoq; tales oēs remouētur ab officio Ecclesiastico. Quid fit ergo? hoc scilicet. Vt frequenter reijciantur, hoīes literati, docti, in literis sacris exercitati, boni & honesti uiri, potentes

tentes in doctrina ſana, ualentes exhortatione, & ad redarguendum contradicentibus ſanæ doctrinæ apti, nulla alia culpa execrabiles papiſtis, niſi quia ſunt uxorati, & in honorabili coniugio uiuunt. Hæc ſcilicet eſt operatio Diaboli, odientis cõiugia, maxime autem fœlicitatem Eccleſiarum, quarum uaſtitatem & euerſionem his uijs quærit. Rurſus ad ſacerdotium & epiſcopalem dignitatē ferè admittuntur, homines indocti, ignari ſacrarum literarum, neq; boni neq; caſtitatis amantes, tantum phariſaico cœlibatu cõmendabiles, & plerũq; ſcortatores. In quo eſt deſiderium & uoluntas Diaboli, qua quoniam ualuit in ſpiritibus phariſaicis & impoſtoribus, ex his fructibus iudicare de iſtis debemus, & cognoſcere unde leges prohibiti coniugij, & à quo, prodierint in mundum. Videlicet, ab ipſomet Diabolo, cuius fuerunt miniſtri, ea in re, qui coniugia ſacerdotum, ſeu miniſtrorum Eccleſiæ, damnauerunt. Multa ſunt horribilia exempla, quæ me nimium uera ſcribere, de his calamitatibus eccleſiæ teſtantur.

Quid unitas uxoris, cur & quomodo Epiſcopis præcepta.

Eſt autem inconſiderantiæ papiſticæ aliud exemplum et argumentum, quòd hoc ipſum quod Paulus iubet, Epiſcopum eſſe unius uxoris uirum, digamis & polygamis opponunt potius, quàm licentiæ ſcortationũ. Quaſi Paulus de numero uxorum Epiſcopi ſollicitus fuerit potius, quàm de honeſtate uitæ, aut

non scandala uoluerit cauere potius & arcere, quæ præbent scortatores in Ecclesia, quā prohibere ne Episcopus unam secundā aut tertiam uxorē ducat. Quod igitur Paulus de unitate uxoris præcipit, nō tam affirmatiue, quā negatiue necessario accipitur: ut Clarißimus Ecclesiæ doctor, Martinus Lutherus, in quibusdā suis propositionibus, de digamia Episcoporū, firmiter & clare probat, uulgatis anno ab incarnato Christo, 1528. Si enim affirmatiuū esset præceptum, non liceret unquā Episcopū cœlibem esse, sed necessario semper cogeretur unius uxoris maritus esse. Voluit ergo, illo præcepto de unitate uxoris castitatem cōiugalem docere, quasi dicere uoluerit, uxorē habeat, & illa sua una contentus, caste uiuat. Ne uidelicet, aut uirgines uiciet, aut matronarū pudicitiam uiolet, aut cum quauis alia scortetur.

Proinde unitas uxoris, significat honorabile coniugium, & castum illud, in quo maritus usu propriæ coniugis cōtentus, nullas alias petit. Præcipitur autē ea caussa Episcopo, illa unitas, ne, ut dictum est, sit scortator: & suo uiciose exemplo Ecclesias Dei perdat. Iubet enim Paulus Episcopū irreprehensibilem esse: & illius neceßitate præcipit, ut unam aliquā suam uxorem habeat. Alioqui, quis nescit, si Episcopus dono continentiæ & castitatis sit præditus, & uelit cœlebs permanere, id liberum ipsi esse: & non

cogi

cogi eum, ut uxorē ducat? Sed cum nō omnes Episco pi sint præditi dono continētiæ & castitatis, libertas in usu coniugiorum, apud omnes Christianos, & Episcopos quoq;, regnare debet. Sed Papistæ creant nō solum, per suas impias, immundas & abominabiles leges, uerū etiam cogunt fieri Episcopos scortatores. An non enim uerbū hoc Dei, crescite & multiplicamini, omnibus hominibus accreatū et impositū est? nisi quē Deus ipse alio uerbo, aut facto, aut dono suo excipiat? Sed tu hypocrita, si tuis legibus prohibeas tantæ multitudini Episcoporū & sacerdotum nuptias, quid efficias nisi immundos & scortatores?

Sic ergo præcepta est unitas uxoris Episcopo, ut necessario semper suā uxorē habeat, si aliter pure uiuere, & scortationes uitare nequeat. Vt supra abunde copiose & clare docui, per hæc testimonia Pauli: 1 Cor. 7. satius est matrimoniū cōtrahere, quā uri. Et, propter stupra uitāda, suam quisque uxorem habeat. Et per illa Christi, Matth. 19. Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Et, qui potest capere capiat. His enim testimonijs docetur sane libertas coniugiorum, quæ omnium Christianorum esse debet. Quare flagitiosissimum est prohiberi Episcopum unitate uxoris, hoc est, prohiberi, ne suam uxorem habeat, esto sit secunda aut tertia, &c: Nec potuit hoc conari quisquam alius in Ecclesia

Dei,quã aduersarius iste Dei & Ecclesiæ Iesu Christi Antichristus, uastator omnis pietatis & honestatis. Qui regnans uel potius grassans ac tyrannizans in Ecclesia Dei, tanquã sit Deus, & cui liceat in totã Ecclesiam pro libidine sua sæuire:

Prorsus enim simile facinus ac scelus est, arcere Episcopum unitate uxoris, atq; si prohibeas bonũ et honestum uirum esse, & iubeas scortatorẽ esse. Aut si prohibeas, ne officia alia faciat, sine quibus Ecclesiæ utilis esse non potest, uel præcipias, quæ si faciat, non potest non pernitiosus esse, aut noxius in Ecclesia. Da enim Episcopum, qui continentiæ dono nõ sit præditus, & fac cœlibem esse & sine uxore uiuere, quid nisi scortatorẽ præficies Ecclesiæ, qui infandis libidinibus omnia repleat? Hoc uero an non est fenestrã Diabolo aperire, & Ecclesias illi permittere, ut bene & fœliciter institutas corrũpat, euertat ac funditus perdat? Quis enim nescit, quã sint noxij scortatores Episcopi in Ecclesia, & pastores meretricibus iuncti? Quales in papatu uidimus, & usq; in hodiernum uidemus, insigni testimonio fructuum & pœnarũ impietatis, fraudis & astuciæ Diaboli, operationũ erroris, in prohibito coniugio Sacerdotum.

Dic quẽ serio docent timorem Dei, fidem in Deũ, proximi aut honestatis amorem, Episcopus scortator? Proinde non uetat Paulus, scribens de unitate

uxoris

*uxoris Episcopi, ne una mortua aliã ducat. Imò semper cogit aliã ducere, si aliter continens esse nequit. Talem enim requirit Episcopũ qui sit irreprehensibilis, qualis non est quisquis monogamus est, sed qui unã suam habet uxorem, siue primã, siue secundam mortua prima, aut terciam &c. cũ qua usu & consuetudine coniugali caste uiuat. Nec petit aliã, sicut existimandũ est nullã aliã caussam esse, cur præcipiatur unã suã uxorẽ habere Episcopus, quàm ne aut uirgines uiciet, aut alienas uxores polluat, aut licenter cũ quauis alia scortetur, sed ut sit sua una cõtentus.*

*Sed si contendas, unitatem illam uxoris, de qua Paulus loquitur opponi digamiæ & polygamiæ, tamen aliud nihil efficies, quàm prohiberi pluralitatẽ illam uxorũ, quã lex Mosaica confirmabat, qua plures simul & eodẽ tempore, uir unus habere cogebatur. Quare non est mens Pauli, ut mortua prima uxore, Episcopus nullã aliam ducat, sed hoc uult, ut si cõtinentiæ dono nõ polleat, una mortua, semper aliam ducat, ut suã habeat, sua utatur, ac uitet scortatiões. Vsq; adeo, ut si opus sit et casus ita ferat, secundã nõ tantum, aut tertiã ducat: sed septimã quoq;, ac ne sic quidẽ cesset alias ducere, si septem moriantur, &c.*

*Si enim uno anno, duobus aut tribus, septẽ uxores moriantur Episcopo, quis illum sua libertate fraudare possit, saltem iure diuino, ne aliam ducat? Quid si*

in primo, aut altero mense, moriatur Episcopo, sua prima uxor, quid facias tali? Num alligabis hunc ad perpetuæ continentiæ periculosum cœlibatū, ne dicam pharisaicū, id est, animi odientis cœlibatum, & cohiberi à re uxoria nolentis? Sed hæc esset plusquā scythica crudelitas, quā Deus nusquā exigit à suis, sed cōiugia ex æquo omnibus libera permittit, tum Episcopis, tum alijs in Ecclesia, quos Episcopi habēt suæ curæ commissos. Linquendi sunt igitur Papistæ, isti qui coniugia Sacerdotum damnant, ut homines reprobi, & indigni quibus hac in re quisquā uir bonus obsequatur.

Pugnantia legum papisticarum de coniugio sacerdotum.

Est autem magna uarietas & pugnantia Papisticarum legum, quibus damnant coniugia sacerdotum, & tradunt, qui nam in officium doctorum Ecclesiæ suscipi debeant, & qui non. Quarum hic alioquot subscribam, ut ex eis, tanquam exemplis impietatis, spiritus erroris deprehendi & iudicari poßint. In Decret. dist. 26. statuitur, Episcopū debere monogamum esse, post baptismum, id est, quòd baptizatus poßit unam aßumere in uxorem, etsi prius quàm ueniret ad baptismum quoq; extiterit uxoratus, secundam tamē non poßit ducere in uxorem. Rursus hic canon refellitur eadem dist. Ca. Acutius. Is enim pronunciat digamū, qui ante baptismum habuerit unā, et post baptismū alteram duxit. Ac uetat talem

talem suscipi debere in Episcopum. Hunc ergo talẽ, neq; eruditio, neq; pietas, neq; uitæ honestas, potest Ecclesiæ Papæ commendabilem reddere, cum tamen in ea notorij scortatores admittantur, neq; docti, neq; in alijs bonæ conuersationis & uitæ.

Sed proficiunt suo more papistæ, & subinde deteriores semetipsis fiunt. Siquidem quidam Martinus Papa, dist. 27. Ca. Diaconus, cõiugia sacerdotũ & Diaconũm, in totum damnat, & uetat huiusmodi ordinari, planeq; edicit, ne tales admittantur, nisi uoto castitatis prius emisso. Tantum scilicet permittit sibi impostor iste, in creaturas Dei, quibus nihil habet imperare, & in leges Dei, atq; decretũ Apostoli, quasi superior illis fuerit, & dedita opera uoluerit Deo aduersare & pugnare. Deniq; præcipit, ut si illi, qui uoto emisso peruenerint ad sacros ordines, reuertantur ad repetendas nuptias, tum officio ecclesiastico cedant ac deponantur.

Eadẽ dist. Ca. Quod interrogasti, Nicolus Papa, à Nõnis seu Monialibus, ut uocãt, requirit obseruantiã perpetuã uoti continẽtiæ, ac præcipit, ut maneãt innuptæ, etiãsi malint honestũ cõiugiũ deligere sibi: Ita scilicet, nõ dubitauerũt in utrũq; sexũ sæuire, et totũ hoĩm genus captiuũ ducere, & suis pharisaicis legibus, de seruãdo cõtinentiæ uoto stultificare. Ibidẽ alius Canon, cuius initium est, Presbyteris, et Papæ Calixto tribuitur, Monachis et laicis sacerdoti-

bus & Diaconis præcipit, ut ipsa quoq; contracta matrimonia dissoluant.

Distinctio mox sequens, 28. simili æstro & furoribus percita, agitatur, quibus illa superior: Vnde Ca. Nullum, ex mãdato Gregorij, uetat recipiendũ ad subdiaconatus officium, nisi qui præstiterit antea uotum castitatis. Sequens Canon, Decernimus, Innocentij, eos qui in officio subdiaconatus & supra uxores duxerint, officio ecclesiastico priuat. His attexitur quoddam Decretum Concilij Toletani, idem exigens, ut agnoscas spiritum erroris & impietatis ipsa quoq; concilia dementare. Et paulo post aliud eiusdem farinæ, ex concilio Arelatensi, ut uideas, quid negocij semper Diabolus habuerit, immiscens se concilijs, quæ creduntur errare non posse.

Et huiusmodi tenore longo procedit ferè ea tota distinctio, & annũ douẽdæ castitatis plenũ, & uoti irreuocabilis, statuit decimũ octauũ, in illis scilicet, quos uolũtas parentũ, à primis infantiæ annis clericatus officio mãcipauit. Isti aũt ridiculi uel potius deplorãdi uotarij, dicũtur ibidẽ appetitores uiæ Domini arctißimæ, & subdi scilicet iugo Domini leuißimo: cũ sit plusquam infernalis catena & cruciatus damnationis uoto tali continentiæ perpetuo constringi. Tum, quia uotum hoc tale fit contra Dei uoluntatem: tum etiam, quia non potest, nisi pharisaice & cum summa impatientia seruari, respectu

scilicet

*ſcilicet humani uoti & uirium humanarum, quibus in tantum fiditur, quaſi res tantæ per humanam induſtriam poßint præſtari.* N*am in quibus eſt amor continentiæ, & in quibus uera caſtitas uiget ac durat, in ijs nō eſt, quia ipſi uouerūt aut præſtēt eam, ſed quia ex dono* D*ei illis contigit, raro prorſus in hominibus in hac terra. Stultitiæ eſt autem & ſuperbæ temeritatis ac præſumptionis, ea uouere, quæ præſtare non potes, niſi* D*eo donante.*

*Ibidem refertur ex concilio* A*urelianenſi conſtitutio, quæ iubet, ſi relicta à ſacerdote aut diacono mulier alij nupſerit, aut cōtinentiam ſeruet, aut ſeparetur, aut ſi dicto obedire noluerit, pariter cū marito excommunicatione plectatur.* O *furioſam legem planeq́; Diaboli inſtinctu promulgatam.* A*lia conſtitutio ex cōcilio Martini Papæ edicit: Si qua uidua epiſcopi, preſbyteri aut diaconi alij marito tradita fuerit, nullus clericus, nulla religioſa perſona cū ea conuiuium ſumat. Quanquam morienti per ſacramenta ſubuenire pmittat. Sed quantos, obſecro, terrores deſperabūdi in conſciētia gignit, & opiniones peccati, ob rem in qua nullum prorſus peccatū eſt.* O *homines peccati & filij perditionis.* D*enique hoc eſt opus & ſanctiōem* D*ei, ut ſuprà prolixe expoſui, infamare, laqueos peccati inijcere infirmis,* D*eo aduerſari & ſaluti hominum, uereq́; Antichriſtum agere.*

Ex opposito infertur quidam generalis Canon, qui dicitur apostoloru͂: Si quis docuerit sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit. Et adparet à bonis quibusdam, contra impios et pharisaicos spiritus, apostolorum iactatum fuisse, q decreto apostolico de coniugio sacerdotum consentiret. Quo nomine ego quoq; libenter agnosco hunc eundem Canonem apostolorum esse, quia scripturis & doctrinæ apostoloru͂ cõsentit. Cui quisquis aduersatur, suæ uanitati & hypocrisi innitens, de facto excommunicatus est, anathema & execrabilis Deo, etiamsi is esse ab Ecclesia nondum sit declaratus. Ac nisi cõuersus fuerit, nõ potest saluus fieri.

Ita sunt quædam in laudem coniugij contra uitu peratores & corruptores eius sancita in tercio concilio Sangrensi, sicut refertur dist. 30: Et in Nicena Synodo tentatum fuit, ne propriæ coniugis usus permitteretur episcopis, presbyteris & diaconis. Quod ne fieret, quidam confessor gloriæ Christi in persecutione, quæ facta est sub Maximiano, restitit, quem historiæ uocant Paphnutium. Ille igitur contradicens, honorabiles confessus est nuptias, & castitatem esse dicens concubitum cum propria coniuge. Suasitq; concilio, ne talem poneret legem, grauem asserens esse caußam, quæ aut ipsis aut eorum iugalibus occasio fornicatiõis existeret. Et hæc quiden Paphnutius

licet

licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, synodusq; laudauit sententiā eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusq; uoluntate non necessitate permisit. Hæc lege distin. 31 Originaliter uero libro 2. hist. Trip. capite 14.

Sed Gratianus distin. 29. meminit aliquot cautionum, quibus scilicet omnes piæ & utiles constitutiones eludūtur à papistis, & quicquid est honestißimarum & optimarum consuetudinum priscæ Ecclesiæ. Citat autem præmemoratarum cautionum regulam ex Isidoro, quæ & si utilis esse alicubi poßit, tamen Gratianus & papistæ illa impie abutuntur. Sed subscribam hic uerba Isidori, ut à Gratiano recitantur: Sciēdum est, inquit, q̃ pleraq; capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore considerāda sunt. Quorum modi, quia medullitus non indagātur, in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingunt, cū antè iudicant quàm intelligunt, antè culpant, quàm iterādo lecta perquirant. Ad idem facit, quod mox ex Gregorio idem Gratianus citat. Regulæ sanctorum patrum pro tempore, loco, & persona, & pro negocio instante neceßitate, traditæ sunt.

Ars eludendi pias constitutiones.

Huius igitur regulæ potest esse aliquis usus, potest etiam in abusum torqueri. Et agnosco, si talium circunstantiarum diligens ac prudens ratio habeatur, quòd aliqua patrum excuset, quæ alioqui re-

prehensibilia uideri potuissent. Atque ita certe & decretum apostolorum excusaturi, illud Act. decimoquinto, de non edendis quæ essent idolis immolata, & abstinendo à suffocato & sanguine, quia hoc donatum est illis temporibus, quæ habuerunt multos infirmos, conuersos ex Iudæis ad fidem in Iesum Christum, qui non potuerũt recipere protinus nullas constitutiones rituum Mosaicarum amplius seruandas esse. Ita profuit iam nascente Ecclesia uirginitatem & cœlibatum ualde extollere contra licentiam Iudaici coniugij, de qua Matth. 19. & gentilis scortationis, si prudenter hoc tentatum semper fuisset. Sed papistæ his mitigationibus fœde & impie abutũtur, quia iubent, ut illas omnes constitutiones tanquam necessarias perpetuo obseruemus, quæ hoc tempore non faciunt, quàm ad abominationes antichristianas constabiliendas.

Deniq; pro ueteribus bonis constitutionibus nouas & peßimas introducunt, & si quando inter se pugnãt patrũ constitutiones, semper iubent deteriores retinere, atq; adeo, si q̃ sunt ueterũ malæ ac prauæ constitutiones, eas continuis alijs legibus in deterius corrumpũt, cuius habes iã supra posita & allegata à me exempla. Ideo & nos in contrarium ipsis ambulare uolumus ac debemus, & nihil benigne, nihil clementer interpretari. Nihil dißimulare, quod habet aliquam

aliquam fœditatem seu turpitudinē aut impietatem, sed hoc, quicquid est, protrahere, & in publico Christianorum cœtu arguere, accusare, traducere ac diffamare. Quia non ferunt ullas, quanquam piissimas, suarum constitutionum leges mutari & corrigi.

Proinde hoc tempore ualde extollimus cōiugium sacerdotum contra cœlibatum, qui uidelicet in Ecclesia Papæ ferè est inane & uacuum nomen, titulus & gloria sine re, tum perniciosissimi exempli in Ecclesia Iesu Christi. Alioqui nulla caussa est, cur cœlibatui coniugium præferatur, aut coniugio cœlibatus. Nam suam laudem uterq; status habet & meretur: Nec iam oportet rationes dicere ultra eas, quas dixi suprà tam prolixe & copiose. Sed aliquot tamen exempla subscribam, ex quibus intelligi possit, quomodo papistæ impias constitutiones impie mitigent, & abolitis bonis legibus non retineant in Ecclesia sua, nisi pessimas constitutiones.

De constitutionibus illis sanctioribus, quæ nuptias quibusdam in clero liberas permiserāt, diaconis præcipuo, dicitur distin. 28. quòd hoc ipsum intelligēdum sit, uel ex tempore, uel ex loco. Ex tempore quidem, quia nondum fuerat introducta cōtinentia. O uanam rationem, quasi Christianæ continentiæ non fuerit semper æqua necessitas ab omnibus præstandæ, aut quasi pie continentes sint, quicunq; cœlibes uiuant.

Ex loco autem, quia Orientales Ecclesiæ non susceperint generale uotum castitatis, quasi uouēdi ratio dolo & fraude introducta in Ecclesiam, & uiolenter à multis extorta, posśit probabilem efficere hanc pharisaicam & sceleratam consuetudinem uouendi. Sic ergo durant papisticæ leges de prohibitis nuptijs cleri in Occidentis Ecclesiis. Lege similis constitutionis elusionem dist. 3. Ca. Quoniam, usq; ad finem eius constitutionis.

Distin. 30. dicitur, q, illud in Canone apostolorum & Gangrensis cōcilij pro coniugio sacerdotū ex causa consideretur & tēpore. Causśā aūt fuisse hæresim Manichæorū, q̄ coniugiū detestabatur, quasi hæresis Papæ sit iustior & tolerabilior, q̄ coniugiū in clero ita dānat ac detestatur, ut nemo ex laicis ignaris scripturarum sanctarū non posśit suspicari, nuptias esse rem fœdā coram Deo, & q̄ parum gratū efficiat coniugatum coram illo. Audi enim papisticam rationem cur isti, qui sunt in subdiaconatu & supra, debeāt abstinere à commertio uxorum, seu coniugali, quæ redditur, dist. 28. ca. Decernimus. Cum enim, inquit impostor Innocentius, ipsi templū Dei, uasa Domini & sacrariū spiritussancti debeant esse & dici, indignum est eos cubilibus & immundicijs deseruire.

Primum Innocentius iste, quisquis fuit, non curo, mihi certū est spiritu erroris & summæ blasphemiæ

in hac constitutione actum fuisse. Is ergo fingit principio solum papisticum clerum, siue, ut mitius dicam, Ecclesiæ ministros tantũ esse templum Dei, uasa Domini & sacrarium spiritussancti, qui præ alijs Christianis nihil habent, ullius prærogatiuæ minimæ, nisi quòd ex officio tenentur uerbum Dei publicitus prædicare, & sacramẽta alijs, tanquam serui, administrare. Insanit ergo contra doctrinam Pauli, qui hoc tribuit omnibus Christianis, quod ipse solis ministris. Tum etiam cõtra doctrinã Petri, qui omnibus Christianis scribens. 1. Pet. 2. Vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, ut uirtutes annuncietis eius, qui è tenebris uocauit uos in admirabile suum lumen &c.

Et tamen Gratianus non sanius colligit rationes ex suis Decretistis (frustra laborãs & frustra sudãs, ut discordantes canones cõcordet, quod ex professo sibi sumpsis) distin. 31. ubi ponit rationem à temporum circunstantia sumptã, abrogans canones, qui sacerdotum coniugia probant, & adprobans quæ improbant, ac dicẽs, quia olim non fuerit institutum, ut sacerdotes continentiam seruarent. O inconsiderantiam & temeritatẽ, qua libidini Pontificũ oĩa tribuerunt, quasi potuerint pro arbitratu suo omnes leges tollere, etiãsi honestas & pias atq; adeo Dei leges. An potest ulla cõstitutio unq̃ ualere cõtra dei leges?

Quid quòd Innocentius, quem dixi, impudēter asse rit coniugia esse quasdam immundicias, & coniuga tos dicit immunditijs deseruire? cum Apostolus ad Heb. 13. coniugium prædicet honoratum, & thorum matrimonialem impollutum.

Sed tamen his Satanæ legibus præualentibus ma nent prohibitæ nuptiæ sacerdotum, & creduntur à plerisq; piarum constitutionū esse. Tanta est ira Dei ulciscentis se de impietate nostra & ingratitudine. Quia dilectionem ueritatis non recepimus, ut salui efficeremur. Prætereo multa uana, friuola ac stulta, nec melioris notæ quàm hæc sunt, quæ proxime Inno centij titulo retuli. Leguntur autem ea, si quem uide re iuuat, dist. 31. Quanquam his impijs constitutioni bus solæ occidentis Ecclesiæ à Romanis episcopis in tantum uexatæ sunt. Orientis enim Ecclesiæ semper liberius egerunt, ut legitur distin. 31. Aliter se habet Orientaliū traditio Ecclesiarū, aliter huius sanctæ (id est, execrabilis) Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum sacerdotes & diaconi atque subdiaconi matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ (matris scilicet ab ominationum) uel Occidētalium, nullus sacerdotum, à subdiacono usq; ad episcopum, licentiam habet con iugij sortiendi.

Volo prædictis attexere quandam impiam & in doctam ratiocinationē Leonis Papæ, quæ est dist 32:

Omnium

Omniū sacerdotū tā excellēs est electio, ut hæc quæ in alijs membris Ecclesiæ uacāt à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Sic. n. loquitur de coniugijs, quæ pro mera libidine papistica & arrogantia Pontificia fingit in Ecclesiæ ministris damnabilia esse, habere culpam, & illicita esse, quæ suprà didicimus, autoritate Apostoli, esse pia, sancta et necessaria in Ecclesiæ ministris. Fingit tamē matrimonia in laicis uacare culpa, quasi rē seriā agat, cū hoc attexat, ne aperto deprehēdatur Deo nostro aduersari, opa & facta eius criminari. Huiusmodi stolidas imposturas plures require in eadē dist. in qua hūc quoq; audacißimū Canonem cuiusdam Vrbani Papæ deprehendes innocentiā uxorū mulctantis, Ca. Eos qui. Nam principibus, inquit, indulgemus licētiā, ut eorum (q uxoribus proprijs abstinere nolint) fœminas mancipēt seruituti. O barbaricā crudelitatē in Pōtifice, & latrociniū inauditū, cōiuges efflictim se amātes separare. Quis ergo dissoluit cōiugia, quæ Deus cōiūxit? Quis damnat nuptias à Deo ordinatas, si Romanistæ non damnant indigni episcoporum nomine & titulo? Tantum abest, ut pro orbis uniuersalibus episcopis istos impostores oporteat agnoscere. Sed & quis dedit Papæ hanc potestatem, imperandi seu indulgendi principibus, ut sæuiant in innoxias uxores sacerdotum, si non ex tyrannide Antichristiana sibi hanc usurpant?

Sed piget ac tædet, in his sordibus impietatis & blasphemiarũ diutius immorari. Quanquam nõ tempero mihi, qn hoc caput blasphemiarũ quoq; adijciã, quo præcipiunt, ut qui uirgines ducũt in uxores, uolentes postea admitti ad ministerium ecclesiasticum, prius separentur ab uxoribus. Ita ergo soluunt matrimonia, quæ debent inuiolabilia esse, & contẽnunt illud Pauli, Vir uxori debitã beneuolẽtiã reddat &c. Quin etiã ne nõ multiplicẽtur peccata & præuaricationes in Ecclesia, etiam illius uxori, qui admissus sit ad ministerium in Ecclesia, nõ permittũt, ne quidem post illius mariti sui mortẽ, ut facultatem habeat alij nubendi, quanquam solutæ & liberæ coram Deo & mundo à lege uiri Rom. 7. uidelicet iam uita defuncti, & nihil cum uxore sua in re coniugij amplius habentis. Lege dist. 32. Ca. Seriatim.

Ita ergo sæuiunt papistæ in utrunq; sexum, & ipsas quoq; Dei leges contẽnunt. Atq; adeo salutis & perditionis Ecclesiarũ nullã prorsus rationẽ habent. Et quoniã indignũ iudicãt ecclesiastico officio, eũ q habet uxorẽ, autores sunt, ut totus cõiugij status, ceu res multis modis fœda et abominabilis, in oĩm existimatiõe sordeat. Quæ uolui hoc loco oblata occasiõe referre, ut ex eis iudicẽtur illæ dæmoniorũ doctrinæ, q bus impostores & pharisaici spũs sacra cõiugia damnat, ita ut futurũ in Ecclesia Paulus dudũ prædixerat,

ut est

ut est 1. Timoth. 4 uidere. Sed pergam nunc, & reliqua illa quæ idem apostolus inter decora & ornamenta episcopi numerat, quibus ille præ alijs excellere debet, referre, & sermone copiosiori pro gloria Euãgelij & Ecclesiarum bono, quantum per Domini gratiam à me fieri potest, illustrare.

LIBEROS HABENS FIDELES.

Necessarium hoc præceptum est, de cura episcopi erga suos liberos, quam exhibeat illis fideli institutione, circa disciplinam Domini. Hæc. n. si diligentia & sedulitate eius proficit in eis ad ueram & Christianam pietatem, ut credant in Deum, religiose uiuant, & timorem Domini in omni uita sua retineãt, præbet testimonium episcopo suæ pietatis in Deum, & dabit significationẽ optimæ spei fore, ut alijs quoq; fideliter seruiat, & fœliciter tradat uerbi Dei prædicationem & doctrinã. Cõtrà, si filios habeat infideles, luxui deditos, & rebelles, graui & intolerabilĩ infamia aspergitur episcopus, tũ ipse quoq; creditur parũ utilis, ne dicã pniciosus omni reliquæ Ecclesiæ fore custos. Hac causa certe Paulus 1. Tim. 3. ubi eadẽ præcepta tradit de forma & ornamẽtis episcopi, ita scribit, Oportet episcopũ irreprehẽsibilẽ esse, suæ domui bene præsidentẽ, subditos habẽtẽ filios, cũ oĩ grauitate. Si qs. n. domui suæ præesse nescit, quõ ecclesiæ Dei curã habebit? Nã & grauiore scandalo peccans

in Ecclesia, si episcoporũ liberi sint infideles & institutiõis Christianæ contẽptores, si præsertim sciatur, tales negligẽtia episcopi factos esse. Ac notũ est præterea exemplũ filiorum Eli, & negligẽtior institutio ex 1. Reg. 2. quorũ peccata Deus, & in reliqua tota multitudine castigauit. Præterquã q, uitiosis exẽplis ipsi alijs noxij erãt, tanq̃ cõmunes & publicæ q̃dam pestes. Idcirco episcopi et pastores Ecclesiarũ maiorẽ operã dare, & singulari quadã diligẽtia & cura aduigilare debebũt, ut suos fideliter & pie instituãt, uerbo Domini gubernent, & ea tradant in disciplina & castigatione, per quæ in timore Domini retineantur. Ita enim requirit Paulus fideles, ut non tantũ morigeri sint parentibus, & dicto obtemperent, sed in primis, ut pietate in Deum per timorem Domini & fidem Christianam præpolleant. Ne quo modo alijs noxij sint prauo uitæ exẽplo, & faciant, ut doctrina pietatis male audiat & blasphemetur. Quin potius inuitẽt oẽs alios ad pietatẽ, & Christianæ uitæ cõuersatiõe reddãt cõmẽdatiorẽ uerbi Dei doctrinã.

NON OBNOXIOS CRIMINI LVXVS, AVT QVI SVNT INTRACTABILES.

Lædit enim nomen & gloriam Euangelij, quicquid in infamiam episcopi cedit. Et propter hãc præcipuam caussam, ut dictum est, attẽtius cauere episcopi debent, ne propter liberorũ luxũ & inordinatam

uitam

uitam ipsi male audiant, & per consequens uerbum Domini, et gloria Euangelij contēnatur. Vt ergo Paulus requirit, ut sint fideles episcoporum liberi, hoc est, fide & timore in Deum præditi. ita p subiecta iubet illos à certis quibusdā uitijs exterioribus abesse, quæ uidelicet Ecclesias grauius lædūt, & grauiora mala in publicū accersunt. Primū inquit, ne sint accusabiles ob luxū, hoc est, ne indulgeāt luxui & intēperātiæ, ut merito ppter hæc uitia accusari uideātur, et in publico traduci. Nō tātū peccātes in aīas suas, sed et scādalū morū alijs præbētes, infames ob luxum et intemperantiam. Temperantia enim opponitur crimini luxus, quod hoc loco dicitur à Paulo ἀσωτία. Et ut tēperantia est moderatio oīm affectuum, & regnum suum exercet in animo, in oculis, in sermone, in incessu, in cibo, in potu & usu oīm rerum moderato, ita in luxu est intēperantia, immoderati sumptus, prodigalitas, uarij et indecori gestus, turpitudo in sermone, in factis, tū immoderatus & inhonestus rerum omnium usus. Vnde in crimine luxus sunt hæc omnia uitia, affectibus prauis frena laxare, & regnum concedere, delectari turpitudine, & impudicitia, tū sermonū tū gestuū, suas opes et facultates prodigaliter pdere, & cū sceleratis cōsumere, sectari crapulam, ebrietatē, Venerē &c. Et sunt infames ob luxū, q temulētiæ, cōmessatiōibus et libidinibus indulgēt, aut

alijs uicijs iam memoratis, uel similibus horum, non modo apud Christianos, uerum etiam apud Ethnicos & quaslibet prophanas gentes. Alterum in externis uicium, quod à liberis episcoporum cũ primis abesse Paulus requirit, est non subditum esse, hoc est, non parere uidelicet eorũ impio & castigatiõibus, à quibus regi & gubernari debeas. Loquitur itaq; de inobedientia & rebelliõe, qua pleriq; parẽtum suorũ monita nõ ferunt, & publicarum legum ordinationes cõtemnunt. Debent aũt parentum suorũ monitis, Magistratuũ edictis & legibus obediẽtiã & honorẽ, prorsus oẽs hoĩes, q̃ si episcoporũ liberi nõ præstiterint, ipsos quoq; suos parẽtes efficiũt culpabiles, & pater episcopus præcipue grauissima infamiæ nota apud oẽs in tota reliqua ecclesia laborabit. Accusabitur.n. neglectæ institutiõis suorũ, quos prouehere poterit ad pietatẽ, sed impie ꝑdiderit, quasi ipse quoq; parũ timeat Deũ. Ac dictum est, non posse de tali spem bonã concipi, futuri scilicet fidelis dispensatoris in domo Dei, id est, Ecclesia, uel qui sit negocium Christi & Ecclesiæ synceriter tractaturus. Vt uel propter hanc caussam remouendus à ministerio, aut non admittendus uideatur, si præsertim constet, ꝙ sua ipsius culpa liberi tales sint effecti, ut uidelicet luxui seruiant, & turpia atq; immoderata deligant sibi & consectentur, aut sint immorigeri & intractabiles.

Oportet

OPORTET ENIM EPISCOPVM INCVLPATVM ESSE, TANQVAM DEI DISPENSATOREM.

*Suprà admonui, Paulo eosdem dici & esse presbyteros & episcopos, quod hic omniũ maxime liquet. Nam quos paulo ante dixit presbyteros, eos hic adpellat episcopos: illud ab ætate, hoc ab officio nomen eis tribuens. Tametsi adpellationibus episcoporum multi sibi blandiantur inaniter et male, quasi aliquid maius sint presbyteris, cum interim officiũ facere nihil prorsus curent. Nec affectent, nisi imperium & dominium in Ecclesiam, nullo modo ipsis à Deo cõcessum Deniq; non agnoscunt officium, nec quàmpharisaice et simulate adpellãt sese seruos seruorum Dei.*

*Docui præterea, q̧ his nominibus, presbyterorũ scilicet et episcoporũ significentur ecclesiæ ministri et doctores. Nõ sane eos qui ociose agunt, & de Ecclesiæ opibus saginantur, ut qui nihil operis faciunt, neminẽ docẽt aut consolantur ullo ecclesiastico officio, quin etiã collata Ecclesiæ bona in ministrorũ et pauperũ usum, ipsi in delicijs suis ꝑ luxũ & infandas libidines ꝑdunt, sed q Ecclesias uerbi Dei prædicatiõe et doctrina gubernẽt, sacramẽtis consolentur atq; confirmẽt. Quod in summa est hoc, oẽ qđ ab episcopis expectatur, et Ecclesiis illis debẽt. Plus autoritatis seu potestatis nõ habẽt, nec aliud officium reqri ab eis põt.*

Et qui plus sibi usurpãt noĩe & titulo episcoporum, aut diuersum à iã dicto officiũ faciunt, nõ sunt episcopi, sed impostores & quiduis potius quàm utiles Ecclesiæ. Nam & Paulus inquit 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quæ sententia neq; plus, neq; aliud tribuit episcopis, quàm iam dixi.

Deductum est autem episcopi nomen ab inspiciendo, uel consyderando & recognoscendo, & eum significat, qui curam agit & prospicit de rebus necessarijs. Quem latine dicere poßis inspectorem siue obseruatorem, qualem Christus egit curatorem, episcopum & pastorem animarum nostrarum, sicut Petrus eum adpellat 1. Pet. 2. Aut qualem fuisse Paulum in omnibus scriptis eius cernimus, & in relatiõe eorum quæ à Luca de gestis Pauli sunt scripta. Aut denique qualis Petrus fuit, qui sibi presbyteri adpellationem tribuit. 1. Pet. 5. Neq; idcirco minus apostolicæ seu episcopalis potestatis usurpauit, quàm reliqui q unquam dicti sunt aut fuerunt ueri in Ecclesia Christi episcopi. Et tamen nihil aliud sumpsit sibi, quàm docere Euangeliũ de Christo, & prædicare pœnitẽtiã nomine Christi, tum administrare sacramenta, sicut testantur ipsius scripta, & quæ relata sunt de contionibus Petri in actis apostolicis ab euangelista Luca.

Sunt ergo Ecclesiarum ministri episcopi, &

seruitutem

seruitutem illis debent. Nec prius satisfaciũt officio, quàm Euangelium de Christo in Ecclesia annunciẽt, & peccatores illo consolentur. Simul pœnitentiam doceant, & sacramenta ministrent. Tum deniq; & insidiatores puritatis doctrinæ pseudoapostolos, q̃tum possunt, arceant ab Ecclesia. In hoc enim tali obsequio bene præsunt, & bene ministrant, ac recte seruiunt, in Ecclesia. Qui uero rem suam agunt, auari & ambitiosi, & opes ac dignitates titulis Episcoporum sibi quærunt, sunt publicæ quædam pestes in Ecclesia. In quas animaduertere decuit Magistratus & principes seculares, & nisi se corrigerent officio ecclesiastico deijcere.

Hic uero notabimus, quoniam hanc sententiam, oportet Episcopum irreprehensibilem esse, Paulus ceu rationem facit, subiectam prioribus illis, in quibus præcepit, de coniugio & liberis Episcoporum, etiam intelligi ex ea, cur requirat uxoratum Episcopum, aut qui liberos fideles habeat. Nempe, ut episcopus sua una uxore contentus, alias non polluat. Ne uidelicet ipse reprehensibilis, infelicem doctorem se præbeat. Similiter, si liberos habeat infideles, luxu & intemperantia corruptos, & inobedientes, hac quoq; infamia laborans Episcopus, sit inutilis minister. Cum ergo facile non sit præstare ueram continẽtiam in hac carnali natura, nec nisi ab illis, quibus

donata est à Deo, præstari poßit, Ideo requirit ab Episcopo Paulus, ut suam uxorē habeat, ne alias quascunq; mulieres uiciet & corrumpat. Interim nihil huiusmodi requirit ab his, qui dono cōtinentiæ uere sunt præditi, sed gratulans haud dubie sinit eos suo dono frui. Vt satis liquet ex his quæ sunt, 1 Cor. 7. Nunc reliqua Episcopi decora consideremus.

NON PRAEFRACTVM.

Descripturus formam Episcopi Paulus, quo ad ipsius personam, primo per negationem tractat, à quibus illum uicijs abesse oporteat, deinde per affirmationem, quibus uirtutibus deceat esse ornatum. Locus est pie eruditus, et sanctè doctus, uidelicet refertus apostolica cura & sollicitudine pro omnium Ecclesiarum salute. Nam hæc multū promouetur, si illis cōtigerint pij, sancti, eruditi & fideles ministri atq; doctores, qualis hic à Paulo describuntur. Sed uideo optabile esse magis, quàm pronum aut facile, tales reperire, qui per Ecclesias, in singulis locis, ministerijs ecclesiasticis, ubiq; præficiātur.

Paulus tamen rectè facit, admonēs quales esse referat ac deceat, qui eliguntur, & quibus ecclesiastica ministeria, siue ecclesiarum gubernacula traduntur. Nam hinc, qui electi & uocati sunt ad ministerium, possunt legentes discere, quid se deceat Ecclesiis præstare, si tamen uelint digno nomine Episcopi & pastores

stores illarum esse, aut perpetuo exulare ab inmortalitatis gloria, & æternæ uitæ hæreditate. Nã quæ hic Paulus scribit, consciẽtias presbyterorum ligãt, & officium exigunt, quod nisi præstiterint, non sunt Episcopi, aut pastores Ecclesiarum, sed fatui, stulti, infideles, inutiles & pernitiosi serui, eijciendi in extremas & æternas tenebras, ubi erit fletus & stridor dentium, ibiq; perpetuo cruciandi et plectendi. Sicut legẽs discere potes, Matth. 25. Luc. 12. Ezech. 3. 1 Cor. 9. &c. Nostrum uero est, sedulo ac diligenter precari, ut Dominus ipse tales operarios, quales hic à Paulo describuntur, in suam messem mittat, illustraturus gloriam gratiæ suæ, & regni Iesu Christi, ad promouendam ac perficiendam electorum suorum salutem.

Itaq; primum illud αὐθάδη, uetus interpres uertit Superbum: Erasmus Rot. præfractum. Significat autem durum, & inflexibilem, atque ut idem Erasmus exponit, sui sensus plus satis tenacem. Lutherus germanice reddit eigensinnig. Compositum nomen, ab αὐτός & ἁδεῖν, placere. Quare hoc uicium est in istis, qui sibi ualde placent, quòd suo ipsorum iudicio sint uehementer eruditi, sapientes, aut quomodocunq; aliter admirabiles alijs. Efficit igitur contumaces, & superbe atq; arroganter de se sentientes, ac nimiũ sibi confidentes: multũ

de falsæ persuasionis scientia, eruditione ac uiribus præsumẽtes. Quales rebus publicis, & sæcularibus & ecclesiasticis, non possunt non noxij & perniciosi esse, ubicunq; reperiantur. Quia nec meliorum aut doctiorum permoti autoritate cedunt sua sententia: quanquam erronea & impia. Sicut legimus in hæreticis hoc uicium regnasse: Arrianis & similibus. Indignum est igitur Christiano Episcopo uicium: tum omnibus modis fugiendum. Nam spiritus prophetarum, ut Paulus inquit, 1 Cor. 14. prophetis subijciuntur. Et, si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Et 1 Thess. 5. scribit: spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Omnia probate, quod bonum est tenete.

Reprehendit igitur hic locus eos quoq;, qui sibi tribuunt principatum in Ecclesia: quod iamdudum faciunt cum ineffabili superbia & pertinacia pontifices Romani. Volunt enim ab omnibus audiri: & uicißim neminem audire. Et iubent, ut in omnibus recipiantur à nobis: etiam in illis quæ manifesto pugnãt cum Euangelij doctrina, institutione & ordinationibus Christi & Apostolorum. Nam sibi tribuũt, quod potestatem habeant, statuere & ordinare in Ecclesia, quicquid uelint, quod nullo modo est ferendum, aut concedendum ipsis. Sunt enim ministri alieni uerbi, non Domini, sed serui Ecclesiæ. Sed nullum monitorem,

torem, ut dixi, audiunt, & nec reuicti de errore & impietatibus corrigi uolunt. Tanta regnat contumaciæ impietas in eis, ut maior esse non possit. Nec erit aliquando alia similis ei, quia cum arrogãtia ista sua & superba pertinacia, etiam summam tyrannidem coniunxerunt. Nam omniũ conscientias, suis imperiosis, pharisaicis & impijs traditionibus uiolenter & tyrannice diuexant & opprimunt, & sibi regnũ sumunt, ubi penitus habent nullum. Abstineo ab exemplorum tractatione. Nam quilibet facile intelligere possunt, quæ hic dici omnia possent.

NON IRACVNDVM.

Hoc ideo, ne priuatis affectibus uideantur Episcopi indulgere atq; seruire, potius quàm negotium uerbi Dei pure tractare. Itẽ, quia nihil sinit ira recte perficere, illum quem corripuit. Nam iracundi iudicium peruertit atq; corrumpit, & ueri intelligentiã adimit. Quin etiam, rapit eo usq;, ut per uindictæ cupiditatem contra officium faciat. Deniq; duriore & furiosa increpatione, quali utũtur iracundi, aliorum animi alienantur, à uerbi Dei disciplina. Quia cum irascuntur intempestiuiter, & præter modum, doctores, in eo dant significationem, quod tyrannidem affectent potius, quàm gloriam Christi & Ecclesiarum salutem propagare. Quare non lædunt solum, eos in quos per iracundiam sæuiunt, uerum etiã

alios, à quibus uel deprehenduntur solum iracundi esse, & potestate concessa per animi morbos abuti.

Quid, quod indecorum est furere & sæuire Episcopum, etiamsi iracundus nulli noxius esset? Nam quod apud omnes alios uiciosum est, in Episcopo & doctore magis uiciosum est, & minus ferendum. Nempe, à uicijs mortalibus superari, & regnum eis concedere. Quod damnatur in omnibus, qui fidem gratiæ Iesu Christi profitentur. Nec potest in alio reprehendere aut corripere Episcopus uicium, in quo ipse damnabiliter laborat. Quia solet regeri in eum accusatio, & correptio, ac dici, medice, cura te ipsum. Infœliciter ergo docebit & corripiet, qui se prius non docet & non emendat, si quem uelit in simili uicio laborantem docere, uel castigatum emēdare.

NON VINOSVM.

Non est obscura ratio, cur à uinolentia abstinere prohibeantur Episcopi. Destruit enim uigorem ingenij, uini immodicus usus, & ad rem Euangelij plane ineptos facit eius doctores. Quem enim recte doceant, prudenter exhortentur, aut serio corripiant temulenti? Aut, quomodo reprehendat Episcopus in alijs, quod in se reprehensibile habet, & mortale delictum? Cum enim in homine priuato sit turpis, impia & scelerata, uinolentia, quanto magis in Ecclesiæ doctore? Ego sane homini ebrioso nulla in re fi-

dendum

dendum esse, uel tuto credi posse, existimo, tantum abest, ut persuadear uinosis salutem animarũ nostrarum tuto credi posse, uel administrationem Euangelij recte committi.

Lepida est græce uocis compositio. Significat enim πάροινος non eum solum, qui aßiduus est & immodicus in uini usu, siue multo uino deditus, sed et furiosum præ uino, hominem intractabilem, & indigne se gerentem ex temulentia. Quales esse cernimus omnes ebriosos, uidelicet contentiosos esse, prodigos, scurriliter cachinnari, & leuiter de rebus grauißimis nugari, Solent præterea male de alijs loqui, & alia turpia & nephanda designare. Quæ omnia ministerium Euangelij deformant, tum in Episcopi persona, quæ lucere debet honestißimæ uitæ exemplo in Ecclesia, grauius & conspectius crimen habent. Magna igitur ratio est cur in Episcopo uinolentia tolerari non debeat. Nam & Paulus in genere ad Eph. 5. inquit, Nolite inebriari uino, in quo luxus est. Is autẽ est abominabilis ista ἀσωτία, de qua supra dictum est.

NON PERCVSSOREM.

Ad animæ et linguæ officiũ referri debet, hoc quod deprecatur Paulus, nẽ sit pcussor Episcopus, hoc est, in reprehẽdendo et obiurgãdo nimis sæuus et asper. Nã quorũdã est immodica uirulẽtia in corripiẽdis

& castigandis aliorum erratis, ut credas, quòd non spectent aut quærant, quomodo qui lapsi illa correptione emendentur, sed sui aliquam ultionem & uindictam. Isti igitur legant secum illud Pauli, Gal. 6. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, talem instaurate mãsueto spiritu, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic perficietis legem Christi.

Iam etiam formæ huius præceptionis petantur ab exemplo lenitatis & mansuetudinis Christi. Nã quoslibet peccatores ille mira facilitate recepit, & pœnitentiam agentes benigne cõsolatus est. Deniq; omnes blandißime ad se uocat, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Hæc ergo exempla qui imitãtur, etiam probant se affici Euangelij causa, & illam serio agere in Ecclesia. Sicut & Paulus 1 Timoth. 1. Vt alia eius taceam. Nam exemplum præstitæ sibi gratiæ, alijs proponit in consolationem. Qui uero sunt uirulenti & contumeliosi lingua, isti similiter declarant, quòd parum adhuc, uel potius nihil habeant in se, spiritus Iesu Christi, ut longe indignißimi sint officio Episcoporum in Ecclesia. Quin etiã inutiles & pernitiosi.

Quanquam autem petulantia mordacis linguæ reprehensibilis est in Episcopo, tamen laudabilis est

&

& necessaria seuera aliqua castigatio, qua utatur in eos, qui improbius conuersantur in Ecclesia, maxime qui sanæ doctrinæ contradicunt. Sed cauendum erit tamen, ne uel hæc sit nimium uehemens, aut acerba, nisi agas cum illis, qui nunquam desistunt conuiciari doctrinam Euangelij, & sua hypocrisi simplicibus imponere. Vnde sicut abesse debet Episcopi sermo à contumelijs & uirulentis exprobrationibus, ita refert temperatam esse iusta increpatione, obiurgatione, & utili correptione, cum grauitate. Non licet enim tacere Episcopo, aut conniuere ad aliorum blasphemias & scelera, quæcunque sint illa. Iuxta illud Ezech. 18. Si dicente me ad impium, morte morieris, & non annunciaueris ei, neq; locutus fueris ut auertatur à uia sua impia, & uiuat, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram, &c. Et Paulus inquit, 2 Timoth. 4. Prædica uerbũ, insta oportune, importune. Argue, obsecra, exhortare, cum omni lenitate & doctrina.

Sic ergo Episcopus, qui fidelis esse uolet, sæpe utetur acriore aliqua increpatione. Sunt enim, qui nisi durius obiurgati, emendari nolint: & ipsi quoq; impij doctores seueriter reprehendendi sunt, etiam si incorrigibiles esse uideantur. Nec tacenda sunt priuata eorum uicia & peccata. Quia opinio ueritatis & iusticiæ, detrahi cum factis, tum dictis

eorum debet, ne imperitis diutius imponant. Quod nos docent exempla Christi & Apostolorum. Satius est impium & pseudoprophetā male audire, & acerbißime accusari, quā plurimos innoxios in Ecclesia per impietatem, maliciam, dolos ac fraudes eius periclitari & abstrahi à fide & uero Dei cultu. Sed de hac ratione infra copiosius scribemus.

NON TVRPITER LVCRO DEDITVM.

Nam et 1. Timoth. 6. scribit, qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, stultas & noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Siquidem radix omniū malorum, est studium pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos implicuerunt doloribus multis.

Cæterum exempla huius turpitudinis, quæ est in sectantibus per auariciam turpia lucra, uidimus prope infinita, magno totius Ecclesiæ malo, in regno Papistarum. Nam omnia diuina uenalia habuerunt, tā donationem remißionis peccati, quam impetrationē æternæ uitæ. Hinc enim factum est, quòd multa Ecclesiasticorum dogmatū corruptißime deprauârint, ne Euangelium tandem seruiret, nisi auarißimorum cupiditati. Missa uendebatur, tanquam sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum, uenales habebantur indulgentiæ, et credebantur redimere purgatorij

*torij pœnas, cum essent tamen meræ imposturæ, & uaferrimum commentũ auarißimorũ.* Purgatorium *quoq; non sit, nisi fabulosum, utile tamen commentum pro auaris.*

*Cum auaricia autem succreuit ambitio, sic aucta tandem & confirmata in* Episcopis, *ut nihil quàm occupandis in hoc seculo regnis studeant, cura* Euangelij *et* Ecclesiarum *penitus posthabita & reiecta.* Reprehensa *sunt autem hæc uicia etiam à prophanis scriptoribus.* Nam *& rationis iudicio intelligi potest, quã sint noxia, & pernitiosa moliantur, rebus publicis & priuatis, prophanis & sacris.* Ac *citatur ea de re* Timonis *dictũ et sententia, illius qui cognominatus fuit* Misanthropos. Nam *duo pronũciauit esse malorum principia, auariciam & ambitionem.*

SED HOSPITALEM.

*Addit prædictis & certas quasdam uirtutes, quibus præ alijs conuenit præditum esse* Episcopum. Et *iste uirtutum chorus, est ornatus ille, qui decet* Episcopi *personam, quem* Paulus *uno nomine significat, 1* Timoth. *tertio, ubi* Episcopum *iubet esse* κόσμιον, *hoc est, bene moratum, & honestum uirum.* Circa *quod uerbum multa pharisaice præcipiunt* Papistæ, *de habitu uidelicet & ornatu exteriore, in uestitu, incessu & similibus.* Sed *da mihi, qui his uirtutibus polleat, quæ sunt bene*

morati & honesti uiri, de quibus hic agit Paulus, et nihil opus erit de his puerilibus & pharisaicis delyrijs præcipere. Sed ad rem.

Igitur & hospitalem requirit esse Episcopum Paulus: & alijs uirtutibus Christianis ornatum, de quibus sequetur. Vt sit iuxta Petri uerbum forma gregis: hoc est, forma bonorum operum, qua præluceat in grege. Hospitalis autem, ut excipiat hospitio pauperes, cœna exhilarans debiles, claudos, cæcos & alios qui egent, & non habent retribuere, secundum Christi uerbum. Luc. 14. Vbi opus sit ita factu, & Ecclesia suos pauperes non alat. Maximeq; illos, qui exulant, pulsi é sedibus suis à tyrannis, persecutoribus Euangelij Iesu Christi.

Cæterum hæc officia ita quoq; omnibus nobis in Euangelio Dominus commendat. Hospes eram & collegistis me. Significans se in exulantibus recipi, & honorari. Matth. 25. &c. Habes autem plura, in laudem hospitalitatis, huius Christianæ uirtutis, ad Hebr. 13. Scribit etiam ad Rom. 12. Paulus: necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. &c.

BENIGNVM.

Est in græco iucunda uocis compositio: quæ facile uno latino uocabulo reddi non potest. Græce itaq; legitur φιλαγαθὸν, qđ sonat, interprete Erasmo,

studiosum

ſtudioſum bonarum rerum, aut amantem bonos. Quaſi dicas, qui ſocietati bonorum ſe iungat, & honeſtis atq; utilibus in Eccleſia delectetur. Teutonice, der ſicherlicher leuthe, und redlicher tadten uleyßige. Ac citat etiam Theophylactũ Eraſmus, qui græcam uocẽ huius loci exponat, humanũ, modeſtũ, minime inuidũ. Sic enim ſcribit Theophylactus, Benignum adpellat, qui humanitate ſit & modeſtia præditus, & nulli inuideat. Lutherus uertit guetigẽ, qua uoce apud germanos, humani & clemẽtes ſignificantur.

MODESTVM.

Græce eſt σώφρων, quæ uox teſte Eraſmo ſignificat ſobrium & ſanæ mentis. Vt intelligamus animum ſibi præſentem requiri in Epiſcopo, & nullis temulentum cupiditatibus. Vetus interpres pro hac eadem uoce, 1 Timoth. 3. legendum exhibuit, prudentem, hic uertit ſobrium. Vnde etiam ex illius mente intelligas neceſſe eſt, eum qui in omnibus actionibus ſuis, & in omni conuerſatione ſua, prudenter, temperate ac modeſte & ſobrie ſeſe gerit. M. Lutherus uertit zuchtig, & exponit, uernufftig, meßig.

Vana ſunt ergo, quæ Gratianus in hanc uocẽ commentatur, exiſtimans Paulũ hoc loco requirere ab Epiſcopo, quandã peritiam literarum, tum etiam intelligentiã quandã, ad diſpenſandas ſcilicet res ſecu

lares. Hoc enim enarrans quod pro hac uoce, 1. Timoth. 3. legit, uidelicet prudentem, deceptus per interpretem, dicit: oportet etiam ordinandum esse prudentem. Quod contra eos notandum est, qui sub nomine simplicitatis excusant stulticiam sacerdotum. Prudentem autem oportet Episcopum intelligi, non solum literarum peritia: uerum etiam secularium negotiorum dispensatione. Hæc ille. O igitur plausibilem expositorem pro ambitiosis: quibus scilicet gloria regni Christi non est curæ, sed quomodo ipsi imperiose dominentur in hoc mundo. Sed tamen plausibilius glossator attexit, dicens: Cum enim Episcopus sit iudex corporum & animarum, oportet eum tàm spirituali, quàm seculari scientia ornari. Hæc & his similia, uana & stulta, imò impia, tyrãnica et noxia, congesserunt Gratianus & Canonistæ, & scriptis Pauli affinxerunt: quæ ille nunquam cogitauit, nec potuit cogitare. Sed istorũ scripta coronant Episcopi & Canonizant, non sine caussa. cum nostra, quæ sunt germana & propria, & mentem Pauli recte enarrant, damnent.

IVSTVM.

Est etiam in hoc nomine generale quiddam: & complectens ea omnia, quæ bono & pio uiro adesse debent. Quasi dicat, talem uolo esse Episcopum, qui nullis christianis uirtutibus nõ sit ornatus, atq; adeo,

qui

qui reddat unicuiq; quod suum est. In hunc modum itaq; iusti sunt, ueraces in promissis, & tenaces pactorum, constantes in dictis & factis. gerecht und auffrichtig. Similiter officia dilectionis omnia facientes, ignoscentes illis, à quibus sunt læsi, & tegentes aliorum uicia & peccata. Quod est Christiane iustũ esse, qualem fuisse legimus Ioseph, maritum Mariæ, uirum iustum & bonum Matth. 1.

Huius iusticiæ studium, Christus ipse, in hunc modum nobis commendat, Math. 7. Omnia quæ uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Hæc est enim lex, & prophetæ. De hac ergo generali iusticia bonorum operum & factorum honestorum, cuius obedientiã nos præstemus, loquitur Paulus. Alia est autem, & diuersa ab hac, fidei iusticia, illa, qua à peccato & æterna morte liberamur, per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quatenus credimus in eũ. Cuius effectus sunt, uerus Dei timor, uera dilectio, inuocatio, Confessio, laus, & gratiarum actio, atq; adeo tota reliqua obedientia bonorum operum. Tota enim nascitur ex uera in Iesum Christum fide.

SANCTVM.

Inter ἅγιον & ὅσιον discernunt interpretes. Nam ἅγιον dici affirmant, qui est immunis à peccato, & à uitijs alienus, quæ uox hic non legitur. Porrò ὅσιον, qua uoce hoc loco usus est Paulus,

non eo tantum modo sanctum esse, sed & præcipua quadam pietate præditum erga Deũ. Ac citat Erasmus scriptum Hieronymi, qui hanc uocem ita interpretatur, ut affirmet significare sanctitatem, mixtã pietate, quæ ad Deum refertur.

Hic ergo, cum legamus ὅσιον, ut dictum est, intelligamus ita sanctum à Paulo requiri Episcopum, ut non solũ purus sit, ab ijs uitijs, quæ alioqui reprehendi ab hominibus solent ac possunt, uerum etiam ut illas uirtutes habeat, in quibus potißimum sita est pietas Christiana. Vt sunt uerus Dei timor, uera fiducia & dilectio in Deum, quæ uirtutes illum & ab internis inquinammetis uiciorum & peccati purgant, & uere sanctum efficiunt coram Deo. Deniq; amabilem pijs, utilem Ecclesiæ, tum digno nomine & utiliter Episcopum

CONTINENTEM

ἐγκρατῆ, id est, temperantem. Hoc est, superiorem omnibus prauis affectionibus in carne, præsertim libidinis. Ita ergo continentem, seu temperantem dici intelligas, ut qui sit pudicus & castus, tam in dictis quàm in factis, decorũ boni et honesti uiri retinens. In summa, qui nullis cupiditatibus uincatur, sed ipse omnibus imperet ac dominetur. Tribuit enim Erasmus Hieronymo, quòd doceat, hanc uocem à quibusdam haud recte ad solam referri libidinem

nem, cum ad omnes pertineat affectus, iram, auarici am, ambitionem, inuidentiam, timorem, ut omnibus his sit superior episcopus. Nec displicet sententia, si coniungas, hoc præcipuo requiri ab episcopo, ne libidinibus superetur, ut coniugalem castitatem intelligamus laudari, & uulgares scortationes reprehẽdi. Sic enim consentiet cum eo, quo præcipit, ut episcopus suam quoque uxorem habeat, quem uult tamen castum esse, hoc est, à scortationibus & adulterijs sibi temperantem.

Hæc ergo continentia summe laudabilis est in episcopo, sicut intemperantia, qua ille libidinibus seruit, est summe uiciosa. Nam de alijs affectiōibus, quarum hic fecimus mentionem, ferè in superioribus est dictum. Pergam nunc & de his reliquis dicere, quæ Paulus in doctrina ab episcopo requirit, ut uidelicet sit tenax fidelis sermonis, qui secundum doctrinã est. Vt potens sit etiam exhortari per sanam doctrinam, & contradicentes conuincere.

TENACEM EIVS, QVI SECVNDVM DOCTRINAM EST, FIDELIS SERMONIS.

Itaq; Paulus inter cætera episcopi & doctoris Ecclesiæ decora ultimo loco agit de ratione & necessitate doctrinæ. In eligendo enim & ordinando, ante omnia spectari debet integritas seu puritas & sancti

monia eius priuatæ uitæ. Nam si alleges & sufficias in locum episcopi hominem aliquem impudicum, scortatorem, contumacem, asperum ac sæuum, iracundũ, uinolentum, contumeliosum, auarum & turpiter lucra & sua commoda sectantem, nihilo melius consulueris Ecclesiæ, quanquã doctus sit quem præficias, quàm si turpißimum aliquem lenonẽ ei in caput iungas, & facias illius gubernatorem, ut longe præstaret, neminem prorsus ei præficere, quàm talem ordinare. Ille enim corruptißimæ uitæ, nec potest ueritatem doctrinæ fideliter et pure tradere, idem omnium grauißimo scandalo Ecclesiam præterea lædit, nempe ut uerbi Dei doctrina ab alijs penitus fabulosa esse credatur.

Hæc igitur non dicuntur eo, quasi calumniemur diuinum uerbum & sacramenta per impios administrata, & efficatiam seu potentiam operandi eis detrahamus. Dignitas.n. & efficatia uerbi Dei & sacramentorum semper manet eadem, à quibuscunque tandẽ ministrentur, & æqualiter prosunt administrata his à quibus per fidem gratiæ suscipiũtur, sed eo dicũtur, ut cõsideretur, quales pestes sint in Ecclesia, qui alios corruptißimis uitæ exemplis lædunt, nullo modo ferẽdi, ut sint in Ecclesia loco pastorum & episcoporum, quia trahũt totum reliquum uulgus, ut omnia diuina contemnat, & neque fidem, neque pœnitentiam

tentiam ueraciter aut serio prædicare possunt.

Quanquam si casus ita ferat, ut huiusmodi labes & maculæ, & nephariæ uitæ homines, sint ferendi, in loco doctorum Ecclesiæ, non est protinus tamen in totum desperãdum, & meliores quidam hoc diligentius admonere & hortari Ecclesias debent, ne propter corruptam & indisciplinatã istorum uitam uerbi Dei doctrinam contemnant, sed uoci Christi obediant, qui, ut est Matth. 23. inquit: Super cathedram Mosi sedent scribæ & pharisæi. Omnia ergo q̃cunq; iusserint uos seruare, seruate & facite: secundum opera uero eorum nolite facere. Sic enim commendat ille nobis honorem & obedientiam, quæ uerbo Dei debemus, & ab offendiculis & imitatione exempli impiorum nos abstrahit.

Cæterum non est simplex, quod Paulus inquit: In doctrina requiro tenacem fidelis, id est, firmi ac certi sermonis episcopum, sermonis, inquam, qui est secundum doctrinam, hoc est, qui posit docere, pia ac firma tradere. His enim significat talem debere esse episcopum, qui sua doctrina confidat, ut certæ & testimonijs scripturarum cõfirmatæ. Vt sit assertor Christianarum dogmatum & prædicationis. Nam si incerta ac dubia tradat, cui persuadeat, obsecro, aut quem cõsolabitur efficaciter? Sicut qui doctrinis mandatorum hoĩm Ecclesias fallunt. Certa itaq; & solida

Doctrinæ certitudo ac firmitas.

tradat, ut qbus à nemine aduersariorũ resisti poßit, ac ne quidem à portis inferorum, quibus homines pij adhærere poßint ac niti, tanquam anchoræ animæ tutæ ac firmæ. Necesse est igitur assertiones esse, ideo & assertionibus oportet uti atq; delectari episcopũ. In assertionibus tamen non nitatur dogmatibus suo iudicio ueris ac firmis, sed quæ certa & firma nouit testimonijs scripturæ, & compertißima habet. Nã ἀντέχεσθαι, qua uoce usus est Paulus hoc loco, autore Erasmo dicitur proprie, q adhæret alicui, uelut unguibus affixus, nec se sinit auelli. Atq; ita certe doctrinæ Christianæ affixi & immobiliter inhærẽtes esse debemus, imprimis episcopi & Ecclesiæ doctores.

Primum ergo opinionum uarietate, & incertitudine dogmatum, turbari, uexari, ac distrahi, haudquaquam debent Ecclesiæ, sed solo uerbo Dei gubernari. Quod etiam solum uera, certa ac firma tradit. Habes autem pestilentißima exempla theologorum scholasticorum, qui inter se nimium uariãt. Tũ incerta tradunt, de quibus ipsi dubitant et dubitare iubẽt, quia multa prædicare in Ecclesia sibi sumpserunt ex doctrinis mandatorum hominũ, atq; ideo meruerunt ita torqueri, ut nec suis ipsorum doctrinis satis confiderent. Diximus autem & suprà, cum uersaremur in epigraphæ enarratione, de certitudine doctrinæ, cui fidere ac niti debemus, explicantes illa præcipua

capita,

capita, de fide iustificante, & operibus bonis, quæ omnes nosse, & clara intelligentia tenere refert.

Vetat ergo Paulus, ne incerta & dubia loquantur episcopi, de quibus ipsi in periculum dubitationis uenire queãt. Et hoc nomine adiurat Timotheum, ut firmæ prædicationi nitatur ac hæreat, atq; adeo urgens Ecclesiis illam tradat. 2. Timoth. 3. Tu uero permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instituere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Tota enim scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum, in iusticia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonũ instructus. In eadem capite 4. Testificor coram Deo & Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in adparitione sua, & in regno suo, prædica uerbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, exhortare, omni patientia et doctrina. Hæc .n. nisi de firmis ac certis Paulus non potuit præcipere aut loqui. Et Petrus inquit 2. Pet. 1. Habemus firmiorem sermonem propheticũ, cui dum attenditis, ceu lucernæ adparenti in obscuro loco, recte facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris.

Non igitur humana & fabulosa commenta licebit in Ecclesia Dei prædicare, nec uerbum Dei cum

dubitatione aut diffidentia loqui, sed doctores ante omnia confirmati & certificati de ueritate doctrinæ, firmis consolationibus erudire Ecclesias debent, & seruare illas à dubitatione & desperatione, nam quicunque hoc non præstiterint, sunt indigni episcoporum & pastorum Ecclesiæ nomine & officio, nec faciunt quod debent. Et quoniam Ecclesias hac in parte consolationum deserunt ac dilabūtur ipsi ad dubia & incerta, fures sunt & latrones, & inania idola potius quàm pastores, quorum formas habes depictas Zachariæ undecimo, Hieremiæ uigesimotertio. Ezechielis tricesimoquarto, tum alijs pluribus locis sacræ scripturæ.

In summa, Paulus non patitur fungos aut stipites Ecclesiæ Dei præfici, sui ac suarum rerū, hoc est, doctrinæ & prædicationis fidei ignaros, dubios atq; incertos. Nā & Act. 20. utiq; confirmatis in fidei Christianæ dogmatibus, episcopis uidelicet & Ecclesiæ doctoribus, in hunc modum loquitur: Cauete uobis, & uniuerso gregi, in quo uos spiritussanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: Sed quid hæc multis ago? Si enim oporteat nos more Scepticorum dubitare de dogmatibus Christianis, & incertos esse, quid erit miserius Ecclesia Dei? Imò impoßibile est Ecclesiam esse, quæ dubitat adhuc, ignara siue incerta doctrinæ fidei & con

solationum

ſolationum Chriſtianarum. Hanc igitur quæ uere eſt Eccleſia Dei, neceſſe eſt fidei petræ inniti, ac certam eſſe de ueritatis & ſalutis doctrina, aut nõ eſt Eccleſia Chriſti, Antichriſti autẽ Eccleſia eſſe poteſt, quæ ſe mentitur Eccleſiam Chriſti eſſe, cuius tamen non eſt niſi uaſtatrix.

Sed quod ad formam doctrinæ attinet, hoc quoq; meminiſſe debemus, Paulum hoc loco tria requirere in epiſcopo. Primum, ut tenax ſit firmæ ac certæ prædicationis ſiue doctrinæ, uidelicet, qua Eccleſias potenter conſoletur atque confirmet. Secundum, ut ſit potens exhortari illas per ſanam doctrinam, nimirum, ut officium faciant, & fructificent in doctrina pietatis, quam acceperunt. Tertium, ut nouerit contradicentes conuincere, & eo modo Eccleſiam ab aduerſarijs Chriſtianæ doctrinæ liberare. Quæ omnia 2. Timo. 2. uno uerbo complectitur, præcipiens ſeruum domini (qualem ſuprà ab initio huius epiſtolæ in Pauli perſona deſcripſimus) eſſe διδακτικον, hoc eſt, aptum ſiue adpoſitum ad docendum. teut. lerhafftich. Siquidem hũc talem neceſſe eſt, tribus prædictis uirtutibus ſeu potentijs doctrinæ præcellere, ualere ac præditum eſſe.

Forma doctrinæ triplex.

Conati ſunt autem & ueteres quidam ſancti patres formas quaſdã tradere ſeu Canones certitudinis doctrinæ, ſiue fidei certos articulos, à qbus uariare

nemo Christianus debeat. Quod fecerunt quidē, cum iam inualescere cœpissent hæreses plurimorū, à quibus non fuit tutum, aut facile, cuilibet è uulgo sibi cauere. Hac igitur caussa scripta sunt aliquot symbola, quæ Ecclesia retinet, ut certa ac firma, & pro catholicis legit. Cum nulli Christiano liceat ab his dissentire, ut quorum certitudo ac firmitas accepta est & collecta ex sacris scripturis. Inter q̃ præcipua sunt, illud quod dicitur apostolorum, & quod canitur in Missa, tum Athanasii symbolum. Sed extat præterea quidam Canon, in quo nominatim agitur, de eo, quomodo examinandus sit, qui in episcopum eligitur. Is legitur inter Pontificios. distin. 23. Qui quoniā eruditus est, tum docti & pij seculi, & à Gratiano tribuitur Carthagin. concilio quarto, curabo, ut huc uerbotim trāscribatur, quem deinde & enarratione quadam percurram.

Quomodo sit examinandus qui in episcopum eligitur.

Itaq; uerba Canonis sunt.

Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudent, si docilis, si peruigil, si moribus temperatus, si uita castus, si sobrius, si semper suis negocijs cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus acutus uel cautus, si in dogmatibus

tibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta uerbis simplicibus asserat, scilicet patrem & filium & spiritumsanctum unum Deum esse confirmans, totamq; trinitatis unitatem, deitatem & & coessentialem, & consubstantialem, & coëternalem & coomnipotentem prædicans. Si singulas quasque in trinitate personas plenum Deum, & totas tres personas unum Deum: si incarnationem diuinã nõ in patre, neq; in spiritusancto factam, sed in filio tãtum credat, ut q in diuinitate erat Dei patris filius, Deus uerus ex patre esset, & homo uerus ex matre. Carnem ex matris uisceribus habens, & humanam animam rationalẽ. Simul in eo ueritas utriusq; naturæ, id est, Deus & homo, una persona, unus filius, unus Christus, unus Deus, creator omnium quæ sunt & autor, dominus & rector, cum patre & spiritusancto, omnium creaturarum, qui passus sit pro salute nostra, uera carnis paßione, mortuus, uera sui corporis morte, resurrexit, uera carnis suæ receptiõe & uera animæ resumptione, in qua ueniet iudicare uiuos & mortuos.

Quærendum est etiam ab eo, si noui & ueteris testamenti, id est, legis & prophetarum, & apostolorum, unum eundemq; credat autorem & Deum, uiuos & mortuos iudicaturum. Si Diabolus non per conditionem, sed per arbitrium sit factus malus.

Quærendum est etiam ab eo, si credat huius quam gestamus carnis, & nõ alterius resurrectionẽ, si credat futurum iudicium, & recepturos singulos pro his quæ in hac carne gesserũt, uel pœnas uel præmia. Si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo peccata omnia, id est, tam illud originale peccatum contractum, quàm illa quæ uoluntarie admissa sunt, dimittantur. Si extra Ecclesiam catholicam nullus saluetur.

Cum in his omnibus examinatus fuerit, inuentus plene instructus, tum consensu clericorum, & laicorum, & conuentu totius prouinciæ episcoporũ, maximeq; Metropolitani, uel autoritate uel præsentia ordinetur episcopus. Suscepto autem in nomine Christi episcopatu, non suæ delectationi nec suis moribus, sed his Patrum diffinitionibus acquiescat.

Proinde hoc sanctorum Patrum decretum magna & ardua ab episcopo requirit, & pulchre subseruit his, q̃ à Paulo in hac ad Titũ epistola de episcopi forma & insignibus siue ornamentis eius traduntur. Nemo nunc ad huius decreti præscriptum examinatur, ne quidẽ summorũ Pontificũ & episcoporum, cum omnes prorsus presbyteri in Ecclesia, oẽs pastores & doctores eius leges tenere debeant,

tum

tum honestate morum, professione fidei, ac praestatio ne officij exprimere. Sed quid dico non examinari episcopos, siue ordinari ad huius decreti praescriptam formam? cum nec eligantur iam ad hoc, qui bonis moribus, uel sanctitate uitae, & sana doctrina alijs utiles in Ecclesia esse possent, sed tantum, qui in secularibus negocijs sint curiosi & callidi procuratores, opes & tyrannides augeant, per auariciam et ambitionem sibi uiuant, & supra regum gloriam euehantur.

Itaq; multi sunt hoc tempore episcopi, qui, quae hoc beatorũ patrum decretum statuit, prorsus ignorant, ac ne quidem ad se pertinere existimant, sed & legentes non intelligunt. Iamdudum enim pro abrogatis & mortuis huiusmodi constitutiones in Ecclesia Papae habentur. Creduntur enim ueteris Ecclesiae esse, & huius nouae, quã constituit Papa, alios mores & aliud ingenium esse, quod nimis uerum est. Nã & papistae nulli q̃ legibus Papae subesse uolunt, & Papa sibi audacter sumit, q̃ posit praescripta apostolica suis nouis & impijs cõstitutionibus permutare. Iam etiam, ut sint aliqui ex episcopis, qui hoc sanctorũ patrum decretum & piam constitutionem intelligãt, de forma & officijs episcoporũ, quot, obsecro, putamus illorũ esse? quot itẽ ex parochis & pastoribus Ecclesiarum, quales iam diu nulli sunt episcopi?

Quapropter meum officiũ facturus, morabor hic paululum, & quasi per digreßionem exponam non nihil hanc piam cõstitutionem, ut uel imperiti (nam istis ferè gubernacula Ecclesiæ traduntur hoc tempore, hoc est, officium prædicandi uerbum Dei, & sacramenta administrandi, quod olim fuit episcoporum) melius intelligant, quid se deceat, Ecclesiæ pastores præstare, si tamẽ boni esse uelint, & officium facere. Non q̃, hæc sint neceßaria propter constitutionẽ patrum, sed quia ligant omnes propter autoritatem uerbi Dei, tũ apostolorũ constitutiones, sine quibus concilij autoritas nulla esset, & nihil prorsus ualeret. Faciam præterea hoc in confirmationem traditæ hoc tempore purioris doctrinæ in Ecclesia, simul ut melius exponam, quid sit quod Apostolus iubet, ut talis ordinetur Ecclesiæ doctor, q sit tenax eius, q secũdum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.

De ecclesiasticis dogmatibus, & primo de triplici legis usu.

Illa igitur de moribus episcoporum, de quibus præcipitur in Decreto patrum, non attingam, uidelicet antea perspicua satis ijs, qui latinum idioma callent: Deinde maxima ex parte supra exposita in tractatione loci Paulini, de honestate, moribus & uita episcoporum.

porum. Sed de ecclesiasticis dogmatibus agam, quæ refert intelligere episcopum siue Ecclesiæ doctorem, & alijs clare tradere posse.

Itaq; prudenter requirunt sancti patres, talem debere ordinari episcopum & doctorē in Ecclesia, qui sit in lege Domini instructus. Eius est enim, posse Ecclesias docere de uero timore Dei, de dilectione, fiducia ac spe habendis in Deum. Item de dilectione proximi, pace & concordia cum alijs retinenda, de exercenda patiētia in aduersis, & alijs quæ sub his partibus continentur, quæ uidelicet Christum professos uel præstare in uita, uel fugere et declinare oportet, de quibus omnibus in lege Domini præcipitur, hoc est, in Decalogo & ea Mosaicæ legis parte, quæ dicitur moralis, seu iusticiæ politicæ, & bonorum operum, cuius nos constat debitores esse. Nihil de forensibus à Mose præceptis loquor, sed de ea legis doctrina, quam urgent Christus & apostoli, & eius obseruationem quandam etiam à iustificatis requirunt, & quidem longe meliorē, quàm posit à carnalibus præstari. Deniq;, sine qua nec pœnitentiæ doctrina retineri in Ecclesia posset. Quæ omnia efficiunt legis doctrinam necessario retineri in Ecclesia, quam etiam doctores eius fidelißime tradant. Qua caußa & nos curabimus eam doceri, tradi & urgeri, & modum seu formam explicandæ eius iam proponemus.

Sciant igitur concionatores, qui uerbum Dei Ecclesiis tradunt, & curant recte instituere illas, (nihil enim nobis cum papisticis episcopis, qui neque docēt ipsi, neq; curant uerbum Dei in Ecclesia doceri, aut opprimūt etiā. Neq; enim sunt episcopi, ac ne quidem Christiani, sed homines prophani, fidei hostes, iudicijs Dei permittendi,) triplicem esse legis usum. Habet enim lex alium usum in carnalibus, alium in spiritualibus, siue in renatis, illis, qui Euangelio Domini nostri Iesu Christi crediderunt, & à spiritusancto gubernantur. In carnalibus autem sunt duo legis officia: prius politicum, mundanum & corporale, alterum theologicum, diuinum & spirituale: De singulis his partibus ordine loquemur.

Triplex legis usus.

Proinde usus legis politicus est externus, quo homines corporaliter, siue huius mundi more coërcentur, ne licentius peccent, & in omnis generis uicia & scelera diffluant ac dilabantur, sed ut bonorum morum & publicæ honestatis disciplina quadam gubernentur. De hoc legis officio & usu scribit Paulus Galat. 3. Lex, inquit, pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificemur. Significat autem coërcitos fuisse homines carnales, & adhuc coërcendos esse, si qui sunt carnales, lege ab externis flagicijs, & ad officia ciuilia, ad pacem & concordiam urgendos, tanquam officio pædagogi & tutorum, donec

Politicus legis usus.

donec perueniant ad fidem in Christum, qua iustificati, legem sua sponte faciant, & longe melius quàm fiebat opera & officio pædagogi seu legislatoris, ut cũ inuiti & rebelles ad obediẽdum legi traheremur, uarijs scilicet & uiolentis medijs. Comminatur enim Deus transgressoribus grauißimas pœnas, uariarum calamitatum, corporalium & spiritualium, temporalium & æternorum. De quibus, ut sim breuior, lege quæ sunt Leuit. 26. Deut. 27. 28. Nam etiam punit tandem peccata & transgreßiones æterna morte, in his qui non perueniunt ad fidem in Christum, & per pœnitentiam non emendantur, neque resipiscunt. Quanquam enim nulla nostra iusticia pœnas æternæ mortis euadere possumus, certum est tamen, q; quicunq; in peccatis & transgreßionibus legis durant, sine pœnitentia & sine correctione sui, nunquam possint salui fieri, ut ne dicam, q; sicut nullo timore Dei sunt præditi, ita nec fidem, qui tales sunt, in Deũ per Iesum Christum habere.

Porro hunc legis usum & philosophi tradunt, & Cæsarum siue imperatoriæ constitutiones. Et cauendum est omnibus pijs, ne qui male de hoc legis officio & usu aut sentiant aut loquantur. Satis est, si legi detrahas effectum iustificandi & saluos faciendi coram Deo, siue liberandi homines à peccato & æterna morte. Et ciuiles magistratus quidem seruiunt,

in hoc officio legis, huius pædagogiæ ministri, ad hoc ordinati à Deo, ut iusticiam hanc morum, quanquàm non nisi externam & imperfectam tradant atq; conseruent in terris, ac puniant eius contēptores seu uiolatores, sicut Paulus docet Rom. 13. & Petrus 1. Pet. 2. Nec ferant, ut quis eam conuicietur, siue male audire faciat. Et huc quoq; facit illud Pauli. 1. Timoth. 1. Lex iusto non est posita, sed iniustis & inobedientibus, impijs & peccatoribus, sceleratis & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei.

Significat itaque Paulus homines carnales, ut dictum est, semper coërcendos esse officio legis & ciuilium magistratuum. Item, aduersari sanæ Euangelij doctrinæ omnes eos qui flagitiose uiuunt, & per consequens neq; posse saluos fieri. Nam si qui cū doctrina Euāgelij pugnant, quomodo isti salui fierent corā Deo? Prædicat aūt & pœnitētiam Euangelium, quare hoïes facinorosi & impœnitentes nequeunt saluari. Neque pertinet ad istos promißio remißionis peccati, & uitæ æternæ. Quæ omnia satis nos docent de neceßitate obedientiæ erga legem, etiamsi nemo ꝑ eius opera & facta iustificetur corā Deo. Ac docet præterea Paulus hoïes flagitiosos debere puniri.

Nullus

Nullus enim legum usus est, & nulla commoditas haberi ex eis posset, si sontibus nullæ pœnæ constituantur. Satis enim constat, multos odisse legum disciplinam, & præceptionibus illius per externas transgreßiones aduersari. Qui etiam cohiberi debent, & quidem certis pœnis, administratis officio ciuilis Magistratus. Cuius est ob id honestißimum & sanctißimum officium cum Deo, qui similiter multis plagis, ut dictum est, punit hominum peccata & legum bonarum transgreßiones. Adeoq; per æternam mortem tandem, in his qui sine promißionum Euangelij fide, & sine pœnitentia manent.

Sed in doctrina, de hoc legis usu prudenter admonendi sunt homines, ne per præcepta opera legis & facta sua quærant iustificari coram Deo. Nam opera legis facientes, non efficimur iusti, nisi hominum more, hoc est, ciuiliter, philosophice, atq; adeo pharisaice. Hanc enim iusticiam multi impij habuerunt & habere possunt: qui cognitionis Euangelij & fidei in Deum penitus ignorantes sunt & fuerunt. Prorsus uacui & inanes spiritus Iesu Christi, neq; legis neq; Dei amantes. Hac igitur iusticia nemo peruenit, aut perueniet ad peccati remißionem, & uitam æternã: Habet tamen multas magnas alias commoditates, hic legis usus, quia efficit ut pacifice et tranquille in hoc seculo uiuamus, cũ honestate. Et Deus hanc iusticiã

multis corporalibus præmijs honorat. Leuit. 26. etc. Et assuefacit paulatim homines ad pietatem erga Deum, ut Euangelium quoq; discant, quo tandem spiritualibus & æternis bonis potiantur. Sic enim est lex pædagogus noster, ut ex fide in Christum iustificemur. Iubet enim, ut uerbum Dei discamus, tàm promißionum gratiæ, quã debitæ obedientiæ nostræ erga legem. Per Euangelium autem confertur nobis ea iusticia, quæ adfert peccati remißionem & æternam uitam. Quod homines flagitiosi, qui sine disciplina legis agunt, aut nunquam discunt, aut certe rarißime. Quare longe fœliciore loco sunt, qui legem audiunt & discunt, & illius disciplina etiam ciuiliter gubernantur.

*Vsus legis theologicus & spiritualis.*

Alterum legis officium in carnalibus, est præcipuum ac principale, & usus eius theologicus & spiritualis. Etsi non efficiat spirituales, saltem liberando homines à peccato, aut pios ex impijs faciendo. Nam præter id, quòd carnales motus lex aliquo modo coherceat, & abstrahit homines ne desideria illorum faciant, habet diuersum quendam alium usum, in illis qui fide in Christum nondum sunt iustificati. Iustificandis enim ostendit suã corruptionẽ, & peccatum, quod habent agnatũ & cohærens in carnali natura, et peccatũ hoc accusans, ipsos quoq; peccatores iudicat, & condẽnat æterna morte. De hoc legis

officio

officio & usu loquitur Paulus ad Rom. 3. ubi inquit: Per legem agnitio peccati. Loquitur enim, nō de illo peccato tātum, quod est externarum transgreßionū, et flagitiorum, siue scelerum, quæ captus naturalis alioquo modo intelligit, iudicat, reprehendit ac damnat. Sed uel maxime de peccato interno, & transgresſione cordis, hoc est, de peccato, quod omnes in carnali natura habemus, uiciosi per improbam & turpem concupiscentiam, atq; adeo per ignorantiam Dei. Prorsus immedicabili uulnere peccati, nisi quātum per gratiam tollitur & sanatur. Nam eius tanta uis est, ut nunquàm non rapiat carnales, quodam occulto odio aduersus legem, & contemptu contra omnia diuina.

Ac loqui Paulum et sentire de illo peccato, magis liquet ex his, quæ sunt de eodem, Rom. 7. Nam eo loco prolixe docet, quomodo lex est spiritualis doctrina, non de externis criminibus & peccatis solum agens, sed præterea de uiciatis motibus cordis. Nam & requirit perfectā quandam cordiū nostrorum puritatem ac pietatem, timorem Dei, dilectionem & fiduciam in Deum. Item dilectionē proximi, & iubet nos abesse ab auaricia, ambitione, inuidentia, odio, & similibus uicijs prauæ concupiscentiæ & desideriorum eius. Deinde asserit Paulus, nos esse hoīes carnales, uenūdatos sub pccatū, ut q̄bus nihil prorsus

cum diuinis legibus conuenit, aut potest conuenire: Ita ut de perfectione insticiæ erga legem aliquis no strûm gloriari posset. Nos enim aduersamur legibus natura, nec sumus nisi peccatores. Non quàm phari saice iusti, etiam cum optimi sumus. Hinc idem Apostolus & Rom. 3. scribit. Caussati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Sicut scriptum est. Quòd non est iustus quisquam, non est intelligens, nõ est requirens Deum, Omnes declinauerunt, simul in utiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne unus quidem. His ergo demõstrationibus usus, concludit gehennæ, & condemnationis æternæ alumnos esse, nec seruari posse ullos homines, nisi per gratuitam peccati remißionem. Quæ contingit quidẽ propter Christum, his qui credunt in eum: In alijs efficax est mors damnationis. Huc facit itaq;, quod citat ex Deu. 27, in epistola ad Gal. Cap. 3. Maledictus omnis, qui non permanserit im omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Contendit enim Paulus omnes homines natura transgressores legis esse. Nam peccatum damnans ipsi quoq; infantes habent, protinus cum nati sunt. Nec liberantur ab illo peccato & damnatione, nisi per Christum.

Lex non est iustificatiõis doctrina.

Neq; uero satis est nosse, quòd in hoc damnabili peccato natura omnes homines sumus, sed oportet præterea adijcere in doctrina, esse in omnibus nobis

natura

natura quandam impoßibilitatem, ad faciendum siue præstandum ea, quæ sunt nobis per diuina mandata præcepta. Ex quo colligere est, neminem per legis opera et facta iustificari coram Deo posse. Impie igitur credi, q lex sit iustificationis doctrina: siue, quòd homines peccatores, mereantur sibi peccati remißionem, aut uitã æternam, suis operibus et factis seu iusticia legis. Ita ut in papisticis Ecclesiis docetur & creditur, imbutis hac pharisaica & blasphema opinione. Nam hoc uirus impiæ opinionis, & Iudaicæ atq; Ethnicæ, ipsi quoq; scholastici theologi in Ecclesia sparserunt, & adhuc spargunt, ubi regnum obtinet Pontifex Romanus, Pseudoepiscopi & Monachi, fœdo ac blasphemo errore: Proinde necesse est, ut contra istas impietates se muniant concionatores, claris, firmis, & copiosis, sacræ scripturæ testimonijs, quæ doceant atq; declarent, q nemo per opera legis coram Deo iustificari poßit, nemo peccati remißionem, iusticiam, uel æternam uitam, consequi aut mereri, per illa sua opera & facta. Tum q hæc, peccati remißio inquam, & iusticia & æterna uita, solis contingant, qui in Christum Iesum credunt, nec propter aliud, quam Christum, qui est precium pro peccato & morte, nec per aliud, quàm per fidem in eundem Christũ. Quia hæc gratiæ, iusticiæ, & salutis beneficia, aliter nõ possunt accipi, quàm per fidẽ.

Nec est fides in Christum, nisi qua homo, nude beneficijs gratiæ eius sese committit.

De priore itaq; , q, nemo per opera legis iustificetur, aut saluus fiat, habemus præcipua hæc testimonia. Rom. 3. Ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nã si per legem iustificaremur & saluaremur, Euangelij plane nullus usus esset, & Christi mors esset inutilis & ociosa. Huc facit illud ad Gal. 2. Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi: et nos in Christum credimus, ut iustificemur ex fide Iesu Christi, & non ex operibus legis. Propterea quòd ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Et ibidem, Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legẽ iusticia, ergo gratis mortuus est Christus. Et Rom. 8. Quod impoßibile erat legi, (scilicet iustificare hominem & saluare, seu liberare à peccato & morte impium.) eo quod infirmabatur per carnem, (nempe, impedita, per imbecillitatem carnalis naturæ, quæ spiritualem obedientiam, hoc est, puritatem cordis & affectuum, non potest præstare.) Deus filium suum mittens, in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, (hoc est, Deus iustificauit nos, & saluos fecit, misso ad hoc, unigenito filio suo, quem dedit

dit oblationem, precium, uictimam & satisfactionem pro nostris peccatis, & pro æterna morte.) Vt iustificatio legis impleretur in nobis, (iustificatio quidem illa, de qua lex præcipit, sed impoßibili conditione.) qui non secundum carnem ambulamus, sed secūdum spiritum. (Id est, qui spiritu legem facimus & non obtemperamus carni, sed desiderijs eius morimur. Spiritu autem facientes legem, quem à Christo Iesu habemus, qui confert nobis peccati remißionem & æternam uitam.) De necißitate autem nouitatis in renatis, per promißionum Euangelij fidem, infra dicemus in loco de tertio legis usu.

Iusti per fidē in Christum.

Quanquam autem & iam memorata testimonia clare doceant, hoc alterū de quo proposui, quòd uidelicet remißio peccati, iusticia illa, qua salui & beati coram Deo sumus, & æterna uita, solis contingant, qui in Christum Iesum credunt, nec per aliud, quàm per fidem in Christum, & propter Christum, tanq̄ precium et satisfactionem pro nostris peccatis, & pro æterna morte: Tamē ut hæc profeßionis Christianæ copiose muniamus, & gloriā Christi eminenter ornemus, ac honoremus, libet etiā hæc sequentia testimonia subijcere, per quæ etiam confirmatiora erūt, quæ affirmamus. Vt ex Epistola ad Ro. Cap. 3. Nunc autem sine lege, iusticia Dei manifestata est, te

stificata à lege & prophetis. Iusticia autem Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui cre dunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, (id est, omnes peccatum habent, et sunt transgressores. Actus pro habitu.) & egent gloria dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemp tionem, quæ est in Christo Iesu. Quem proposuit De us propitiatorium, per fidem in sanguine ipsius.

Ita ergo detrahit legi, uidelicet effectum iusti-ficationis Paulus, & affirmat, nos gratis iustificari, ignoscente peccatis nostris Deo, per misericordiam, propter Christũ, ut per fidẽ eiusdẽ gratuitæ gratiæ, remißionẽ peccati & iusticiam à Christo petamus: Quin etiam hæc est propria Euangelij & promißio num gratiæ doctrina, quòd uidelicet, per remißionẽ peccati gratuitam, propter Christum à peccato & morte saluemur, si tamen in illum credamus. Ioan. 1: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credi-dissent per nomen eius. Ioan. 3. Sic enim Deus dilex it mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut om-nis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Iam huc facit illud Act. 4. Hic est lapis, qui reprobatus est à uobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est per aliquem alium salus: Nec enim aliud nomen est sub cœlo datũ hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri, Itẽ illud, Act. 10.

Petri

Petri testimonium. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, quòd remißionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Adde illud Pauli, Act. 13. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quòd per hunc, (Christum) uobis remißio peccatorum annunciatur, ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari. Per hunc omnis qui credit iustificatur. Deniq; illud Rom. 10. Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credenti.

Ergo iamdudum satis est testimoniorum quæ doctrinam nostram muniunt, & clare explicant, quòd iustificatio & salus nulli per opera legis contingit, & quòd soli qui in Christum Iesum credunt, accipiant peccati remißionem, iusticiam & æternam uitam. Nec per aliud, quã per fidem in Christum. qua uidelicet Euangelij promißiones adprehendimus, de iustificatione & saluatione nostri per Christum. Nã iustificans fides est sentire, agnoscere & recipere, quòd gratis, per misericordiam Dei patris, propter iustificatorem Christum Iesum, à peccato & morte saluemur. 2 Timoth. 1. Saluos fecit nos, (Deus) & uocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis per Christum Iesum, ante tempore æterna. Manifestata est autem nunc, per adparitionem saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit qui

dem mortẽ, uitam aũt et incorruptibilitatẽ in lucem produxit per Euangeliũ. Non igitur per legẽ, &c. Ac possunt in hunc usum, plura similia testimonia, à studiosis sacrarum literarum obseruari & colligi: quibus curæ est pietas & fides in Deũ. Ego tantũ indicare uolui rationẽ colligẽdi, his qui minus adhuc sunt exercitati, in lectiõe et intelligẽtia scripturarũ.

Ignorantia rerum fidei, & Iudaicæ opiniones in Papistis.

Sed hæc aduersarijs nostris Papistis noua dogmata uidentur, & hoc nomine blasphemant Euangelium gratiæ Christi. Dicunt enim, per hanc doctrinam, quam profitemur, noua dogmata spargi in Ecclesia, & omnino statuunt, legẽ esse iustificationis doctrinam. Tanta est Euangelij & fidei ignorantia in ipsis, & Iudaicis opinionibus, circa doctrinam de iustificatione, sunt repleti. Rogant itaq; quid est lex, si nõ est iustificationis doctrina, hoc est, si nõ est necessaria Christiana, meritis operum legis, pro impetratione remißionis peccati, & salutis æternæ? Quibus respondeo.

Quid obsecro amici est Euangelium, Gratia, iustificator & seruator Christus, sanctificator spiritus, si per legem & illius facta, præstita à nobis, iustificatio & salus impetratur? Si enim per legem iustificamur, oportet gratiam & misericordiam Dei nihil esse: & iustificatoris Iesu Christi officium, inane et ociosum. Quin etiam necesse est spiritũ sanctũ, officio

officio uiuificatoris & gubernatoris cordiū nostrorum, & motuum eius bonorum, in summa, totius renouationis nostræ, excludere. Elige itaq; utrum uoles è duobus: ut uel legi detrahas effectum iustificationis & salutis nostræ: ac tribuas illum gratiæ Dei, redemptori Christo, & spiritui sancto, nos renouanti & purificanti corda nostra: sicut & Paulus facit, ad Titum Cap. 3. ut illo suo loco discemus. Et hæc eligens, fide glorifices misericordiam Dei, & Christū Iesum: & beneficia in te spiritus sancti agnoscas, & sis uere ac fœliciter Christianus. Aut sequere diuersam opinionē, quæ tradit ac tenet, quòd per iusticias legis, à peccato & morte saluemur, & eo pacto detrahit gratuitæ misericordiæ Dei nostri, & officio redemptoris Iesu Christi, & operationibus spiritus sancti. In summa, totum Euangelium negat & impie blasphemat. Et hæc eligens, pharisaicis opinionibus colas Deum, & sis perfidus Iudæus, Ethnicus, pietatis in Deum & Christianæ fidei hostis.

Sed ut nostris, qui timent Deum & diligunt Christum Iesum, aliquanto sedatius loquar, si adhuc ignorant, quænam & qualis doctrina sit lex: & quomodo consentiat cum Euangelij prædicatione. Lex igitur est contritionis & totius pœnitentiæ doctrina, accusat peccata, & præcipit de nouitate factorū nostrorū, qua iustificati Deū glorificemus:

Lex contritionis & pœnitentiæ doctrina.

Nihil agit de iusticia gratiæ, quæ in Euangelio docetur, & accipitur per fidem in Christum. Et habet lex in carnalibus diuersum alium effectum, quã est iustificationis. Quia excitat horribiles motus & terrores in conscientia peccatoris, & ignaros gratiæ Dei adigit ad desperationem salutis: planeq; protrudit illos in barathrum condemnationis, quos gratia Dei per Christum non retrahit, aut non consolatur per Euãgelium. Ita ut protrusit horribiliter Iudam, qui prodidit Christum, & similes: quibus peccatum suum aliquando reuelatum est in conscientia, sine cõsolatione remißionis peccati, quæ contingit & datur propter Christum.

Cæterum iustificationis effectus, est pax cordis, & serenitas mẽtis, pacificata & tranquilla conscientia, ex fide proueniẽs, in seruatorẽ Christũ. Rom. 5. Iustificati per fidem pacẽ habemus ad Deũ, per Dominum nostrum Iesum Christũ: per quẽ & accessum habemus, per fidẽ, in gratiam istã, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorũ Dei. Hæc clare euincunt, Euangeliũ esse doctrinam iustificationis & salutis, et effectũ iustificationis, legis operibus à nobis præstitis, male & impie tribui. Et derogare gloriæ gratiæ dei & redemptoris Iesu Christi, quicũq; per legẽ, aut ulla opera sua, quærunt saluari. Necdũ istos plane uidere aut intelligere sua peccata. Nã si illa uere cog

re cognouissent, nunquã possent tam arroganter & superbe de se sentire, & in suas iusticias confidere, quæ sunt nullæ corã Deo. Sicut docemur exemplo hypocritæ pharisæi. Luc. 18. sed supplices ad gratiam facti, humiliter cũ publicano dicerent: Deus propitius esto mihi peccatori. Itẽ, cũ propheta. Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens:

Itaq; dixi, hunc legis usum magis propriũ esse diuinis legibus, sicut etiã magis necessarius est saluandis, quã politicus. Quia per ostensionẽ peccati nostri perfectã, facit ad perfectã humiliationem nostri corã Deo, sine qua nemo idoneus est, ad Euãgelij cõsolationes audiendas. Nisi .n. uere & perfecte magnitudinẽ peccati, qualis est in carnali natura, & in quibuslibet transgreßionibus legis, cognoscamus, tũ quòd legis præceptæ iusticiæ nunquã satisfacere possumus, nunquã nec sitiemus uere iusticiã gratiæ, quæ est per Euangelij promißiones de Christo. Nec intelligemus amplitudinẽ beneficiorũ gratiæ, & redẽptionis nostræ p Christũ. Deniq; nec uere unquã glorificare Deũ poterimus, ut quẽ nondũ cognouimus uere, fidei scilicet ignorãtes. Et quõ talis posset saluus fieri? Sunt ergo magnæ cõmoditates legis sic intellectæ, hoc est, peccati, uere cogniti per legẽ. Si tamẽ per Euãgeliũ à desperatione seruemur. Nõ sanat Deus, nisi uere cõtritos, nec respicit, aut iuuat, nisi

aridos, et suæ gratiæ sitiẽtes. Iuxta illud Esaiæ, quod citatur à Christo, Matth. 12. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Legi igitur tribuamus, quòd nobis reuelet nostra peccata, tum irã Dei in peccatores, et hanc præcipuam pœnã peccati, quæ est mors æterna. Hæc uero intelligemus, si sentiamus, quòd lex nõ agat nobiscum, de externo peccato, externarũ transgreßionũ tantum, uerũ etiã, de uiciatis motibus cordis, ira, odio, inuidentia, ambitione & cupiditate honoris, auaricia, & similibus quæ aduersantur dilectioni erga proximum, & immundiciã cordis habent. Item, de ipsa ignorantia Dei, quæ efficit, ut uacui simus, ueri timoris,, fidei et dilectionis in Deũ. Sic enim sunt duplices transgreßiones in nobis, internæ, quæ sunt uicij originalis culpæ. Et externæ, flagitiorum, seu criminũ, ut uocant, & ab internis nascuntur: His accedunt horribiles terrores, intus in conscientia peccatoris, per legẽ, ut supra quoq; dictũ est. Et illi gignũt in nobis, latens quidem & paucis cognitũ, sed tamẽ uehemens odiũ, contra legẽ & Deũ, ut quo per amorẽ peccati, & metũ pœnarũ legis, sic rapitur homo, ut malit Deũ potius nõ esse, quã male esse sibi, aut se ab expletione cupiditatum suarum arceri.

Legis est contrarius effectus, quam iustificatiõis.

Ita efficitur legis esse contrariũ effectũ in carnalibus, quã est iustificationis. Quia illę internæ transgreßiones, quas lex dãnat, etiam augentur in nobis

ministerio

ministerio legis. Natura enim explere cupiditates nostras amamus, quanquã impias et noxias. Et irascimur ei, qui nos abstrahit, quantũuis cõsulat nostræ saluti. Et de hac impietate carnalis naturæ, rebellis legi & Deo, extat copiosum scriptũ Pauli, Rom. 7. Ac meminit istorũ effectuũ, pugnantiũ cũ iustificatione & effectibus eius, etiã 1. Cor. 15. ubi dicit: Aculeus mortis peccatũ est, uirtus uero peccati lex. Itẽ Rom. 4. Lex iram operatur. Et Cap. 5. lex subintrauit, ut abundaret delictum. Deniq;, 2 Cor. 3. lex dicitur litera occidens, & ministratio mortis. Quæ omnia Episcopi, seu Concionatores, nosse debẽt, ut aliorũ animos per ostensionẽ peccati, ex doctrina legis, recte atq; fœliciter forment. cũ propter pœnitẽtiæ prædicationem, tum ad humiliandũ peccatores, ut à Deo curentur. Reliquum est, ut de tertio legis usu dicã, qui est in illis qui fide iustificati sunt, & quorũ corda à spiritu sancto gubernantur. Qui facientes legis opera, non possunt, nisi Deũ uelle glorificare: & redemptori Christo Iesu aliquo saltẽ modo grati esse, & honori nominis eius uiuere. Atq; ut Paulus loquitur, digne Euangelio Christi conuersari, imitatores Dei esse, tanquam filios dilectos. Et abhoc fine longe aberrant, qui iustificari per legem quærunt, quare & iusticiæ istorum nunq̃ possunt Deo placere, quin semper grauiores pœnas mereantur.

De usu legis in iustificatis.

Rursus gratæ sunt atq; acceptæ Deo illæ præceptæ iusticiæ, & nouitas uitæ, in illis qui ex fide operantur, et habebunt ingentia præmia in cœlis. Matth. 5. 25. 25. Luc. 16. 2 Cor. 5. &c. Est autem necessaria hæc operum in renatis iusticia bonorum, tanquam signum & testimoniũ, ueri timoris & ueræ fidei in nobis, per Christũ erga Deum. Ideo ad Gal. 5. illa iustificatorum opera uocantur fructus spiritus, qui uidelicet est eorũ, qui uere crediderunt in Christum Iesum, tum Deũ religiose & pie timent. Quapropter etiam facit ad fidei confirmationem in iustificatis: sicut & Petrus docet, 2. Pet. 1. Neq; enim poterunt fidem retinere, qui flagitiose uiuunt. Sed sicut bonũ timorẽ amittũt, ita quoq; excidunt à fide in Christum. Pugnat. enim cũ fide, scelerate & turpiter uiuere, & tamen sentire, q̃ habeas Deũ propitium et placatũ.

Fides agnoscit quidem, quòd habeas Deũ placatum, credens in Christum Iesum, quanquã peccator. Sed eadem intelligit & agnoscit, hanc quoq; Dei uoluntatem esse, ut pœnitentiã agamus & à peccatis conuertamur, tũ bene operemur, sobrie, modeste & pie uiuamus. Et curat certe obsequi & morẽ gerere deo, nisi quæ est ficta, ut Paulus eã adpellat, aut mortua, ut B. Iacobus. Fide. n. iustificamur, quæ est efficax dilectione. Gal. 5. Et propter necessitatem huius obedientiæ seu nouitatis, cũ Christus tũ apostoli fre-

quentes

quentes sunt in eius prædicatione, & iusticiam illam bonorum operum inculcant nobis atq; commendant. Exempla eius prædicatæ à Christo habes Matth. 5. 6. 7. 19 25. Luc. 16. &c. Ab apostolis ubiq; multa, ut Rom. 12. Col. 3. 1. Pet. 2. 3. 4. 5. &c. Et de hac parte iusticiæ in moribus seu operibus bonis, ut uocant, scribam copiosius infra in capite secundo & tertio.

Sic ergo sint instructi episcopi & Ecclesiæ doctores in lege Domini, quod requirūt quidem sancti Patres. Sed quale sit & quantum, subito à quibuslibet non potest intelligi, ideo in eius expositione uolui aliquanto copiosius scriptū tradere, ut ab imperitis, quibus ego seruio, res ea planius intelligatur. Proximū est, ut de fidei documentis scribā, de quibus ijdem sancti Patres præcipiunt, ut hæc doctores Ecclesiæ seu episcopi uerbis simplicibus tradant, quod cito quidē dicitur, sed quale nam et quātum sit, uix copioso scripto explicatur. Non propter obscuritatem aut difficultatem rerum, quæ in sacris habētur, de credēdis, siue de fide, sed propter eos, à quibus fidei dogmata ferè semper per illusiones et imposturas dæmonum sunt obscurata et quasi oppressa.

### De fidei documentis, et primo de diuina essentia, quæ est una in tribus personis: patre, et filio, et spiritusancto.

De dogmatibus fidei illis, quæ nobis definiunt unitatem essentiæ, quæ est in diuina natura, & tamen personarum trinitatem cōstituunt, nihil opus est prolixe disserere in hoc scripto, nam hoc tempore cum nemine disceptamus de hac quæstione, siue capitum illorum doctrina. Ac satis est scripturæ testimonijs probatū tenere, ijsq; firmis, claris ac certis, esse uidelicet unitatem quandam diuinæ essentiæ, & tamen illam unam & eandem essentiam esse perfectissimam, totam atq; plenā in singulis tribus personis, patris, & filij, & spiritussancti.

Hoc itaque fidei dogma confessum, traditum & confirmatū in Synodo Nicena, celebrato scilicet contra Arrij hæresim, sub Imperare Constantino, & nos confitemur & tradimus prædicatione, et confirmatum scripturæ testimonijs constāter retinemus, nēpe q̀ est una tantum diuina essentia et natura, quæ uocatur et est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potētia, sapiētia, bonitate. Et rursus tamen, q̀ in hac diuina natura sunt tres æquales psonæ, hoc est, eiusdem essentiæ, potentiæ, sapientiæ, bonitatis et coæternæ, Pater, Filius, et spiritussanctus. Hanc enim deitatis unitatem, et personarum trinitatem agnoscimus et confitemur, non propterea quòd homines illam prædicant, confitentur ac tradunt, nec quia Synodi aut Concilia profitentur, sed quòd extant

clara

clara et firma scripturæ testimonia, quæ nos docent de hac unitate diuinæ eßentiæ, deq; tribus personis, de omnipotentia, æternitate & æqualitate patris & filij & spiritussancti, sine quibus hominum iudiciũ uel autoritas nihil quicquam his de rebus decernere, statuere aut tradere posset, nam res illæ fidei non possunt niti, quàm in solo uerbo Dei, nec aliunde certæ esse.

Esse igitur unam tantum essentiam & naturam, quæ uocatur & est Deus, hoc uno testimonio clarum & abunde certum ac firmum est, quod uidelicet legitur Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Nam ex illo fonte & hoc Pauli testimonium promanauit prima Corinthiorum octauo: Scimus, quòd nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est alius Deus, nisi unus. Plura uero de hac diuinæ essentiæ unitate ab alijs colliguntur testimonia, à quibus eadem requiri possunt, siue ex scripturarum lectione. Res confessa, his quæ posui, testimonijs est satis firma, etiamsi nulla alia extarent. Proinde reliquum est, ut de personarum quoque trinitate paucula quædam proferamus: In quo protinus admonendi sumus, quòd in hac distinctione personarum, qua separamus patrem & filium & spiritumsanctum, personæ adpellatio non usurpetur pro qualitate, sed pro eo quod subsistit, & est substantia in

Esse unum Deum.

diuidua intelligens. Nam in Deum non cadit accidēs. Vnde sicut omnipotentia in Deo est diuina essentia et natura, ita sapiētia et bonitas, sunt illa eadem essentia, et nihil plane accessorium est in Deo.

De diuinitate patris & filij

Nasci autem filium ex patre, Deum uerum ex Deo uero, testatur illud Ioan. 1. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Nam hic locus æternitatem tribuit filio, & eandem essentiam cum patre, quod ualet cōtra Arrij dogma, Qui uidelicet æternitatē detraxit filio, & eiusdem essentiæ cum patre esse negauit, quum textus aperte dicat: In principio erat uerbū, id est, anteq̄ res condi cœpissent, quod significat certe æternitatem. Et adijciat, Et Deus erat uerbum, quod utiq; est affirmare, patris essentiam totam esse in filio. Neq; enim dicit, uerbum erat Deus, quo modo si locutus esset, uideretur filium prædicare alium à patre Deum. Ac rursus tamen idem locus discernit personam patris à filij persona, quia inquit, & uerbum erat apud Deum, quod ualet contra Paulum Samosatensem, & similes eius, qui uerbum negant personam esse, & fingunt esse transitoriam qualitatem, cum sit immanens & progrediens natura. Deniq; hoc dictum, & Deus erat uerbum, astruit unitatē essentiæ patris & filij, quod facit contra Valentinianos, qui prodigiosam Deorum multitudinem confinxerunt. Cæterum genituram

ram filij, qua ille ab æterno & idem Deus nascitur à patre, & Micheas prædicat cap. 5. Nam de filio scribit: Et egressus eius ab initio, (prodit enim à patre Deo) à diebus æternitatis.

Deniq; de spiritussancti diuinitate clare docemur per illud Ioan. 14. Paracletus autem spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Cum enim hic locus significet mitti spiritumsanctum à Deo patre per filium, seu nomine filij, primum discernit personas, & simul testatur hunc spiritum unũ et eundem Deum esse cũ patre & filio Deo. Illũ enim detrahit creaturis, hoc est, negat, q creaturæ illum spiritum habeant, quia si habeẽrt eum, ociosum esset mitti à patre per filiũ, imò falsum & fictũ. Mittitur ergo à patre per filium, ut quem nulla creatura habet, sed est idem & æternus cum patre & filio Deus. Nam à patre mittitur, ab illo uidelicet exiens & procedens, non aliunde, atq; idem dicitur & à filio mitti, nimirum quòd ab eodem exeat & procedat æquali processione qua progreditur à patre, iuxta illud Ioan. 15. Cũ autem uenerit paracletus, quem ego mittam à patre, spiritũ ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

De diuinitate spiritussancti

Nam idcirco, id est, propter unitatem essentiæ, quam habet spiritus ille eandem cum patre & filio, & propter æqualitatem processionis (quia non aliter

procedit à patre quàm à filio, nec aliter à filio quàm à patre, ab utroque enim totus & idem spiritus) dicitur à Paulo nunc Dei, nunc filij Christi spiritus, ut Roman. octauo &c. Mittitur autem ad sanctificandum electos Dei per Euangelij consolationes. Nam ideo inquit Christus, Ille uos docebit omnia, & testimonium perhibebit de me. Ac necesse est fateri aliam spiritus personam esse, quàm patris aut filij, quia dicitur mitti à patre & filio, procedere à patre, & mitti nomine filij. Quod postremum significat hunc spiritum merito filij Dei Christi electis conferri. Hoc ergo totum, quòd discernit personas, rursus facit contra Samosatensem, et quòd unitatem essentiæ tribuit spiritui cum patre & filio, refutat Valentinianos.

Nolo in his explicandis prolixior esse, nam & plura testimonia colligere pro confirmatione istorum dogmatum, non est huius mei instituti, ut qui suscepi breuem enarrationem Decreti Aphricani scribere suprà à me positi. Qui uolunt, possunt ipsi plura alia obseruare & petere, uel ex lectione sacrarum scripturarum, uel ex aliorũ scriptis, ut Lombardi, Augustini, Hilarij, qui plura collegerunt, & ex professo de unitate diuinæ essentiæ & personarũ trinitate scripserunt. Collegit autem & nostra ætate uir clarissimus Philippus Melanthon de hoc fidei dogmate aptissima, clarissima & firmissima testimonia in

in suo illo sanctißimo & utilißimo scripto, libri locorum communium theologicorum, aediti anno à Christo incarnato 1535 Nec collegit solum illa testimonia, quae dico, sed & diligentißime exposuit, ut conscientias piorum firmißime muniat in hac controuersia, quae semper habuit plurimos & astutißimos insidiatores, tum efficaciter consoletur. Quae scimus conuelli non posse à toto satellicio Diaboli omnium haereticorum, qui sunt aut fuerunt, aut futuri sunt.

Proinde ut Arrium detestamur, qui filium negat esse eundem atq; aeternū cum patre Deum, & ut Valentinianos damnamus, q prodigiosam multitudinem Deorum, tum ridiculam & stultam confinxerūt, ita detestamur, reprehendimus ac damnamus toto corde & oris confeßione Macedoniū, negantem uidelicet spiritum esse Deum. Similiter Paulū Samosatensem, & quotquot cū ipso sentiunt, q filium & spiritum sanctum personas esse negat, & uerbum quod idem est filius, astute confingit, non esse substantiam, nec esse nisi cogitationē, quae sit ipse pater. Atq; ad eundē modum ipsum quoq; spūm sanctum nō esse quàm uim mouentē, q̄ sit ipse pater, nō alia psona, blaspehmat. Rationes antea dixi, & multo plures ex scripto Philip. Mel. ut antea dixi, peti poßunt. Condēnauit aūt & Macedonium secunda Synodus, quae fuit Constantinopoli congregata sub Theodosio seniore, demon-

ſtrans (utique iiſdem teſtimoniis diuinarum ſcripturarum, quibus & nos utimur) conſubſtantialem eſſe patri & filio ſpiritumſanctum.

De Chriſti naturis.

Diximus de unitate eſſentiæ, & trinitate pſonarũ in deitate breuiter qdē, ſed quantũ in hoc ſcripto, ut dixi, ſatis eſt. Nunc ſeorſim de Chriſti naturis loquemur, et unitate pſonæ in Chriſto. Chriſtus.n.redemptor humani generis, eſt una perſona conſtans duabus naturis, diuina & humana. Filius enim Dei, præfinito ac ſtatuto à Deo patre tempore, aſſumpſit humanam naturam ex matre uirgine Maria, tribus Iuda, de domo Dauid, ſicut clare & copioſe docemur Matth.1. Luc.1.& 2. Et de incarnatiōe hac filii Dei dicitur Ioan.1. Et uerbum caro factum eſt. Et Paulus ad Galat.4. ſcribit, Vbi tempus completum eſt, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere &c.

Pater itaq; non aſſumpſit humanam naturam, ſed filium unigenitum miſit, ut illam aſſumeret, atque ut ea quaſi indutus & circumamictus, imò unitus ei, uerus ille Chriſtus, & orbis ſeruator, per prophetas promiſſus eſſet. Nec ſpiritusſanctus aſſumpſit humanam naturā, ſed eſt agitator, qui mouet corda noſtra, creans in illis nouam lucem per Euangelium, & uiuificans ac ſanctificans illa. Vt cognoſcant atq; credant promiſſionibus gratiæ, & credentes diligant Deum

patrem

patrem & redemptorem Christum. In summa, sperent atque confidant in Deum patrem, filium & spiritum sanctum.

Ardua sunt hæc & stupenda mysteria, q; duæ naturæ in una persona filij Dei sese circundederunt, diuina uidelicet & humana, sicut & Paulus ineffabilem sublimitatē incomprehēsibilis mysterij agnoscit 1. Timoth. 3. ubi dicit: Et citra controuersiam magnū est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, & iustificatum est in spiritu, (Perhibet enim testimonium spiritus sanctus filio Dei, ut dicitur Ioan. decimoquinto: Suæ autem incarnationis & traditionis, pro peccatis nostris in mortem, de qua docemur, utique spiritus sancti magisterio, Ioan. 6: Et perhibet quidem Christo, quem alioqui impius iste mundus non agnoscit, & nō recipit seruatorem suū esse. Quin etiam ipsum met testimonium spiritus sancti repellit, reprobat ac damnat per incredulitatem) adparuit angelis, prædicatum est gentibus, assumptum est in gloria.

Proinde agnoscimus, confitemur & adoramus Deum in mensuris humanitatis. Col. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc est, in Christi persona est perfectißima atq; plena substantia ac natura, tum diuina tum humana. Verus itaque Deus, & uerus homo existit. Quapropter &

confitemur necessario, Dei uerbum passum in carne pro nostra salute uera carnis paßione, ac mortem in carne gustasse, uera sui corporis morte, denique & resurrexisse à mortuis, uera carnis suæ receptione, & uera animæ resumptione, in qua ueniet iudicare uiuos & mortuos. Confitemur præterea carnem Christi esse uiuificatricē, quia est filij Dei caro, non per gratiam adoptionis, sed unionis. Viuificat autem & saluat illa carne sua Christus, quotquot credunt in eum, sicut prolixe docetur Ioan. sexto, ubi inter cætera dicitur: Amen amen dico uobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uere est cibus &c. Et Ioan: quinto dicitur: Veniet hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent. Epitasis enim & pondus argumenti est in eo, quòd uocem filij hominis Christi audimus, qui est uerus & æternus cum patre & spiritusancto Deus, et hanc audientes, ut sponsi Ecclesiæ, eiusq; unici & æterni saluatoris, uiuificamur.

Vnio duarum naturarum.

Sunt autem huius unionis diuinæ naturæ cum humana multa testimonia in scripturis, ut Ioan. decimo quinto dicitur: Cum aūt uenerit paracletus, quē ego

mittam

mittam à patre, spiritum ueritatis, qui à patre procedet, ille testimoniũ perhibebit de me. Sic loqtur enim mediator Christus Iesus, uerus homo, qui tamen nisi simul uerus Deus esset, non posset ita loqui, & nunquam cuiquam spiritum sanctum conferre. Proinde duæ illæ naturæ, diuina & humana, unitæ sunt & inseparabiliter coniunctæ in ea persona quæ uocatur et est Christus, qui largitur nobis spiritum sanctum, unus filius & unus Christus, atque unus Ecclesiæ seruator. Idem quoque ascendit super omnes cœlos, & cõsedit ad dexterã patris accepta potestate super omnia. Ac nisi uerus homo esset, non potuisset ascendere, & nisi uerus Deus, nec perfrui illa gloria. Si igitur ascendit, oportuit duas naturas in eo unitas atque coniunctas esse. Hinc quoq; dicitur Ioan. tertio, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hoĩs q̃ est in cœlo. Videlicet q̃a nemo alius potiri plenißima potestate et gloria Dei patris potuit, quàm unigenitus ille Dei, qui est Deus & homo, & uerus ille Christus, in quo & nos ad cœli gloriam usque & immortalitatis hæreditatem penetramus, sicut ibidem continuo docetur: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, nõ pereat, sed habeat uitam æternam.

Huc facit, quod Christus frequenter de operibus suis, signis uidelicet miraculosis, pronunciat. Voluit enim testari se, quanquam hominem, diuina uirtute edere miracula, & his signis cognosci Dei filius esse, ut Ioan. 5. Pater meus usq; modo opatur, & ego operor. Hoc enim dicto significat sibi communia esse opera creationis, conseruationis ac reparationis seu restaurationis rerum cum patre Deo. Quod quia manifestis signis probet, (ueluti illo, quòd potentia uerbi curauerat eum, quem morbus triginta & octo annos incurabilem alioqui tenuerat) credi esse requirebat Dei filius, & natura siue essentia idem cum patre Deus, cũ nihil quàm homo esse uideri ab hominibus posset. Sic ergo et Ioan. 10. ait: Opa quæ ego facio in noĩe patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Nempe quæ ego facio diuina & ea propria mea uirtute et quidem nomine patris, hoc est, aut uoluntate patris, siue, ut pater in me glorificetur, siue deniq; potentia patris, quæ mihi est eadem & communis cum illius potentia. Nam & ego operor opera illa quæ pater usque modo opatur. Nec diuellitur huiusmodi testimonijs ab his opationibus spiritus sanctus, sed Christus, qui nihil quàm homo credebatur esse, accepit testimonium suæ deitatis. Qui nisi uerus Deus esset, non posset hunc communem honorem sibi cum Deo patre uendicare. Vnde rursus legimus Ioan. decimo: Si

non

*non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, et si mihi non uultis credere, operibus credite, (id est, huic testimonio operum et factorũ) ut cognoscatis, quia pater in me est, et ego in patre. Et Ioan. 14. Pater in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quod ego in patre, & pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite. Hæc itaq; asserunt unitatẽ diuinæ essentiæ, patris & filij, & Christo tribuunt illã cõmunem diuinitatẽ. Esse aũt filij aliã personã quàm patris aut spiritus sancti, non aliud, siue aliã naturam, alium Deum, suprà copiose demonstratum est.*

*Sunt ergo duæ naturæ in Christo, qui est una persona. Diuina fulget miraculis, humana succumbit iniurijs. Et tamen altera alterius cõmunicatione agit, & patitur, siue utraque utriusque, hoc est, ambæ naturæ in Christo agunt, inquantum uidelicet natura humana est instrumentum diuinæ actionis, & actio humana accipit uirtutem à natura diuina. Diuinitas potentiam exercet in actibus humanis, dum uidelicet leprosos tactu sanat, cæcis tactu lumen oculorũ restituit, mortuos tactu huic uitæ reddit, & his similia alia agit, quæ sunt testimonia deitatis in Christo, sicut cum uentis imperat & mari, uim & tyrannidem dæmonũ coërcet. Rursus humana natura propria sua seruans, in potentia diuinitatis emicuit, ut*

dū petras scindens crucifigitur, dū potestate propria animam ponens & iterum eam assumens sepelitur.

Impegerunt autem in his mysterijs & communicatione idiomatum, ut uocāt Christi, primum Nestoriani, quos tertia Synodus Ephesina prima sub iuniore Theodosio celebrata condemnauit. Fuit enim quidam Nestorius, qui hanc communicationem idiomatum Christo detraxit, de quo lege quæ sunt libro duodecimo Tripart. histor. capite quarto. Non fingebat duas personas Nestorius in Christo, sed negabat duarum naturarum alteram alterius communicatione agere aut pati. Verbi gratia, detraxit proprietates humanitatis diuinitati Christi, quanquam fortiter confiteretur Christum uerum hominem & uerum Deum esse, cum fatendum sit duarū naturarum proprietates in una Christi persona inseparabiliter agere & pati. Et hæc uidetur insensatio & stupiditas fuisse in Nestorio potius quàm malitia. E regione Eutyches Abbas Constantinopolitanus quidam impegit in hac idiomatum communicatione naturarum Christi. Idiomata enim deitatis detraxit humanitati Christi, ita ut Nestorius idiomata humanitatis diuinitati Christi ademit. Proinde sicut Nestorius detraxit Christo diuinam naturā, ita Eutyches à Christi persona ueritatem humanæ naturæ exclusit. Qua caussa uterque iure condemnatus fuit, quia uterq; scidit

& distraxit

& distraxit unitatem naturarum in Christo, & alte ram ab altera impie separauit. Et Eutychen quidem quarta Synodus Chalcedonensis, q̃ celebrata est sub Martiano principe, condemnauit. Quanquam uter que per imprudentiam lapsus est, in suam hæreseos impietatem. Nam & Eutyches confitebatur duas na turas in Christo, & si per hoc, quod negabat commu nicationem idiomatum in una persona, alteram natu ram auferret, hoc est, ueritatem diuinæ à Christo, si tamen hæc fuit Eutychæ hæresis et error, cuius habe mus incertas coniecturas potius q̃ firma argumenta.

Memini hactenus quatuor Synodorum, quæ sunt celebratæ contra præcipuas quatuor hæreses in Ec clesia. Prima detraxit diuinæ Christi naturæ, secun da deitatem spiritus sancti calũniata est, duæ postre mæ circa Christi naturas & personalem unitatẽ sunt lapsæ. Ac meminit harũ Synodûm & Gratianus in Decret. distin. 15. Sed nihil certi refert, nihil pia eru ditione dignum, per quod de tantis rebus iudicium fieri posset, & perniciosi errores & exitium quod adferũt, caueri possent. Sed uix obiter attingit illarũ causas, & ambigue, in his q̃ sunt de erroribus Nesto rij & Eutychæ. Sed nostra ætate optimus & clariß. uir D. Mart. Luth. instaurator Euãgelicæ doctri næ & pater noster reuerẽdissimus in Christo, sanctis sime & utilißime de his quatuor Concilijs scripsit,

uidelicet in libro illo suo germanico, cui titulum fecit de Conciliis & Ecclesia, edito in hoc ipso anno, qui nunc currit ab incarnatione Christi, millesimo quingentesimo tricesimo nono. Cui magnam gratiam debemus, cũ ob alia eius nobilissima & sanctissima scripta, tum propter huius, quem dixi, libri de Concilijs & Ecclesia susceptum laborem, & fœlicissime absoluti ad communem & præcipuam quandam Ecclesiæ utilitatẽ. Qui uel ideo commendatior esse omnibus nobis debet, quod de Nestorij & Eutychæ erroribus nos clare & ꝑ exempla docet, quo melius caueri possint. Etsi metuendum est, adhuc plurimos hærere inuolutos & intricatos in illis, qui ipsi seipsos nondum intelligant, sicut fit sæpe, ut errent homines priusquam uideant errorem, imò ut errorem proprietate defendant. Sed ueniam nũc ad alia, ut incœpto proposito pergam.

De practica noticia essentiæ diuinæ trium personarum.

Illud ex re nostra fuerit minime prætereundũ hoc loco, quod ut pie docet, & prudenter atque utiliter admonet uir clarissimus Philip. Mel. ante oĩa meminisse conuenit, personas Deitatis, Patris, filij & spiritus sancti, officijs proponi nobis discernẽdas, ac magis prodesse, nos intueri officia, q̃ disputare curiosius de essentia & natura. Vt patrẽ sacræ literæ ostendũt

esse

*esse unicam illam caussam, & fontem, unde effluit in nos, omnis illa gratia & misericordia, qua à peccato & æterna morte saluamur, eoq́; & fidem in nos huius diuinæ & paternæ beneuolentiæ exigunt, & credentibus nobis promittunt liberationem à peccato, donationem iusticiæ & æternæ uitæ.* Exempla *require,* Ioan. 3. Tit. 3. *Quanquã hæc in libris & doctrina noui testamenti, nusquam non sint obuia, & ubiq; occurrant.*

Porrò, *ad consimilem modum declarant filium esse redemptorem generis humani, & mediatorem illum, per quem ad* Deum *accedimus, & à quo uno omnis salus nostra pendet.* Nec *uero habeo testimonia, quæ hic seorsim adducam, quia hæc est doctrina totius noui testamenti.* Lege *totum* Euangelium Ioannis, *epistolã ad* Romanos, *imò omnia scripta* Pauli, Petri, &c. *Carnẽ enim induit filius* Dei, *ut semet ipsum exhiberet pro nobis uictimam deo patri, precium & satisfactionem pro nostris peccatis, & pro æterna morte.* De *quo extat elegans doctrina, & si figura sermonis uelata nonnihil, & tecta,* Ioan. 6.

Deniq; *spiritum sanctum demonstrant esse renouatorem cordiũ nostrorum, ut quo agitante & mouente nos, uiuificemur & sanctificemur, penitusq; in alios & nouos homines transformemur.* Ac *testãtur præterea, hũc motorem cordium spiritum nobis*

per Christum mediatorem conferri, in hoc ut fide recipiamus nos ad Christum, & ab illo petamus spiritum illum sanctum, qui nos alios & nouos homines faciat, qui adoremus ac ueneremur Deum in spiritu, tum uera iusticia & sanctitate. Nam Ioan. 7. inquit Christus: Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit, ut Ioannes ait, de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Vocat autem flumina illam largitionem spiritus, qui super nos effunditur, quia est largißima illa aqua, qua intus à quibuslibet inquinamentis & sordibus uiciorũ & peccati abluimur perfectißime et defecamur. Sicut docemur, Hiere. 31. Ezech. 36. Et infra in enarratione Cap. 3. epistolæ ad Titũ copiose discemus.

Hæc itaq; adpellatur noticia practica, patris & filij & spiritus sancti, qua uidelicet, res per fidem cognitæ ad usum adplicantur. Et propter illam caussam certe, recte statuit & pie pronunciat Philippus Melanchton, quòd per hæc fidei exercitia, melius agnoscamus trinitatem, quàm in ociosis speculationibus: quæ disputant, quid personæ inter se agant, non quid nobiscum agant. Nam Dei patris noticia illa, qua intelligimus eum ignoscere nostris peccatis, propter Christum, & filij noticia illa, qua agnoscimus esse redemptorem nostri, est beata & saluifica noticia illa, quæ adfert cognoscentibus, & fidem

habentibus

habentibus illi noticiæ, seu credentibus per eam, iusti ciam & æternam uitam. Hinc sunt illa, Ioan. 17: Hæc est æterna uita, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Esaiæ quinquagesimotertio In noticia sui iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.

Iam ut sacræ literæ iubent nos hanc gratiæ Dei patris fiduciam habere, per Christum & in Christo, ita requirunt, ut spiritus sancti diuinitatem, & gratiosam seu fauorabilem præsentiam eius, in ipsa consolatione, quam adfert nobis per Euangelium, & uiuificatione nostri, qua nouos motus cordium nostrorum creat in nobis, agnoscamus. Et iubent statuere breuiter, quòd illo spiritu, tum paracleto & aduocato nostro, nunquam destituamur, in quibuscunque calamitatibus, seu persecutionibus aliquando fuerimus, uelut impij mundi, terrorum in conscientia, siue horrorum peccati, mortis, inferorum, Diaboli & desperationis, modo in fide mediatoris gratiæ & propitiatoris CHRISTI permaneamus. Hæc ergo tanta beneficia proponemus nobis à spiritu sancto: & auxilium gratiæ eius expectemus, fiducia tantorum beneficiorum concepta per Christum. Nam & inuocantibus datur spiritus ille, ut docemur Lucæ undecimo: & inuo-

cationes nostræ exaudiuntur, si fiducia Christi fiant, in cuius nomine & spiritus ille nobis donatur. In cuius etiam nomine non possumus non exaudiri, modo hunc bonū spiritū, et alia quæ sunt digna deo, nobis postulemus. Precantes secundum Dei uoluntatem. 1 Ioan. 5.

Iam hæc practica seu usualis noticia afficit Deū uero honore. Hoc enim impense glorificat Deum, fidere scilicet in omnibus & bene sperare de eius fauore, gratia & bonitate, per Christum filium, orbis saluatorem. Hoc item est Christum ueraciter glorificare, nempe, agnoscere & recipere eum per fidē, ut mediatorem gratiæ, iustificatorem nostri, & æternum seruatorem. Et non fraudare eum illo honore, sicut faciunt, qui per opera legis, & iusticias rationis quærunt saluari. Hoc enim est contumelia afficere Christum, & gloriam gratiæ Dei blasphemare, tum spiritus sancti testimonio repugnare. Rursus hoc est spiritum sanctum honorare & colere, precari à Deo per Christum, illum suum spiritum et filij Christi, ut cordium nostrorum consolatorem & uiuificatorem. Non enim habemus alium paracletum, aduocatum, patronum, doctorem & gubernatorem, qui nos uere consoletur, & corda nostra sanctificet, repurgata ab immundicijs peccati. Aut qui nos seruet à terroribus peccati & extrema desperatione.

Qui

Qui itaq; sunt in horum noticia et fide, illi demũ scient potentia & bonitate Dei patris & filij & spiritus sancti, bene & fœliciter uti. In alijs sunt ociosæ & inutiles speculationes, quæcunq; tandem de unitate essentiæ diuinæ, & trinitate personarum, perquirant, uel confiteantur. Non quòd sit res per se inutilis: quin etiam necesse est, tenere scripturas, de unitate diuinæ essentiæ, de tribus personis, de Christi naturis. Sed quòd non est satis, ita Deum nosse, quo modo cognosci & ab impijs potest, uidelicet speculatiue. Sed oportet progredi, & noticiam speculatiuã adplicare ad usum, ut consolationes & uiuificationes diuinas & spirituales intus in cordibus nostris experiamur, seruemur à desperatione, uereq; à peccato et æterna morte liberemur, quod nunquam fiet, nisi per noticiã practicam seu usualem. De qua etiã uides scripturas sacras præcipue loqui, & de ea nos potißimum docere.

Sic ergo proponamus nobis deum patrem, ut qui ignoscat nobis, ac habeat nos dilectißimorum filiorum loco, propter Christum, ac donet nobis iusticiã & æternam uitam, propter eundem. quatenus credamus in eum. In hunc modum & in filium Christum respiciamus, uidelicet incarnatum, propter nos miseros peccatores. Qui etiam passus sit pro nostra salute, crucifixus, mortuus, resuscitatus, inmortali

tate & regno æterno in cœlis glorificatus. Omnia propter nos, ut uidelicet sua tota gloria nos participes efficiat, qui beneficia hæc gratiæ ab ipso expectamus. Meminerimus etiam, quòd sua unius potentia Ecclesiam gubernet & tueatur per Euangelium & spiritum sanctum. Sic enim iustificat & saluat Electos Dei.

Similis ratio est usualis noticiæ spiritus sancti: Hoc enim est uere & utiliter cognitum habere spiritum sanctum, credere in illum spiritum, quòd nos consoletur, gubernet & uiuificet, tum auxilium gratiæ eius ab ipso expectare. Sic ergo statuet pius animus: Credo spiritui sancto, qui in Ecclesia testimonium perhibet Christo, per Euangelium. Credo item, eundem spiritum, per aliud uerbum quàm Euangelij, nõ esse efficacem ad saluandum peccatores. Quapropter etiam confero me ad hoc salutis Euangelium, tanquam ad uocem spiritus sancti, qua potens est Deus saluare, quotquot per illud credunt. Credo denique, neminem peruenire ad pœnitentiam, quam præstet cultui diuino dignam, seu qua glorificet Deum, nisi per hoc ipsum Euangelium, de Christo filio Dei, per quod spiritus sanctus unicum omnia salutis nostræ operatur & perficit.

Hæc hactenus de noticia diuinitatis practica, seu usuali, de qua Ph. Melanthon ita scribit. Hæc metho

dus non progreditur à priore, hoc est, ab arcana Dei natura, ad cognitionem uoluntatis. Sed à cognitione Christi & misericordiæ, reuelatæ in Euangelio, ad cognitionem præsentiæ Dei. Atq; idem rectè & utiliter censet, hanc noticiam exercere & confirmare in omni uita, in omnibus periculis, in omnibus negotijs, & excitare animum ad timorem, fidem, inuocationem, multo rectius & melius esse, quàm ociosas speculationes agitare, et rixari de scholasticis argutijs, quæ tamen nõ explicant arcanam Dei naturam. Et quia pleræq; sunt inextricabiles, haud dubie multorũ conscientias euerterint, non erudierint: quare modũ esse harũ disputationũ, magnopere prodesse.

De noticia & fide creationis.

Asserit præterea decretum cõcilij Aphricani, in cuius enarratione nunc uersamur, Christum esse illũ Deum, qui est creator omnium & autor, quæ sunt, Dominus & rector cum patre & spiritu sancto omniũ creaturarum. Vnde nostri officij esse uidetur, in hoc suscepto expositionis labore, & de creatione aliqua dicere. Igitur Creationem intelligere oportebit, operationem illã diuinæ potentiæ, qua Deus omnia condidit ex nihilo: sicut describitur creatio & eius effectus, Gen. 1: Et alijs innumeris locis, omniũ prophetarum: & in psalmis.

Porrò autem per filium Christum condita fuisse

omnia, clare docet Ioannes Euangelista, Ioan. 1. ubi dicit, Omnia per ipsum facta sunt. Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et Paulus Col. 1. inquit, Qui est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniã per ipsum cõdita sunt uniuersa, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia. Siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipsum creata sunt. Et ipse est ante omnia, & omnia per ipsum consistunt. Item, Hebr. 1. Nouißime diebus istis locutus est nobis per filium, quem constituit hæredẽ uniuersorum. per quem fecit & secula.

Sed nõ debemus consistere solum in his, quæ sunt creationis, siue eorum omnium, semel conditarum à Deo. Etsi mirabiliter erudiant nos de æternitate diuinæ naturæ, in qua omnia existunt summa atq; stupenda, sapientia potentia & bonitas. Et accendant nos ad confeßionem, laudem, gratiarum actionem et glorificationem Dei. Sicut Paulus testatur Rom. 1. Sed oportebit progredi, & ultra hæc alia scrutari et intelligere, per creationis fidem. Nã hoc quoq; pertinet ad creationis intelligentiam, uidere, agnoscere & sentire, quòd Deus non recesserit à suo opificio: sicut artifex quispiam ab opere consumato, ut faber ab ædificata & extructa domo. Non deseruit enim suas creaturas Deus, sed perpetuo cõseruat illas atq; sustentat.

ſuſtentat. Quapropter non eſt creator ſolum, uerum etiam conſeruator omniũ rerum, per cuius unius potentiã omnia durant, quiq; perpetuo præſtat animãtibus uitam ac motum. Vnus ipſe fœcundat terram, & producit fructus ex illa, & cætera quæ cernimus cum admiratione, quotidie prouenire, ex rebus creatis, ab hac infinita potentia originem & cauſſam manendi & creſcendi habent. Tum neceßitati & utilitati noſtræ ſeruiunt, in quo ſunt argumẽta mirificæ in nos bonitatis Dei, & amoris erga res creatas, imprimis erga hominem.

Suppeditat itaq; iumentis paſcua, nobis eſcã, potum, indumenta, & reliqua huic corporali uitæ neceſſaria. Pacẽ quoq; iſtorũ temporum creat, aut certe impietatem & ingratitudinem noſtrã puniens, uarijs calamitatibus corporalibus nos affligit. Velut bellis, ſeditionibus, incendijs, fame ac peſte: & innumeris alijs generibus morborũ. Et tamen illo quoq; modo, cum inuitet nos ad pœnitentiam & paterne corripiat, ſicut eſt Hebr. 12. 1 Cor. 11. &c. commendat nobis ſuam in nos bonitatem et curam pro nobis: Et quid multis opus eſt? Nihil ſub ſole bonarum rerum exiſtit, quod non habeamus, ex illa ineffabili erga nos bonitate Dei, quam dico, nihil ita aduerſum & contrarium nobis, quod timentibus & diligentibus Deum non cooperetur in bonum. Condit multi-

plices artes huic uitæ utiles, iuuat respublicas sapientibus & prudentibus uiris. Constituit Magistratus qui puniant sontes, & bonis sint honori & utilitati. Creat medicos, qui corporales curationes exerceant. In summa, condit, gubernat, fouet, nutrit, conseruat ac saluat omnia in omnibus creaturis.

Proinde hæc per fidem intellecta, rapiunt nos ad timorem Dei & dilectionem, & fiduciam in nobis accendunt, qua bene speremus de Deo, quòd nunquã sit nos derelicturus. In aduersis efficiunt, ut patientiam retineamus, & non murmuremus contra Deum, sicut Israëlitæ, sed expectemus auxilium à Deo: & correpti pœnitentiam agamus, & conuertamur à uijs nostris prauis. Operantur in nobis confeßionem omnium operum & beneficiorum erga nos Dei, ac faciunt nos laudare Deum, gratias agere & glorificare illum in omni nostra uita. Sed & liberant nos à cupiditate rerum, & à curis huius uitæ, & per hoc à multis consilijs & artibus prauis. A dolo, fraude & astucia inquam, quibus alioqui, infideles & impij, alios fraudant, decipiunt & suis facultatibus spoliant. Quod ita fieri quidem, Deus permittit: sed infidelibus ac reprobis in pœnam. Sed homines pij sua quoq; ad usum pauperum conferunt, tantum abest, ut aliquos fraudent. Quia per hanc crea-

tionis

tionis fidem retinent timorem Dei: & fiduciam præsentiæ eius concipiunt. Ideo in quauis necesſitate per inuocationem recipiunt ſeſe ad Deum, ab illo conſolationem & auxilium, ſibi & alijs omnibus poſtulantes. Ita ſcilicet, ſunt egregia exercitia fidei, in creationis noticia, recte conſiderata & intellecta, à pia & fideli mente.

Sic autem oportere fidem adferre, & illa alia exercitia pietatis, quæ oſtendi, ad creationis noticiam, multis ſcripturæ teſtimonijs docemur. Nam & Chriſtus creationis fidē accomodat eo, Matthei 6. prolixa contione, ut illa, fide inquam, liberemur ab impijs curis huius uitæ, quæ homini nihil bene, recte aut pie ſuadent. Atq; ut fiduciam præſentiæ Dei concipiamus, tum bene in quauis corporali necesſitate ſperemus. Et ubi docet nos precari, inter alia iubet & hanc petitionem facere, qua corporalia quoq; à Deo flagitemus, dicentes, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Significans, quòd in corporalibus necesſitatibus æque, ut in ſpiritualibus à Deo adiuuemur. Cui propterea debemus ſane huius gloriæ & bonitatis ſuæ confesſionem, laudem & gratiarum actionem. Inuocationem quoque, ne in ulla aliqua corporali necesſitate, quàm ad ipſum recurramus, conſolationem, auxilium & liberationem rogantes.

Quod contra idolatricum cultum Diuorum meminerimus obseruare, ut hoc quoq; obiter, & oblata occasione, dicam Huc item facit illud Petri, 1 Pet. 5. Omnem sollicitudinem uestram proijcite in eum, quoniã ipsi est cura de uobis. Similiter illud Pauli, Phil. 4. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarumactione petitiones uestrae innotescant apud Deum.

Hoc igitur modo fiduciam adferre ad haec opera creationis & conseruationis rerum, est arcana & spiritualis sapientia, & glorificat Deum, & hominem liberat à multis pernitiosis cupiditatibus & curis, ac replet omni bono, ut in nulla necessaria re corporali egere possit. Aut si indigeat aliqua re necessaria ad tempus, illud tamen nulla sui incommoditate fiat, uel certe cum suo aliquo maiore bono, siue ut gloria Dei illustrius manifestetur. Non potest enim Deus gloriae suae deesse, aut non iuuare eos, qui fiduciã potentiae & bonitatis eius conceperunt. Ac differũt in eo homines pij, ab infidelibus & impijs, qui nihil intelligunt se de manu Dei accipere, neq; credunt etiam si quis edisserat. Cum ille solem suum oriri faciat super bonos ac malos, ac pluat super iustos & iniustos. Obserua autem, quae mala ex ista incredulitate & ignorantia Dei oriantur. Isti enim impij statuunt cum Epicuro, quod Deus res hominum non curet.

Quin

Quin etiam dicunt in corde suo, non est Deus. Et sic necessario silet apud eos omnis laus & gloria Dei. Nulla fit confeßio, nulla inuocatio, qua Deus glorificetur. Nullæ præstantur pauperibus eleemosynæ. Sed & ad cupiditates suas conuersi, omnia sibi permittunt, & in omnibus quæ sua sunt quærunt, etiam cum proximi damno, ac detrimēto rerum eius. Atq; inde sunt multiplices fraudes, doli, insidiæ, malæ artes, rapinæ, usuræ, & cæteræ nequiciæ auariciæ & ambitionis. In quibus multa permittit Deus fieri & succedere ad uotum impiorum: sed, ut dixi, in pœnam incredulitatis. Vt excæcati, & cupiditatibus suis uiuentes, iudicentur à Deo, quem contemnunt, & pereant æterna condemnatione. Sic fieri ferè solet, ut rebus in hoc mundo potiantur impij, quibus tanto grauiores pœnæ sunt reseruatæ ad futurum iudicium, quanto furiosius Deum contemnunt, & alijs noxij sunt, dum sibi solis bene esse, etiam cum incommoditatibus aliorum, quærunt.

Sunt autem plura alia testimonia, ultra ea quorum prius mentionem feci, quæ nos docent de illa generali operatione Dei, qua condit, seruat & gubernat res omnes omnium creaturarum. Nam huc quoque facit illud Christi, Ioan. quinto. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Significat enim se,

conseruandis, fouendis, gubernandis ac sustentandis creaturis, cū patre praeesse. Et Paulus Actorum decimoseptimo inquit: In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Sed repete diligentius quae proxime hunc locum praecedunt, prolixiore narratione. Item consimilem ferè alium locum, Actorum decimoquarto. Nam in utroq; affirmat Paulus, quòd Deus & Gentibus reuelârit noticiam hanc suae potentiae & bonitatis, per hanc rerum conseruationem & sustentationem. Quanquam plures semper increduli fuerunt, sicut etiam nunc illi praedicationi paucißimi credunt. Sed reuertor ad testimonia huius generalis operationis Dei. Quia fidem nostram mirifice erudiunt, & ut supra dictum est, à multis grauißimis uicijs liberant, omnes qui uerbo Dei credunt, simul etiam uirtutibus pulcherrimis eosdem ornant. Itaq; Psalmo centesimo tertio elegans testimonium est, quod pulchre huc facit. Omnia (inquit propheta) à te expectant, ut des eis escam in tempore suo. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertēte autē te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terrae. Psalmo centesimo quadragesimo quarto. Qui producit in montibus

*tibus fœnum & herbam, seruituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum in uocantibus eum. Sed plura de his legant pietatis studiosi, in libro locorum communium Phil. Melanth. in loco de creatione.*

## De *noticia & fide* Re*demptionis.*

Pro*ximus locus est de beneficijs redemptionis, quæ præstita sunt humano generi per* Chri*stum.* Nã *his quæ sunt de opere creationis & conseruationis rerum, mox subijciunt constitutionis synodalis autores, de* Chri*sto Iesu, q. uidelicet passus sit, pro salute nostra.* Et *uolunt haud dubie, ut huius articuli noticia & doctrina confirment* Eccle*sias* Epi*scopi, ut omnes in corde & perfectißime credamus, & cũ tota catholica* Eccle*sia confiteamur, persuasißimum habentes, quòd aliter, quàm per solam in* Chri*stum fidem, passum pro nostra salute, nequeamus uel à peccato uel à morte saluari.* Q*uod recte quidẽ requirunt* B. Pa*tres, censentes ex opposito damnandos esse, & fugiendos, qui contra sentiunt, & diuersa iustificationis dogmata in* Eccle*siis spargunt & tradunt.* A*tque adeo opera* Epi*scoporum arcendos esse, qui sunt huiusmodi, ut fidei* Chri*stianæ hostes, & impostores, qui nos fraudant salute animarum nostrarum, &* CHRISTO IESV *detrahunt hanc*

gloriam, quòd per suam paßionem saluârit nos à peccato & morte. Nam hæc est ipsißima Euangelij doctrina, quòd Christi beneficio, qui est uictima pro nostris peccatis, salui efficiamur. Et quòd illa ipsa beneficentia est gratuita, & per fidem contingat nobis sine omnibus iusticijs, aut meritis nostris. Etsi in papisticis ecclesiis nihil alienius hac fidei doctrina, & nihil absurdius esse credatur.

Neq; enim creditur, aut credi permittitur, hic præcipuus fidei Christianæ articulus, ubi papistæ regnum obtinent, & Ecclesias gubernant. Quia, ut sunt Iudaicis opinionibus excæcati, in quæstione seu doctrina de iusticia saluante, nolunt excludi, iusticiæ rationis & operum suorum meritum, cum per Euangelij doctrinam, omnis salutis nostræ gloria nobis adimatur, et uni Christo tribuatur. Papistæ igitur detrahunt illi honori Christi, à quo hoc totum beneficium habemus, quòd à peccato & morte coram Deo saluamur. Nec enim aliud nomen datum est hominibus sub cœlo, per quod oporteat nos saluos fieri. Act. 4. Et quia suis meritis partem huius gloriæ tribuunt, clarum est, quòd hanc beneficentiam Christi negant gratuitam esse, & per consequens, quòd totam negant. Quia hæc Christi beneficentia, de qua loquimur, non est nisi gratuita, nec est alia

qua

qua salui efficiamur. Idcirco & qui gratuitã esse non agnoscunt, nequeunt saluari, nisi tandem ab ista opinionis impietate liberẽtur. Excidunt enim beneficentia gratuitæ salutis, quæ est per Christum. Nam & officiũ mediatoris Christi negãt, & sibi faciunt ociosum, quicunq; per iusticias rationis quærunt saluari, sicut dicitur ad Gal. 2. Non abijcio gratiam Dei. Si. n. per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est.

Huius itaq; impietatis & negatæ gratiæ Dei, & tantarum blasphemiarum, quibus detrahitur officio mediatoris Christi, perpetuo accusari à nobis papistæ debent, & traduci publicitus in Ecclesiis de negato articulo redemptionis nostræ, quæ est per Christum, donec agnoscant suum errorem, & confiteantur nobiscum in gloriam gratiæ Dei & seruatoris Christi, quòd uidelicet gratis per misericordiam Dei propter solũ Christũ salui efficiamur, si in promißionem gratiæ credamus. Si enim necesse fuit pati Christum pro nostra salute, & pro liberandis nobis à peccato & æterna morte, firmum est ac certum, q; per Christi paßionẽ salui facti sumus, & nullius alterius beneficio. Nec esse aliud preciũ pro peccato & morte, quàm Christi mortẽ, cum quo qui in parte gloriæ esse uolunt, tota beneficentia Christi carere debent, ut quam ipsi per incredulitatem negant. Non agnoscunt enim neq; recipiunt, quia gratuitã esse negant,

quæ alia nõ est nisi gratuita. Quare gratuitã negare (qđ faciunt operarij, q fiduciã meritorum suorum habens, cũ nulla sint merita ipsorũ.) pinde est, atq; si totã neges, quæ tota gratis cõfertur psolã fidẽ in Christũ. Petrus negat preciũ esse pro peccato & morte, nisi sanguinem Christi. 1. Pet. 1. Scientes q non corruptibilibus, auro uel argento redempti estis de uana uestra cõuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine, quasi agni inculpati & immaculati, Christi. Illa igitur sententia excludit à gloria redẽptionis nostræ, qcquid nominari sub cœlo potest, præter sanguinem Christi. Ideo necessario detrahimus, non corruptibilibus auro & argẽto tantum, neq; solũ operibus cæremoniarũ, sed in uniuersum quibuslibet operibus et factis nostris gloriã meriti saluationis nostræ corã Deo, quia hæc gloria solius Christi est, redimere uidelicet nos à peccato, & saluos facere à morte, sicut Paulus dicit 1. Timoth. 1. Certus sermo, & dignus qui omnibus modis accipiatur, q Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. Multoq; magis pharisaicis traditiõibus Pontificum illa gloria detrahi debet, quam tamen papistæ istis arrogant iamdudum alienati à gloria Christi. Nam in his hominum præceptionibus nulla per se bonitas uel utilitas est. Et Christus significat cultum eorum abominabilem esse Deo. Matth. 15. Frustra colunt me, docentes

centes doctrinas, mandata hoīm. In operibus uero legis decalogi, aut legis naturæ, quæ cõsentit cum mandatis Decalogi, est aliqua utilitas, et hæc fiunt cultus Dei, si rite præstentur, & si nemo per ea saluus fiat. Quomodo autem præstari debeant, suprà exposui, cum in enarratione epigraphæ uersarer.

Quanquam aūt hic locus de redemptione humani generis per Christum utilißimus est, & cum primis necessarius, qui clare & copiose in Ecclesiis exponatur, tamen in præsentiarum non multa de illo scribam, uel quia hactenus sæpe tractaui eū, ubicūq; per occasionem fieri potuit, uel quia subinde, & meliore occasione, quàm data est mihi hoc loco, à me tractabitur. Nam & infra cap. 3. seorsim & necessario per occasionem scripti Paulini dicturus sum de gratia & iustificatione. Nunc ergo uolo tantum aliquot scripturæ sententias, illasq; nude proponere, quæ uidelicet testentur, quòd alia uictima, seu precio & satisfactione, quàm per Christi mortem, non potuimus saluari. Ex quibus propositū hoc nostrum & summariā conclusionem eliciemus, q̄ gratis, per misericordiam, propter Christum redemptorem eripiamur peccato & morti, quatenus tamen credimns in eū, quia beneficium hoc redemptionis nostræ aliter non potest accipi aut poßideri à nobis, quàm per solam fidem.

Sic itaq; docemur Ioā. 1. ubi sermo est de redēptore

Christo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Rom.3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in sanguine ipsius. Col.1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui dilecti, per quē habemus redemptionem, per sanguinem eius, remißionem pec catorū. 1. Ioan.1. Et sanguis Iesu Christi filij eius emūdat nos ab omni peccato. Heb.1. Per se purgationem peccatorum nostrorum fecit. Sed his testimonijs in præsentia satis est, quæ continent in se maximas exclusiuas. Nam adimunt nobis laudem meriti remißionis peccati, & omnibus iusticijs nostris, ne quis coram Deo glorietur. Ac transferūt in Christum illam omnem gloriam, qua nos redemit à peccato & à morte, & iustificat per gratiæ suæ fidem, & credentibus confert æternam uitam, ut in Domini gratia illa sola gloriemur.

In summa, Christus est iustificator & redemptor noster, qui unus abolet peccatum & mortem, adeoq; iusticiam & uitam in lucem producit. Quod quisqs credit, & cum Ecclesia catholica confitetur, is iustus coram Deo & beatus est, futurus hæres æternæ uitæ. Si tamen hanc gratiæ beneficentiam recipiat per fidem ad se quoque pertinere. Hoc enim est recte credere, & cum Ecclesia fœliciter confiteri, iuxta il-

lud

lud Pauli Ro. decimo, Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confeßio ad salutem:

In reliqua Decreti siue constitutionis Concilij Aphricani.

Reliqui sunt quidam alij loci Decreti Aphricani, sed non uacat diutius singulis immorari, neque opus est admodum, cum multa per se claram intelligētiam habeant. Neq; ualde urgeo humanam cōstitutionem, neq; adprobo eam, nisi quatenus cum scripturis consentit. Ideo uero refertur à me & exponitur, ut in aduersarios Christianorum dogmatum retrudatur. Nā isti reuocant nos ad obseruationem humanarum constitutionum, sine omni iudicio & delectu, & quod uanißimum est, optimas quasque negligunt & contemnunt, & peßimas retinent atq; urgent. Istis itaq; opponimus hanc constitutionem, & iubemus, ut eam prius obseruent, quàm nos relegent ad aliarum obseruationem. Sed ad rem.

Igitur proximo loco agitur de autoritate sacrarum scripturarum, quæ merito debet esse summa, & sola ualere in Ecclesia. Ita, ut adprobemus & recipiamus, quicquid in sanctis scripturis cōtinetur, & contrà improbemus, quicquid illis quomodocunque pugnat & aduersatur. Quapropter etiam exercitatus in illis atq; instructus esse debet episcopus, non ideo solum, ut uera, firma, certa ac solida tradat in Eccle-

De sanctarū scripturarū autoritate.

sia, quæ conuelli nequeant, ne quidem à portis infe-rorum, uerumetiam, ut nouerit aduersarijs & contra dicentibus sanæ doctrinæ sese opponere, & Ecclesias à mendacibus doctrinis, retectis impostorum insidijs ac dolis defendere atq; tueri.

Sciet itaq; episcopus, & necessario confitebitur sacras scripturas, quia sine illis nihil firmi docebit in ecclesia, neq; consolabitur quenquam, neq; poterit contradicētes conuincere. Quæ tamen sunt officij necessarij episcoporum præstādi in Ecclesia. Sic autem confitebitur, ut diuinitus inspiratas ac traditas p sanctos Dei homines, Prophetas, Christū & apostolos, atq; ut fateatur unum eundemq; autorem & Deum, ueteris & noui testamenti, hoc est, tam doctrinæ legis & prophetarum, quàm euangelistarū & apostolorum. Quæ episcopus debet tradere, ut parem autoritatem illi omni doctrinæ sanctarum scripturarum, ipsæ quoq; totæ Ecclesiæ tribuant, & ne existiment se ad aliud uerbū ligatos esse, aut alia regula iudicandos. Et de autoritate scripturarum habes quædam à me et in superioribus scripta & in sequentibus.

Non habemus ergo sanctarum scripturarum nisi unum & eundem autorem ac Deum, qui locutus est per sanctos prophetas nobis, & nouißimo per filium Christum, ut dicitur Heb. 1. Quem eundem prædicāt nobis apostoli & euangelistæ, iam uidelicet exhibi-

tum

tum, uiuum, glorificatum & regnantem. Et annunciant nobis remißionem peccati & salutem per nomen eius, simulq; pœnitentiā prædicant ac docent, quam per fidē nominis eius præstemus. Et in ea tota doctrina & prædicatione nihil uariant à doctrina & prædicatione sanctorum prophetarum, hoc est, tam legis quàm promißionum gratiæ, nisi quòd prophetæ uenturum prædicauerūt Christum, quem apostoli prædicant glorificatum & regnantem. In alijs, legis uidelicet, promißionum gratiæ, fidei et pœnitentiæ, doctrina est eadē, cuius suprà habes à me expositā rationē in loco de legibus & triplici illarum usu.

Quapropter & docebunt episcopi, & prædicabunt concionatores, oīm iudicem fore nouißimo hūc eundem Deū, qui est autor sanctarū scripturarum, et regulā iudicandi tūc, sicut etiam nūc, sumendā ex doctrina legis, prophetarū & apostolorū, ut quarū est unus ipse & idē autor & inspirator, neq; fert aut ferre potest illarū contēptū. Puniet ergo tā legis, quàm gratiæ cōtemptum. 2. Cor. 5. Oēs. n. nos manifestari oportet corā tribunali Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout geßit, siue bonū siue malū. Et huius rationis pete plura testimonia ex tota legis, Euangelij, pœnitentiæ & bonorū operū doctrina, ut Mat. 5. 6. 7. 11. 16. 19. 25. Ioā. 3. 5. 6. Ro. 3. 4. 5. 1. Cor. 6. Gal. 5. Eph. 5. atq; adeo ex tota sacra scriptura.

Diabolus suo arbitrio malus.

Porrò nemo sanus, ne dum pius, dicet, Diabolum uidelicet per cōditionem, hoc est, creationem factum esse malum, quasi conditus sit malus à Deo, ut caußa peccati & uiciorum eius in Deum regeratur. Nam per arbitriū & propria uoluntate malus est & peccat, sicut testatur illud Christi Ioan. 8. Ille (diabolus) homicida fuit ab inicio, (mox enim post creatū homi minem, insidiatus est illi, & pertractum in peccatum & rebellionem occidit.) & in ueritate non stetit, (Recedens uidelicet à bono, quū bona creatura Dei esset. Atq; ita quidē semper malus est, sed per semetipsum factus talis.) quia non est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij.

Sic quoq; est quidam perpetuus autor, & caußa impulsiua omnibus alijs peccandi & contemnendi Deum, idq; ex propria malitia & impietate, iuxta illud 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab inicio Diabolus peccat, Quia est qdam perpetuus aduersarius Dei, & rectis atque pijs aliorum conatibus obsistit, retrahens ab obediētia Dei, & quærens pertrahere in peccatum, quos poßit, ac perdere. Sic enim circumit, hostis ille communis salutis humani generis, quærens quos perdat. Quapropter etiam uigilandum est omnibus nobis contra hūc aduersarium

aduersarium, sicut & Petrus admonet 1. Pet. 5. Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester Diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui fortes resistite in fide.

Quanquam illa de Diabolo, quomodo sit per arbitrium malus, & non per conditionem, nihil aut parum certe ad nos, nisi q; isti, qui blasphemauerunt, q; Diabolus per conditionē sit factus malus, illo dogmate fecerunt caußam mali ipsum met Deum. Nos ergo conuenit gloriam Dei asserere, qui odit peccatū, nec est nisi optimarum rerum conditor & autor, sicut docemur Gen. 1. Vidit Deus cūcta quæ fecerat, & erāt ualde bona. Sic caußa est iusticiæ, sanctißimarum cogitationum, consiliorum, conatuum, factorum & oīs boni. Phil. 2. ad sanctos & recte operantes: Deus est enim, qui operatur in uobis & uelle & efficere pro beneplacito. Extat autem pia & elegans disputatio in libro locorum communium Phil. Mel. de causa peccati, qua contenti ueri & pietatis amantes quiescent, & gratias agent Deo.

De resurrectione mortuorum generali.

De resurrectione huius, quam gestamus, carnis, & non alterius, quæ erit communis & bonis & malis. Item, de pœnis ac præmijs utrorumque, quæ redduntur singulis in futuro iudicio, pulchre erudit nos illud Christi Ioā. quinto, Veniet hora, in qua omnes,

qui in monumentis sunt, audient uocē eius (filij Dei). Et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionē uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem cōdemnationis. Et in hunc modum de pœnis & præmijs, q̄ erunt post carnis resurrectionem, pro meritis singulorum, sæpe docemur in sacris scripturis, cuius & paulo suprà citata sunt à me aliquot testimonia. Et Paulus Rom. secundo inquit: Redditurus est unicuique secundum facta sua. His quidem, qui secundum perseuerantiam boni operis, gloriam & honorem et incorruptionē quærunt, uitam æternam: ijs uero qui sunt contentiosi, & q ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, uentura est indignatio & ira, afflictio & angustia, aduersus omnem animam perpetrantis malum. Plura huiusmodi testimonia ex suprà annotatis pete, uel potius ex tota sacra scriptura, quia ubique sunt obuia.

Seorsim autem de gloria resurrectionis iustorum, & de præmijs æternæ uitæ docemur 1. Corinth. 15. 1. Tess. 4. Item in illo ad Phil. 3. Nostra autem cōuersatio est in cœlis. Vnde etiam saluatorē expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humile nostrum cōfiguratum corpori suo glorioso, secundum efficatiam, qua potest ipse subijcere sibi omnia. Huc etiam facit illud Christi Matth. 19. Amen dico uobis, quòd uos qui sequuti estis me, in regeneratione

regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel. Nã hac sẽtẽtia testatur Christus futurũ, ut sancti q crediderũt Euãgelio, & per obedientiam mandatorum coluerunt Deum, post resurrectionem carnis glorificati immortali & æterna gloria regnaturi sint ꝑpetuo cũ Christo. In illa .n. resurrectione complebitur demum regeneratio iustorum, quæ nunc per fidẽ gratiæ, & uitæ renouationẽ in eis cœpit. Sed de illa resurrectione & gloria iustorum, extat copiosum scriptum Phil. Mel. in lib. locorum communium, in quo de his omnibus & plenius & firmius docemur.

Qui nuptias prohibeant, & secunda matrimonia damnent.

Cæterũ locus ille de nuptijs, in quo Patres decernũt ita recipiẽdum esse episcopũ & confirmandũ, si præter suprà memoratas leges doctrinæ fidei nuptias nõ prohibeat, & secũda matrimonia nõ dãnet, mire facit cõtra Romanũ Põtificẽ, & uniuersaliter cõtra oẽs papistas, tã laicos, seu principes seculares, q̃ sacris iniciatos, & q Ecclesias gubernãt, nã isti oẽs prohibẽt nuptias in cõiugio sacerdotũ, et secũda matrimonia damnãt. Et uel hac ratione ipse Papa huius mali autor & caput, nunquã fuit digno noĩe & officio episcopus q̃diu in hac impietatis hæresi et errore

fuit, sed fuit aduersarius Dei & Ecclesiæ, & spūi sancto restitit, defendens hanc hæresim & impietatem. Tum quotquot ei adhæserūt, & istas impietates eius adprobauerunt, impij fuerunt, nisi quatenus excusat illos ignorantia, & peccatū, quod inuoluntarium scilicet habuerunt, præualente in Ecclesia opatione erroris, iuxta Pauli uaticinium 2. Thess. 2. tametsi Pontifex Romanus arroget sibi episcopatum uniuersalem supra omnes in Christiano orbe episcopos, & imperium in totiusmundi Christianos. Quorū utrumq; sibi deberi diuino iure nunquā potuit probare, etiam si semper bonus fuisset, nec probabit aliquando.

Nuptias autem prohiberi à Romano Pontifice, & secūda matrimonia damnari, liquet ex his quæ suprà docui, de libertate coniugij sacerdotum. Nā quia totius orbis cōiugia damnare neq; audet neq; potest, pharisaice & per hypocrisim suggillat illa, quæ sunt sacerdotū, fingens scilicet se spectare & quærere pietatem in Ecclesia, cum nihil agitet secum, nisi quomodo in opibus Ecclesiæ libidinetur et regnet. Sacerdotes. n. uxorati non bene conueniunt seu congruūt isti dominationi, quā Romanus Pontifex in Ecclesia quærit. De bonis, qui per errorem decepti fuerunt, nihil loquor, sed de istis, qui aut mali dedita opera fuerūt, aut admoniti, neq; reuocari se de errore, neq; corrigi paßi sunt uel patiuntur. Damnat igitur nuptias

seu

ſeu coniugia ſacerdotum Pontifex Romanus, quanquam nihil refert, in quibus damnet, modo conſtet, q̃ damnat. Et huius impietatis non opus eſt reuinci Pontificem, ut quam tam aperto & impudenter aſſerit ac defendit. Ac multo magis damnat ſecunda matrimonia ſacerdotum, ut quæ etiam blaſphemo ore infamans adpellat digamiam, alieno nomine & re dehoneſtans ſacra coniugia. Digamia enim aliud qddam eſt, coniugium uidelicet, quo quis duas ſimul & eodem tempore uxores habet. Nec poteſt excuſare Pontificem, quòd quoſdam ex ſanctis Patribus adſtipulatores in hoc errore habet. Cur enim hominum ſcripta ſine iudicio adprobat, & non dijudicat illa per autoritatem & lucem uerbi Dei? Non enim adprobare aut promulgare in Eccleſia debet, qđ aſtipulatorē Deū nō habet, & uerbo Dei ꝓbari nō poteſt.

Et quoniam de iure quæſtio eſt, reſpondeat Pontifex, qua poteſtate coniugia ſacerdotum damnet, & num res ꝑ ſe mala & impia ſit coniugiū ſacerdotum? Et quomodo unus ipſe Romæ epiſcopus, id eſt, parochus & concionator, nullo neq; diuino neq; humano iure, ſed fraude & inſidijs imperet totius orbis epiſcopis, preſbyteris & ſacerdotibus, & prohibeat ne ducāt uxores? Nam diuino iure, quod ſatis cōſtat, non eſt ſummus epiſcopus, aut oſtendat nobis iſte Pontifex ius hoc diuinū, qđ exaltet & euehat ipſum

Papa iure diuino non eſt ſummus epiſcopus &c.

supra alios episcopos. Ius humanum nihil statuere in regno Christi potest, aut certe nihil miserius esset rege et cōstitutionibus Christi. Nam & posset hominibus pharisaicis episcopis, ius & dominatum cōcedere uiolandi & corrumpendi omnia diuina. Sed & si recipitur q. homines aliqd ordinare poßint in Ecclesia, ultra ea q̃ sunt ordinata à Christo & sanctis apostolis eius, simul fatendum est, q. hominum autoritas sit superior diuino iure. Sed & Pontifex Romanus non agnoscit se humana autoritate summum Pontificem esse, sed diuinã iactat, quam tamen nunquam potuit demonstrare. Aut doceat nos, & ostendat, ut dixi, nobis uno uerbo Dei, q. hanc imperatoriam potestatem, quam iam diu tyrannice usurpat sibi in Ecclesia, exerceat & poßideat iure diuino. Quod quia nõ probat, & contra commune officium episcoporum in Ecclesia multa pharisaice & impie statuit & ordinat, decernimus impostorem esse.

In summa, Papa nõ est iure diuino summus episcopus, nec accepit potestatem leges Ecclesiæ præscribendi, sed docendi Euangelium, & ministrandi sacramenta. ideo neq; cogimur legibus Papæ obedire, illis præsertim, quas probare possumus, quòd legibus dei aduersentur. In regno dei & Iesu Christi nihil habet ordinare non antea ordinatũ, & si Ecclesia alios episcopos supra alios constituere & ordinare poßit,

non

non tamen potest eis concedere, nisi quod prius concessum & demandatum est ipsis à Christo. Maiora onera inijcere potest, ut pro pluribus curam agant, imperatoriam potestatem concedere illis non potest. Multo minus donare potest istis potestatem uiolandi constitutiones Dei, & uiolant tamen hoc ius Pontifices per suas impias constitutiones, quia ordinationē Christi de Eucharistia corrumpunt, & coniugia sacerdotum damnant.

Carnium esus à quo reprobetur.

Attinet hoc quoq; ad reprehensionem Romani Pontificis, quòd contra ius diuinum & constitutionem Patrum carnium perceptionem culpat. Quanquam hoc quoq; pharisaice & per simulationem pietatis faciat, reprehendens scilicet, si quis feria sexta, siue in alijs diebus ieiuniorum carnes manducet. Et fingit se hoc modo ieiunia ordinare, cum nisi pharisaicum delectum ciborum non doceat. Et ad crapulam & ebrietatem, quæ exercentur in diebus ieiuniorum egregie obmutescat, nec in se & aula sua, nec in in alijs episcopis & monachis, in summa, in nullo prorsus reprehendat.

Et quid boni habet iste pharisaicus delectus ciborum, cur urgeat eum Pontifex Romanus? Non est enim Christianum ieiunium, & Paulus reprobat illum, Col. 2, Nemo uos iudicet in cibo aut in potu. Itē,

si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid tanquam uiuentes mundi decretis tenemini? (uidelicet talibus), ne tetigeris, ne gustaueris, nō cōtrectaueris. Quæ oīa ipso usu cōsumūtur (decretis scilicet) secundū præcepta & doctrinas hoīm. Quæ sunt rationē quidē habentia sapientiæ in superstitiōe & humilitate, et non parcendo corpori, ne honorem ei habēdo, quantū carni satis est. Et quot, obsecro, ęgrotis, impregnatis, senio cōfectis, isthæc pharisaica constitutio, reprobati esus carniū, lætaliter nocuit?

Improbare autem carnium esum, tanquam is illicitus sit, & peccatum, quocunq; tempore, die aut loco illis uescaris, idem Apostolus numerat cum doctrinis dæmoniorum. 1. Timoth. 4. Spiritus autem certo dicit, q̄ in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & his qui cognouerunt ueritatem. (Hæc ipsi quoq; hypocritæ & infideles Monachi notēt, q̄bus uno loco & aliqua certa mēsa peccatū est, carnes manducare, quod in uulgato alio loco non sit peccatum.) Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendū, quod cum gratiarū actiōe ꝑcipitur. Sanctificatur .n. p uerbū Dei et orationē.

Et quoniam idem Apostolus continuo subdit:

Hæc

Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Iesu Christi, enutritus uerbis fidei, & bonæ doctrinæ. Iterum significat, impostores esse & fallere Ecclesias dæmoniorum doctrinis, qui diuersum docent ac statuunt. Sed & cultus pharisaicus est, quòd iste delectus ciborum, fingitur bonum opus esse, qui sit honori Deo. De quo uide, quæ sunt Matth. 15. Summa autem blasphemia est, quòd iste pharisaicus & uanus cultus, dicitur homini mereri gratiam à Deo, & expiare peccata, cum hæc per nullam obseruationẽ, ne quidem mandatorum Dei, impetrentur. Sed solis contingant, qui in Christum Iesum credunt, & per solam fidem.

### De communicando cum pœnitentibus reconciliatis.

Quòd uero requirunt sancti patres, us pœnitentibus reconciliatis quoq; communicet Episcopus, ne uidelicet habeat illos, suo commertio & consuetudine indignos, aut arceat tales à consolatione Euangelij & sacramentorum usu. Id nimirum contra eos dictum, positum & statutum est, qui censuerunt Christianis abstinendum esse à commertio lapsorum, & satis arguit, fuisse in hac opinione nonnullos Episcopos. Quod iure reprehendunt. Quanquam non præcipiant, ut quibus libet lapsis communices, sed reconciliatis et pœnitentiã agentibus. Quales ipse quoq;

Christus adprobauit & recepit. Nam & multos ex Iudæis, reuertentibus ad pœnitentiam, haud dubie recepit, & suo exemplo recipiendos suasit.

Fuerunt autem in Ecclesia, qui ijs quotquot lapsi essent, post primam illam reconciliationem, quæ adipiscitur in baptismo, negauerũt peccati remißionẽ, ministerio Ecclesiæ concedi posse: quos præterea à sacramentis suaserunt arcendos. Hoc enim ausi fuerunt Nouatiani tentare, cuius hæreseos & impietatis autor extitit quidam Nouatus, Romanæ Ecclesiæ presbyter. De quo leges in hist. tripart. lib. 8. Cap. 9. De Nouationis autem, in hist. eccles. Eusebij, lib. 6. Cap. 34. Isti ab Ecclesia separati superbo nomine semetipsos καθαρούς, id est, mũdos adpellârunt. Existimantes pharisaica persuasione, quod sine omni peccato uiuere possent.

Istis igitur persimiles sunt Anabaptistæ horum temporum. Negant enim & ipsi, remißionem peccati lapsis concedi posse, & arroganter ac pharisaice præsumunt, quòd post susceptum baptismum, quem idcirco solis adultis tradunt, poßint sine omni peccato uiuere, existimantes, quòd inutiliter infantibus tradatur, qui in perseuerantia operis boni non maneant: & propterea inutiliter baptizentur. Hæc ergo pia constitutio, tradita ab orthodoxis, & scripturæ testimonijs iusta, pia & recta, seruari in tota Eccle

sia debet, & imprimis ab Episcopo. Nam si repellantur ab Episcopo lapsi, qui ueniunt ad reconciliationem, & reuertuntur ad Deum, quid à reliquo uulgo fiat?

Honestum uero est, subtrahere se à commertio & consuetudine illorum, qui lapsi nunquam ueniunt ad pœnitentiam, & in contemptu Dei perseuerant. Quin etiam, hoc est diuini mandati: si uidelicet perseuerent contemnere Ecclesiæ monita, hortationes, disciplinam, et correptiones. De quo lege Matth. 18.

## De remißione peccati, quæ fit per baptismi susceptionem.

Reliqui sunt duo loci constitutionis Patrum: prior, quòd exigendum præcipiunt ab eo, qui futurus sit Episcopus, & Ecclesiæ doctor, quid sentiat de peccatorũ remißione, quæ fit per baptismi susceptionẽ: posterior, quid de Ecclesia. Volunt autem ac iubent ut statuat, in baptismo fieri peccatorum omnium remißionem: hoc est, tam istius quod in generatione carnis contrahimus, et uocatur originale peccatum, quàm huius, quod uoluntarie admittimus, adijcientes morbo & uicio originali externam transgreßionem. Originale enim, non est aliud, quàm uiciati habitus ac motus in carnali natura, cum adiuncta ignorantia Dei. In quo sunt fontes omnium externarum transgreßionum & impietatum. Fue-

runt autem qui contenderunt solum originale ablui per baptismum, & externas transgreßiones expiandas, per propria facta. Istorum igitur sententiam S. patres improbant ac damnant: De Ecclesia itidem uolunt & requirunt, sentire ac statuere Episcopum, quòd extra eam nullus saluus fiat. Sola enim claues habet regni cœlorum, nec concedit peccatorum remißionem suo ministerio, ulli homini, nisi per promißionis Euangelij fidem, & sacramentorum debitum ac rectum usum. Dicam igitur de peccatorum remißione, quæ fit per baptismi susceptionem, prius quàm de Ecclesia.

Portenta papisticæ doctrinæ, de remißione peccati.

Proinde illi, quo sancti Patres pie & recte pronunciandum statuunt, uidelicet, quòd in baptismo peccata omnia dimittantur, glossator canonis, homo ignarus Euangelij & Christi adijcit de sua saliua, id est, dimissa ostendantur. Ne credas scilicet peccata dimitti per baptismum, sed declarationem quandã fieri, antea dimissorum, cum homo peccator baptizetur. Ne tribuatur baptismo uis abluendi peccata, sed tantum significatio quædam, per aliud dimissorum: Et hoc quantum ad actualia externarum transgreßionum delicta. Ita scilicet conspurcans S. patrum sententiam, quam non intellexit: & ueritatem Euangelij, cuius fuit ignarus, & unde patres sua collegerant, blasphemans. Sed hæc sunt portenta papisticæ doctrinæ,

papisticæ doctrinæ, de peccatorum remißione: & communis multorum error.

Vtitur itaq; glossator his rationibus, seu commentis uerius. Nam per contritionem, inquit, dimittuntur adulta peccata, (hoc est, quæ adulti admittimus, & ultra originale, per externas alias transgressiones addimus. Barbarizat enim.) non per baptismum. Aperte negans & sine tergiuersatione, quòd ultra originalia, ulla alia peccata hominibus per baptismum dimittantur. Et de alteris illis, quæ externa & uoluntaria transgreßione admittimus, mox ita pronunciat. Aut enim, inquiens, adultus accedit ad baptismum cum charitate, aut non. Si cũ charitate, iam nullum est in eo peccatum, si sine charitate, iam nullum peccatum ei dimittitur.

Scilicet, hoc est festiuum commentum glossatoris, quo gloriam Euangelij & Christi, id est, doctrinam fidei, de remißione peccati, quæ fit Christi nomine, penitus abolet, opprimit atq; extinguit. Et trãsfert meritum remißionis peccati, in opera actionum & iusticiarum nostrarum. Ne tamen baptismum penitus inglorium abire & discedere sinat, aliquid ei trĩbuit. Nam ultra hoc, quòd asserit significationem remißionis peccati in illo esse, eorum delictorum quæ adultis dimittuntur, propter charitatem, idq; mendaciter & ex Sophistarum doctrinis, sine omni uerbo

dei. Affingit per baptiſmum remitti pœnas, quas pro peccatis pati alioqui transgreſſor deberet, quanquam remiſsionem peccati, per ſuas iuſticias aſſecutus. Et addit, originalia quoq; dimitti, per baptiſmum, ſed nullum mortale, ſi charitatem non habeat. Quaſi ipſa quoq; originalia, non ſint mortalia delicta, aut quaſi non ſit gratuita peccati remiſsio, ut quam Deus propter ſolum Chriſtum donat, per ſolā fidem eorum in Chriſtum, ſed conditionem meritorum noſtrorum requirat.

Habet ergo tria inſignia baptiſmus, ſi iſti nugaci commentatori et ſophiſtæ credimus. Primum, non abluit, nec abolet peccata, quæ ipſi propria trāſgreſſione admittimus, ſed ſignificat tantum dimiſſa eſſe, eius merito qui per charitatem ad baptiſmum uenit. Quid igitur ſignificat baptiſmus, ſi quis ueniat ſine charitate: hoc eſt, ſine meritis priuatis operum legis? Quid, ſi fiducia nominis Chriſti accedat? In tali ſcilicet ocioſus eſt baptiſmus: niſi quo ad remiſsionem originalis, et pœnarum, transgreſſoribus propter externa delicta debitarum. Sed dicat nobis commentator, ſi peccata propter charitatē dimittuntur, nō gratuita remiſsione per baptiſmum propter Chriſtum, quomodo non eorum dimiſſorum ſignificationem potius habet ipſa charitas, in qua & cauſſa eſt remiſsionis, quàm baptiſmus? Cum præſertim in remittendo,

ſeu

ſeu abluendo peccata, tam ſit ocioſus & infirmus baptiſmus, charitas autem tam efficax ad tollendum peccata? Vanum igitur commentum eſt & ſophiſticum, quo eluditur ſententia & fides Patrum: ne iſtos qui ita iudicant quis notet atq; arguat hæreticæ impietatis, & negatæ remiſsionis peccati, quæ datur per ſolam fidem propter Chriſtum. Hoc de primo.

Secundum, quod tribuit baptiſmo commentator, eſt, illo ſcilicet dimitti ſatiſfactiones, uel ſatiſpaßiones, hoc eſt, debitas pœnas. Sed iſtas pœnas etiam remitti contendunt, per opera quædam indebita humanarum ſatiſfactionum. O impios & blaſphemos homines. Quàm diu negabitis remiſsionem peccati gratuitam eſſe? Et meritis phariſaicorum operum, aut paßionibus ueſtris ſeu cruciatibus fabuloſi purgatorij arrogabitis? Siquidem remiſsio peccati, eſt gratuita, & contingit propter Chriſtum, ſolis qui credunt in eum, & per ſolam fidem. Rom. 4. Non operanti ſed credenti in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides ſua ad iuſticiam. Hoc de ſecũdo. Nam ſub remiſsione peccati oportet comprehendere totam reconciliationem. Quibus enim remittit peccata Deus, ijs perfecte reconciliatus eſt, & nihil habet quod puniat in eis. Illis enim eſt clementiſsimus pater propter Chriſtũ, nõ carnifex aut tortor. Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternã. Et Cap. 5.

*Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet. Sed trasiuit à morte in uitam.*

Tertium in doctrina de baptismo sophistarũ est, quòd concedunt originalia delicta per baptismum dimitti. Quod recte fit quidem, sed non sufficienter. Quia non originalia tantum, sed & reliquæ omnes actuales culpæ per baptismũ abluũtur. Nec possunt remitti ulla peccata, non baptizato, nisi cui petenti baptismum, ille per tyrãnidem aufertur & negatur. Et omnis remißio peccati, fundamentum habet in eo, quòd in Christum Iesum baptizati sumus. Nam ipsa quoq; Eucharistia, quid est, nisi testimonium remißionis peccati, quæ baptizatis & credentibus in Christum Iesum debetur? Sed sophistarum impia dogmata tamen sparguntur in Ecclesia, quæ adprobat Romanus pontifex. In quo obseruandum, qui nam sint, qui doctrinam remißionis peccati, quæ fit per baptismi susceptionem, negent. Nec poßint utiliter, in Ecclesia Christi, pontifices esse, nedum summi, quos oporteat ab omnibus alijs audiri, ut qui Christianorum dogmatum tam sunt ignari, et adeo aduersantur doctrinæ fidei in Christum.

Canonista tamen, quem dixi, utitur suis alijs probamentis, & in subsidium accersit patrum alias & Pontificum

Pontificum opiniones, sed ualde ineptas, quod eru- dito lectori, & pio, non est difficile iudicare. Ego enim nolo istorum ineptias & uanitates omnes pro sequi. Nam etiamsi testimonia quæ citat, suo proposi to congruerent, tamen quia sunt impia, & hominum cogitata, uacua firmitate uerbi Dei, tamen oporteret illa negare, & solo uerbo Dei inhærendum omni- bus nobis esset, sicut etiam hærere illi uni, tanquam firmæ petræ, necesse est, quotquot salui fieri debent, uolunt, ac sperant.

Obiter, de doctrina remißionis pecca ti, ex somnijs scholasticorum Theologorum.

Vt uero intelligantur fontes erroris & impieta tis huius, unde istæ omnes blasphemiæ promanant, quædam altius mihi hoc loco ex doctrina scholastico rum Theologorum erunt repetenda. Isti enim docent quòd in peccato sint duo diuersis modis consideräda. culpa uidelicet, qua Deus offenditur, et pœna, quam ille infligit pro culpa, sine habëtibus peccatū. Postea addunt, Culpā remitti per contritionē quidē, si tamē habeatur cū proposito confitendi peccata, & satis fa- ciendi pro pœnis. Ita ergo spem faciunt impetrādæ remißionis peccati, per contritionē, sed si fiat cum proposito confitendi & satisfaciendi. Nam uerā con tritionem fingunt uiribus rationis posse parari, &

imaginantur rem ita ociosam et quietã esse, ut posit contritus uel cogitationẽ habere, de hoc pharisaico proposito, confitendi uidelicet peccata corã sacerdote, & satis faciendi pro pœnis, de quo loquuntur, cũ uerax contritio faciat hominem desperare de salute, nisi quem Euangelij consolatio retrahit & seruat. Tantum abest, ut fiduciam suæ pharisaicæ confeßionis aut satisfactionis habere posset, quæ est præterea species quædam abominabilis idolatriæ coram deo. Res est autem contritio prorsus spiritualis, quam nemo ueram nisi Deus in nobis operatur. Et confeßio illa & satis factio, de quibus præcipiunt scholastici theologi, sunt de præceptis mandatorum hominum, quibus Deus irritatur potius, quàm placatur.

Sed isti tamen, ut fabulosa commenta referre pergam, contritionem sufficere affirmant ad impetrationem remißionis peccati, si his conditionibus, ut dictum est, fiat. Id est, cum proposito confitendi. Sed rursus in contrito requirunt charitatẽ, qua si careat, neq; cõtritus neq; cõfessus accipiat peccati remißionem. Ita sunt scilicet, pharisaicis opinionibus & prodigiosis mendacijs referta omnia, in doctrina de remißione peccati, apud Papistas, et scholasticos theologos, Apostolos Papistarum. Fidei in Christum nullam faciunt mentionem, & requirunt charitatem in contritione, quæ est fidei gratuitæ remißionis pec-

cati

cati uacua. Cum ueram charitatem impoßibile sit habere, nisi per spiritum fidei in Christum. hoc est, nisi ab eo, cuius animus est confirmatus, de accepta gratuita remißione peccati, propter Christum. In summa, meritum remißionis peccati, transferunt à gloria Christi in carnales iusticias nostras: & gratiam gratuitam esse negant, adeoq; gloriationem homini aduersus gratiam concedunt, imò suorum operum fiduciam & superbam arrogantiam ædificant in illo. Quæ omnia aduersantur doctrinæ remißionis peccati, quam tradunt nobis Christus, Apostoli & Euangelistæ, quòd infra, in enarratione tertij capitis copiosius monstrabo.

De satisfactionibus autem hæc sunt apud Theologistas, superbæ arrogātiæ in hominibus plantatores. Deū uidelicet in contritione remittere quidē culpā, sed pœnam æternā commutare in aliā temporalem, uel purgatorij, uel corporaliū calamitatum. Ideo permanere in contrito obligationem ad pœnā temporalem, qui si decederet sine confeßione, non contēpta tamen, sed præuenta, iret in purgatorium. In quo obserua primum, quòd faciunt necessariam confeßionē, de qua Deus nihil præcipit, & præceptā ac necessariam penitus tacent. Deinde, quod de quibusdam pœnis purgatorij, quod totum est fabulosum, tanquam certis & necessarijs, affirmant, pulchrum

autem hoc commentum est, eorum qui per auariciã, ut Petrus inquit, & fictis uerbis, negotiantur de nobis. Deniq; afflictiones, quæ sunt paternæ correptiones, iubent haberi pro horribilibus pœnis irati dei. Quod est odium Dei, murmura & diffidentiam prædicare, & infernum in hoc mundo constituere, cum afflictionibus & cruce homini nihil dulcius esse debet, ut quibus peccatum aboletur, & sunt materia laudabilis & fructuosæ pacientiæ.

Nec desunt, qui blasphemantes fingunt, quòd ministerio sacerdotum nulla peccata hominibus remittantur, nec habere illos aliam potestatem, nisi qua homines absoluant à pœna. Sed eò adigunt istos sua cõmenta, de meritoria contritione. Sic ergo statuunt, si confitearis, sacerdos te absoluit à pœna tẽporali, per clauium uirtutem, cui te subijcis in confeßione. His itaq; omnibus commentis, uides uniuersam gloriam Christi negari, obrui, & lacerari: multo magis quam taceri. Etsi nullo uerbo & nulla syllaba eius recordẽtur, in hac sua doctrina, de peccati remißione. Quin etiam totum Euangelij ministerium proculcãt & damnant, per hæc impia rationis commenta. Nam sine omni uerbo Dei loquuntur nobis.

Sacræ literæ testantur uere contritis adesse Deum ex mere gratuita misericordia, & consolari ac sanare hos per promißionem Euangelij, de Christo

seruatore,

ſeruatore, qui eſt precium et ſatiſfactio, pro noſtris peccatis & pro æterna morte. Teſtantur item delictorum confeßionem neceſſariam eſſe, quam faciat contritus coram Deo, & inuocanti gratiam eius promiſſæ fiducia ſignificant remitti omnia peccata. Vt in illo pſal. 32 Peccatum meũ notum tibi feci, & delictum meum non operui. Dixi, confitebor ſuper tranſgreßionibus meis Domino, & tu abſtuliſti iniquitatem peccati mei. Et 1 Ioan. 1. ſi confitemur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Huc itẽ facit illa publicani inuocatio, de quo eſt, Luc. 18. Deus propitius eſto mihi peccatori. Chriſtus enim teſtimonium perhibet, quòd eius inuocatio ſit exaudita, quod facit in conſolationem noſtri, & fidei noſtræ confirmationem.

Deinde, hoc quoq; liquet teſtimonio ſacrarum literarum, quòd ſacerdotibus, Eccleſiæ miniſtris, uerax miniſterium remißionis peccati, traditum ac demandatum eſt, iuxta illud Chriſti, Ioan 20. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hoc uero exercent illi, per Euangelij & promißionum gratiæ doctrinam, & per ſacramentorum baptiſmi, & dominicæ cœnæ adminiſtrationem. A pœnis autem, non aliter abſoluunt, quàm à peccato. Loquor autem de pœna æternæ mortis.

Qui enim credunt in Christum Iesum, transiuerunt à morte in uitam. Purgatorij pœnæ, sunt res fictæ per auaros, quorum cupiditates tandem, & missas fecerũt uenales. Afflictiones autem corporales, quas hic sustinemus, nõ tolluntur per sacerdotũ absolutiones, nec per nostras illas satisfactiões, de quibus homines præcipiunt nobis, sed per iustam pœnitentiam, ac seriã emendationẽ nostri, sicut Paulus inquit, 1 Cor. 11. Quòd si nos ipsos dijudicaremus, non utiq; dijudicaremur à Domino,

Admiscẽtur autem doctrinæ remißionis peccati sophistarum, ipsæ quoq; imposturæ indulgentiarum pontificis Romani, quæ originem quidem suã habuerunt, ex Canonicis satisfactionibus, de quibus homines præcipiebant, & remittebant ex illis, uel mitigabant in eis, quantum uolebant. Sed nunc dicũtur esse precium sanguinis Christi, & ab auaris uenduntur. Scilicet, quicquid nostrum est, & Christus omnibus nobis promeruit, per paßionem, crucem & sanguinem suũ, pro nobis effusum, in remißionẽ peccatorũ, id uenditur turpiter nobis in Ecclesia pro pecunia.

Sed commentum magis lepidũ est, quod hic assuitur, de meritis sanctorum. Siquidem affirmant, quòd sancti homines Dei, multa bona opera meritoria operati sint, & quòd non peccauerunt, mortaliter saltẽ. Item, quòd hæc ipsa opera fecerint ad utilitatẽ Ecclesiæ.

Ecclesiæ, inter quæ præcipua sint merita beatæ uirginis. Quæ omnia Romanus pontifex habeat, uelut in thesauro, unde depromat quantum uelit, quod alijs donet, in delictorum seu pœnarum purgatorij remißionem. Sed si hoc non est docere idolatriam, perfidiam, id est, abnegationem fiduciæ in Christũ, dicat alius, quid sit.

In summa, si credimus papisticis doctrinis, Christus ociosus est, & nihil plane officij in Ecclesia habet. Istorum enim sententia, peccata remittuntur, in contritione & confeßione, quantum ad culpam, quantum uero ad pœnam, per satisfactiones, humanitus præceptas. Ita scilicet docent homines in se & pharisaica opera sua confidere, & fiduciam redemptoris Christi abnegare. Et, uel repugnante deo, iubent ut doctrinis, mãdatorum hominum, ipsum colamus. Tandem etiam ad indulgentias Romani Pontificis nos ablegant, quas ille pro meritis Christi & sanctorum effundit, sed parce, nisi cum spes aliqua pecuniæ acquirendæ ei datur. Væ uobis impostoribus & mendaciorum Magistris, qui docuistis, ut Dominum Iesum Christum, qui nos sanguine suo mercatus est, abnegaremus.

Sed hæc hactenus, de peccati remißione, cuius doctrina abolita est in papisticis conuentibus.

Huc uero asscripsi, ut intelligatur, qui nam sint, qui negant peccata remitti per baptismũ, beneficio Christi. Ad remissionem enim peccati, semper efficax est baptismus, ut signum et testimoniũ gratiæ, in his qui in redemptorem Christum Iesum credunt. Cauebũt itaq; futuri Ecclesiæ doctores sibi, à mendacibus doctrinis papistarum, & dent operam, ut Ecclesias recte doceant, de remissione peccati per Christum. De qua hucusq; frequenter & copiose scripsi, et subinde copiosius scribã. Quia huius doctrina præcipue extare in Ecclesia debet. Scribam autem & de toto genere peccati, & baptismi uirtute seorsim, infra in Cap. 3. enarratione.

De Ecclesia, & quòd extra illam nemo saluus fiat.

Reliquus est ille unus locus, in quo dicendum est mihi de Ecclesia, extra quam nemo saluari potest, & in qua omnes salui fiunt, qui modo uere sunt in ea. Hanc igitur definit nobis articulus ille fidei, & communis confessionis omnium Christianorum, in quo dicimus: Credo Ecclesiam, sanctam, catholicam, sanctorum communionem. Ecclesia est enim, hoc est, quidam cœtus & multitudo unius certi populi, per unitatem fidei in Christum sociata. Neq; enim Ecclesia esset, si incertis legibus, uel potius sine legibus, & sine uerbo Dei, sparsa uagaretur.

Gubernatur

*Gubernatur itaque per uerbum* Dei*, audit ac recipit consolationes* Euangelij *de remißione peccati & uita æterna per* Christum. Reuocatur *ad pœnitētiam, ad conuersionem à peccato, ad disciplinam morum, dilectonis, pacis et operum bonorum.* Perfert *crucē, & obtemperat monitis* Dei *sui.* Hoc *est ingenium, & hæc forma* Ecclesiæ Dei*, quam credimus, atque adeo scimus iustam, sanctam ac beatam esse coram* Deo.

Hanc *enim propterea sanctam dicimus, quia est iustificata à peccato, remißiōis peccati fide p* Christū. Et *quia à spiritu sancto per promißiones* Euangelij *gubernatur, per quas efficax est* Deus *operari in illa, nouam aliam uitam, iustificatis ex gratia & iam filijs* Dei *factis, & hæredibus existentibus æternæ uitæ, dignam.* Qualis *nouitas describitur in prædicatione bonorum operum, quam habemus traditam à* Christo *& apostolis, de qua suo loco satis dicam.* Sancta *igitur est, id est, purificata à peccato, abluta sanguine* Christi. Sanguis *enim* Iesu Christi *filij* Dei *emūdat nos ab omni peccato.* Sed *si* Christū *hoc modo iustificatorem & sanctificatorem nostri esse credamus, imò ipsißimam iustificationem nostram, ne uidelicet extra* Christum *aliquid salutis aut iusticiæ nobis promittamus.* Hoc *enim totum quod iusti & beati coram* Deo *sumus, à* Christo *& in* Christo *habemus.*

Iam *hac nota etiam discernere oportet hanc* Dei

Ecclesiam ab alijs, quæ neq; Dei sunt, nec sanctæ existunt, sed sunt impiæ, ignorãtes Dei, pollutæ & contaminatæ peccato, & sine pœnitentia agunt. Hæc .n. quam dixi, sola est sancta & beata, quod testimonijs sanctarum scripturarum satis liquet. Nec tantum iusta, sancta & beata est, uerumetiam peccatores, immundos, impios & damnatos, uenientes & ingredientes Ecclesiã, iustificat, sanctificat, lauat, emundat, & saluos facit à peccato & æterna morte. Nam idcirco officiũ administrationis Euangelij & sacramentorũ habet atq; exercet, acceptum à Deo & Christo Iesu. Cũ alijs nihil habens, qui foris sunt scilicet, increduli Deo, & in impietate manentes. Neq; .n. dicitur catholica, q̃ sit uniuersaliter oĩm hoĩm, sed oĩm q̃ in Christũ Iesum credunt, ut unicũ & æternũ seruatorẽ suũ, et qui ex hac fide pœnitentiã agunt, seu nouitati uitæ studẽt. Semper aũt crescit, quia perpetuo ueniũt in eã, per quos numero & multitudine augetur. Peccatores quidẽ, cum ueniunt & accedunt Ecclesiã, sed iusti, sancti ac beati habitãtes ac p̃manẽtes in ea. Cœpit ab orbe cõdito, & durabit usq; ad finẽ seculorũ.

Pharisaicas hoĩm doctrinas odit ac fugit, nec fidit nisi soli uerbo Dei. In quo certa est, q̃ errare non potest, audiens uidelicet pastoris sui uocem, per quẽ & in quo secura est ac tuta, contra q̃uis aduersantia mala peccati, mortis, inferorum, impij mundi & Diaboli,

li, ac totius satellitij eius. Hæc.n. fiducia, gloriatio, et certitudo, q̃ est Ecclesiæ in Christum, & salutis per nomen eius, est petra, aduersus quam portæ infrorũ nunquã præualebunt. Mat. 16. Esto igitur, sint pecca tores, infirmi, immũdi, damnati, in summa, mortis et iræ filiæ, tamen ex peccatoribus fiunt iusti, sancti, ua lentes, liberi à peccato & morte, filij Dei & uitæ æterna hæredes, quatenus scilicet p fidẽ incorporãtur Christo & Ecclesiæ sanctorũ, quæ uidelicet agnoscit Christũ Iesum esse dei filiũ, uerũ deũ et uerũ hoĩem, et oĩm nostrũ seruatorẽ, nẽpe preciũ et satis factionẽ p peccato et morte, et pignus æternæ uitæ. Ita.n. spõ sum et caput suæ Ecclesiæ, in quo q sunt ac pmanẽt in fide, nõ possũt nõ beati esse, sicut scriptura dicit: De dit eis potestatẽ filios Dei fieri, his q credũt in nomẽ eius. Fundamẽtum itaq; & unicã atq; perpetuã cau sam suæ salutis habet Ecclesia, ipsum Dominum Chri stũ Iesum. 1. Cor. 4. Fundamẽtũ aliud nemo potest po nere, præter id quod positum est, quod est Iesus Chri stus. Nõ ergo gloriatur in alia ut causa recõciliatio nis, iustificatiõis et æternæ salutis, q̃ in hoc solo Chri sto. Rom. 3. Iustificati gratis p gratiã ipsius, p redem ptionẽ q̃ est in Christo Iesu. Et cap. 4. Nõ operanti, sed credẽti in eũ, q iustificat impiũ, reputatur fides eius ad iusticiã. Phi. 3. Existimo oĩa detrimentũ esse propter eminẽtẽ cognitionẽ Iesu Christi domini mei,

propter quem omnia pro damnis duxi, & reputo omnia ut stercora, ut Christum lucrifaciam, utq; inueniar in illo, non habens meam iusticiam, quæ ex lege est, sed illã, quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est iusticia per fidem, ad cognoscendum illum, & uirtutem resurrectionis eius, & societatem paßionum illius. 1. Timoth. 1. Certus sermo est, & dignus, qui omnibus modis accipiatur, quòd Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. Tit. 3 Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundũ spem uitæ æternæ.

His testimonijs usus sum hoc loco, etsi aliàs quoq; à me citatis, ut imperitiores discernere doceam, Ecclesiam, quæ uere est Dei, ab ea, quæ mentitur se Ecclesiam illam esse, quæ tamen non est, nisi cõgregatio & conciliabulum diaboli, ut quæ huic doctrinæ fidei quomodocũq; aduersatur & pugnat. Primam tyranni in hoc mundo, qui hanc Euãgelij doctrinam uiolenter opprimunt, & gladio, igne, et quibus possunt modis eam persequuntur. Deinde, impij doctores, qui alias uias saluos fiendi corã Deo hominibus monstrãt, quàm hanc unam, quæ est fidei in Christum, cum non sint aliæ uiæ, ut non est aliud nisi hoc unum Euangelium, quod annunciat nobis peccati remißionem, iusticiam & salutem per Christum. Vnde hoc quoque ipsa meridiana luce clarius est, de illa sancta & bea-

ta Ecclesia non esse, de qua nobis per confeßionem fi dei sermo est, qui iusticiam & salutem per opera le-gis quærunt, siue Iudæi aut Turcæ fuerint, siue persi di papistæ & monachi, in unum chaos confusi. Nec esse Ecclesiæ episcopos, pastores siue doctores, qui iusticiam, qua salui efficiamur coram Deo, aliũde pe tere iubent, quàm à solo Christo, sed esse animicidas, hoc est, perniciosißimos fures & latrones in Eccle-sia Non est enim aliud ostium, alia uia ad iusticiam et salutem, quàm Christus Iesus. Ioan. 10 Ego sum osti um, per me si quis introierit, saluabitur. Item, Ego ue ni, ut uitam habeant. Et cap. 14 Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me.

Igitur quisquis huic doctrinæ Euangelij refraga tur quomodocunque, ut non est Ecclesiæ membrum, nec pertinet ad eam, ita nunquã potest saluus fieri ni si p gratiæ et promissorũ Euangelij fidẽ cõuertatur, Ecclesiæ reconcilietur & uniatur. Nec possunt boni Ecclesiæ ministri esse, q huic gloriæ Iesu Christi de-trahunt, quòd uidelicet unus ipse saluos faciat nos à peccato et morte, quatenus credamus in eum. Quam illi sacræ scripturæ asserunt, gloriam inquam, nos sal uos faciendi, ut Act. 4. Non est datum hominibus ali ud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluari. Item capite 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhi-bent, quòd remißionem peccatorum accipiãt per no

men eius omnes q̃ credunt in eum. Quomodo igitur posset bonus minister esse ferendus in Ecclesia, qui Christo Iesu in hac gloria sua detrahit? Imò Ecclesiã dolose & impie fraudat gloria gratiæ Dei, remißione peccati, iusticia & æterna uita? Quod quomodo faciant Papa & papistici episcopi, & quicunq; illis perfidia Iudaica iuncti sunt, dictum est sæpe. Sunt autem boni & commodi ministri Antichristi & Diaboli, per quos Ecclesia Dei uastatur. In summa, hostes sunt Ecclesiæ, & prophanatores gloriæ Christi. Qui nisi conuertantur, de facto condemnati sunt, & nunquam possunt salui fieri. Ioan. 3. Qui non credit in filium Dei, iam condemnatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

Iam huius sanctæ Ecclesiæ, quæ habet caput et seruatorẽ Christũ, est, gubernari à spũ sancto, et emũdari à reliquijs peccati, ut per nouitatem uitæ glorificet Deum. Quod quomodo & quibus modis fiat à spiritu, infrà capite tertio conabor nonnihil explicare, nam spiritum sanctum accipit à Christo per promissionis Euangelij fidem, & spiritus ille creat nouos motus in cordibus, uidelicet amorem legis, Dei & proximi. Vnde etiam fit, ut qui illum spiritum habent, studio bonorum operum excellant, quemadmodũ qui sine bonis operibus uiuũt, palã arguũt se illo spiritu Christi nondũ præditos esse, nec fidẽ in Christum

stum Iesum habere. Quales necesse est nunquam pos se saluari, facinorosos scilicet & contemptores Dei. Qui ut neque timẽt Deum, ita nec diligunt eum, nec possunt diligere, ut in quem non crediderunt. Non habentes ergo spiritum Christi, & spiritu Diaboli acti, quomodo saluarẽtur? Nam Rom. octauo dicitur, Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Te stimonia autem regnãtis in te Christi, & praesentiae spiritus eius, sunt mori peccato & uiuere iusticiae: Lege quae sunt Rom. sexto, & ea quae Galat. quinto de fructibus spiritus. Rursus Ioan. 3. dicitur, Qui facit peccatum, ex Diabolo est, ut quem Diabolus agit, & in quo est efficax. Tales uero sunt, qui facino rose uiuunt, & obseruationem mandatorum Dei con temnunt, quare impoßibile est Ecclesiam esse illam beatam Christi, aut saluari posse. Lege 1. Corinth. 6. Galat. 5. Ephes. 1. Matth. 25. &c.

Huius deniq; sanctae Ecclesiae, quã praedicamus Dei & Iesu Christi, sunt ministri Pontifices & episcopi, nõ Domini aut Imperatores, q Ecclesiae dominẽtur, aut qbus qduis liceat in Ecclesiã, sicut oĩa sibi licẽter in illã pmittunt ac tribuunt. Dominus aũt & caput Ecclesiae est ipse Christus Iesus, sicut docetur Eph. 1. Col. 1. &c. Nõ ergo credi aut recipi debet, q potesta tẽ habeãt Põtifices nouandi doctrinã à Christo & apostolis traditã ecclesiae, aut adijciẽdi ei, uel mĩm iota:

Cum enim adijciunt, nõ possunt nisi corrumpere doctrinã uerbi Dei. Et tamen audacter & scelerate hoc sibi permittunt. Non possunt ullo iure mutare constitutionem sacramentorum, aut noua prius ordinatis adijcere, quanquam conati sint illa non augere solum numero, uerum etiam uiolant illa Christi, quod liquet ex ordinatiõe Christi in Eucharistia. Ille enim donat utramque speciem omnibus Christianis, & uult esse testimonium & pignus erga nos beneficiorum gratiæ suæ. Papistæ autem arcent laicos à communione & usu alterius speciei, & fingũt sacrificium esse, hoc quod sacerdotes sumunt, pro peccatis uiuorum & mortuorum. Sic quadrant scilicet papistica & Christiana. Sentiamus igitur Ecclesiam Dei uerbo Christi subditam esse, & sacramentis à Christo ordinatis uti cum gratiarum actiõe. Nihil adijcere uerbo Dei, & sacramenta gratiæ minimum uiolare.

Quod uero ad remißionem peccatorum attinet, potestatem uidelicet, quæ est tradita Ecclesiæ, sic oportet iudicare. Primum, Christi illam potestatem esse, deinde Ecclesiæ propter Christum Et Christi quidem pleno imperio, & absoluta potestate: Ecclesiæ autem, ut ministræ potestatis Christi. Christus enim pleno imperio remittit peccata, quibus omnino uult. (Nam etiam potestatem habet conferre spiritum sanctum cui uult, & efficere, ut per Euangelium credamus

mus in Deum.) Ecclesia aũt officio ministrorũ remittit peccata, & præterea efficax est, ut ministerio Euangelij & sacramentorũ detur spũs sanctus his qui Euangelio credunt, nam Ecclesia habet claues regni cœlorum, nõ episcopi aut Pontifices, nisi ut ministri aut serui Ecclesiæ. Quapropter & efficatia uerbi et sacramentorum non pendet à dignitate ministrorum, sed Ecclesiæ, cuius caput et dominus Christus est, q̃ oĩa potest, & in cuius noĩe oĩs salus nobis confertur. Pontifices ergo seu episcopi nõ possunt alijs remittere peccata, nisi ut ministri, ministri aũt & dispensatores alienæ gratiæ. Quare in remittẽdo necesse est, ut uerbũ Euãgelij doceãt, et solis, q̃ Euãgelio credũt promittãt remißionẽ peccati, propter Christũ. Quẽadmodum retinere peccata nullis penitus possunt, nisi incredulis Christo Iesu, ut nec remittere peccata, sicut dictũ est, q̃ ijs q̃ in Christũ Iesum credũt. Ac sunt debitores huius administratiõis, et uæ ipsis, nisi hoc pacto ministrent. Istis dico, quibus dispensatio cõmissa est. Neceßitas.n. illis omnibus incũbit. 1. Cor. 9.

Quanquam autẽ Ecclesia soli Deo cognita est, iuxta illud Pauli, Nouit Dominus suos. 2. Timoth. 2. Et Christi, Ego scio quos elegerim. Ioan. 13. tamẽ habet externas aliquot notas, per quas certißimo cognosci potest. Omnium autem certißimam, uerbi gratiæ seu Euangelij annunciationem, tum sacramentorum, ba-

ptismi et dominicæ cœnæ usum. Nec n. potest prædicari Euāgeliū, ut nō fructificet, et nō cōstituat ecclesiā Dei. Esa. 55. Verbū meū nō reuertetur ad me uacuū. Nam Euangeliū est potentia Dei, qua ille saluat credentes Rom. 1. Quod ideo facit annunciari, ut aliqui credant, & ubi prædicatur, nunquam desunt, qui illi fidē habent. Ex multis uidelicet certi quidam, hoc est, electi Dei. Electionis. n. certum signum est, Euangelio credere. Nec aliter pium est, curiosum esse de electione sui, nisi ut Euāgelio credamus, & per fidē promißionum gratiæ, certi simus et electiōis nostræ & æternæ salutis per Christum. Sacramenta quoq;, quoniam sunt appendices Euangelij, et testimonia remißionis peccati his qui in Christum Iesum credunt, efficaciter operantur credentium salutē, & constituunt Ecclesiam Dei. Baptismus. n. abluit peccata, & sociat nos Deo, ut filios & hæredes, Christo, ut fratres et cohæredes æternæ uitæ. In dominica cœna fit quoq; remißio peccati, et idem sacramentum testatur remißionem peccati semper durare in Ecclesia, ut etiamsi qui lapsi sint, tamen confidant se iterum reconciliari Deo posse, & eo ipso recipi in gratiam, q̃ spe remißionis peccati ueniant ad eius usum. Ideo lapsos potenter consolatur & seruat eos ne desperent.

Ex iā dictis uero liquet, hoc quoq; esse testimoniū Ecclesiæ iustorū & societatis filiorum Dei, nō recipere aliud uerbū pro doctrina salutis, quàm Euange

lium de Christo. Necesse est.n.ut neminē aliū audiat uel recipiat, pro magistro et doctore, quàm Christū: iuxta illud Matth.23. Vnus est magister uester Christus. Item Ioan.10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, et ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquā de manu mea. Et ibidem, Alienum non sequuntur, sed effugient ab eo, quia nō nouerunt uocem alienorum. Hæc quātum ualeant cōtra impias Pontificum cōstitutiones, quibus onerāt Ecclesiam, & falsa ac uana docent, pio lectori facile intelligere est, nam Ecclesia tota libera esse à traditiōibus hominum debet, nullius uerbo alligata, nisi redēptoris sui Iesu Christi. Qui ergo pro traditiōibus hominum pugnant contra hanc Christianorū libertatē, sunt pseudochristiani, pseudodoctores & aduersarij Ecclesiæ Christi. Tales item, qui uiolationem sacramentorum Christi, quæ ab hominibus est, defendunt, cum ne ab angelis quidem uiolari possint.

In clauium usu cognoscitur Ecclesia, si ad hūc modum administrētur, qui est traditus à Christo. Est autem duplex & diuersa potestas clauiū, altera, q̄ tota uersatur in remittēdo et retinendo peccata, et rursus altera, q̄ exercetur in soluendo aut ligādo. Ligare.n. prius est q̄ soluere, et remittere prius q̄ retinere. Cū parū attētis uideri posset, idē prorsus esse remittere

et soluere. Itē, retinere & ligare, sed differūt: Nā tradita est potestas, imò mandatum ipsi Ecclesiæ à Christo, ut Euangelium omnibus annūciet. Ideo omnibus qui credunt, peccata remittuntur, incredulis autem sua pecccata retinentur. Rursus iubet pœnitentiam prædicare Christus, & delinquentes corripere, & rebelles excludere à consortio Ecclesiæ, eos qui uideri uolunt fratres Christiani esse, cum tales nō sint, scilicet qui sunt in Ecclesia, audiunt uerbum, communibus sacramentis utuntur, & flagitiose uiuūt, & de illis præcipitur, ut impœnitentes & rebelles ligentur, scilicet uinculo excommunicationis & priuentur sacramentorum usu, qui reuersi quidem tandē ad pœnitentiā, & per emendationem sui serio ad Deum conuersi, iterum recipiantur & soluantur.

Igitur clauium usus est totus in prædicatione Euangelij, pœnitentiæ, & administrationis sacramentorum. Fallunt autem Ecclesias Pontifices, qui se fingunt ius clauium administrare, cum neque doceant Euangelium, neque pœnitentiam prædicent, neque sacramenta cuiquam porrigant: Dictæ sunt autem claues administratio uerbi Dei & sacramentorum, elegante Metaphora, quòd uiam uitæ aperiant, & ianuam regni cœlorum his qui uerbo Dei credunt, & sacramentis per fidem utuntur. Et contrà, q, hæc incredulis clausa & obserata relinquunt. Ligari autem

tem per excommunicationem non posse, nisi eos qui correptiones & salutifera monita Ecclesiæ non ferunt, disce Matth. 18. Quos rursus tamē recipere debemus ad se reuersos & pœnitētiam agentes, & continuo soluere ab excōmunicatione, & per promißionem Euangelij & sacramenta consolari.

Cognoscitur denique Ecclesia per eam fidei confeßionem, quæ fit coram mundi huius tyrannis per tolerantiam crucis, & totam pœnitentiam. Confitetur enim in quibuslibet periculis, ac sustinet mortem potius quàm abneget Christū, et nominis eius gloriam. Exercet patientiam, auxilium & liberationem expectās à Deo. Inuocatio autem est testimonium internum. Sed hæc hactenus de Ecclesia, extra quā nemo saluus fieri potest, et de præcipuis quibusdam alijs fidei & doctrinæ Christianæ capitibus, in quibus instructum esse episcopum & Ecclesiæ doctorē refert: Vt recte præcipiunt Patres, Decreti Aphricani autores, si perinde recte intelligeretur ab omnibus, siue quod magis optabile esset, si episcopi & Ecclesiæ doctores uellent definitionibus eius acquiescere. Nunc ad enarrationem textus epistolæ Paulinæ reuertor.

VT POTENS SIT ETIAM EXHORTARI PER SANAM DOCTRINAM, ET CONTRADICENTES CONVINCERE.

Hoc est, episcopus ita sit tenax fidelis sermonis,

et subseruiat ei, ut sequētes illas duas uirtutes quoq; nouerit præstare, nēpe exhortari Ecclesiā p sanā doctrioam, et illi contradicentes cōuincere. Necessariæ sunt. n. in doctore, qui nisi docendi rationē exacte tenuerit, neutram harum poterit præstare, sicut papistæ, cum falsa doceant de iustificatiōe, etiam frigēt in exhortationibus suis, et ad bene operandum prorsus nesciunt Ecclesias adhortari. Nam uiolentis cōminationibus ferè utuntur, & fiunt noui legislatores, cum consolari peccatores per Euangeliū deberent, et per Euangelij promißionem inuitare ad bene operandū. Hoīes in fide retinere, et per fidei doctrinam in moribus instituere, hoc est, Euangelio credētes uocare ad gratitudinē, & dehortari à gratiæ cōtemptu. Sed qa hæc nesciunt, & falsa de fide & moribus prædicant, ideo in serijs disputationibus nec possunt sua tueri ac defendere. Quos enim conuincerent ipsi de erroribus & blasphemijs conuincendi? Sicut nunc peßime audiunt in Ecclesia, & in toto terrarum orbe traducuntur, de sparsis & confirmatis impijs doctrinis inter eos qui ueritatis doctrinæ Christianæ ignorantes fuerunt.

Proinde secundum docentis munus positum est in exhortando, tertium aūt in defensione dogmatum Christianorum. Exhortatione opus est apud eos, qui Euangelio Domini Iesu Christi crediderunt, quia est

admonitio, ut de quo docti sunt, in eo perseuerent fide, agant pœnitentiam, & pergant proficere in eo, quod bene cœperunt. Defensio aduersarios Christianæ doctrinæ repellit, quorũ illa semper multos habuit, quia Diabolus nunquam quiescit, & semper excitat suos aliquos ministros, qui ueritati et sanæ doctrinæ cõtradicant. Idcirco isti tales nõ prædicant fidem in Christum, sed hypocrises operum nostrorum, & iubent fiduciã in ea ponere, gratiæ doctrina cõtempta. Primo.n abolent fidei doctrinã, & præcepta de moribus ita tradũt, ut erigant in hoĩe gloriationẽ aduersus gratiã. Deniq; præceptis dei admiscẽt doctrinas mandatorum hominum, & iubent, ut pari honore & reuerentia cum mandatis Dei seruentur, ut similes Deo esse credantur, quod conari nisi Antichristus nõ potuit. Sed & docent de obseruatiõibus suorum mandatorum, quòd nisi cum peccato omitti non possint, et q̃ seruantibus ea mereantur gratiam, iusticiã & salutem coram Deo, cum per ipsam quoq; obseruationem diuinarum legum nemo iustificetur.

Cum his igitur pestibus Ecclesiæ semper fuit magnum negocium, grauis contentio et pugna omnibus prophetis, Christo & aplis, quod testimonio scripturarũ notissimũ est. Quapropter etiã nunc fieri aliter non potest. Ne ergo speret quis meliora, quin semper futuri sint, qui doctrinæ pietatis et fidei in Christum

contradicant, & labefactare illã quærant atq; euerte re. Doctrinã de moribus pharisaice tradant, quemad modũ apud Iudæos fit et Turcas. Ministri aũt Diaboli sunt illi ad hoc excitati, ne per ueritatẽ Euangelij salui efficiamur. Cõtra istos ergo oportet uigilantes esse episcopos, & Christianæ doctrinæ patrocinari, scilicet hostibus Christianæ fidei os blasphemiæ suũ obstruere & opilare. Semper aũt tales fore, qui ueritati fidei contradicant, & pharisaica doceãt in plebe, & quidẽ auariciæ & turpis lucri gratia, quo oĩa papistarum seruiũt, et Petrus admonuit 2.Pet.2. Fuerunt aũt & pseudoprophetæ in populo, quemadmodũ & inter uos erunt falsi doctores, qui clã inducent sectas pnitiosas, etiã Dominũ, q illos mercatus fuerat abnegãtes. Itẽ, p quos uia ueritatis blasphemabitur, et in auaricia fictis uerbis de uobis negociabuntur.

De exhortatione.

Proinde eximium hoc est, postquam bene institueris, & recte docueris Ecclesias, poßis etiam exhortari illas per sanã doctrinã, cũ ut permaneãt in ea, tũ etiam fructus pietatis multiplices faciãt, nã in omni genere doctrinæ ille plurimũ laudis meretur, q quæ docet, efficaciter docet, & quos docet, retinet in eo, quod præcepto et doctrina eis præscriptum est. Id ergo fit p prudentẽ & doctã exhortationem, quæ talis est apud Christianos, cum est pia. Exhortatio igitur

consumat

consumat & perficit, quod bene docueris. Suadet autem & orat, multo potius, quàm cogat. Nam inuitos ac renitentes, nemo fœliciter trahit. Proponit ergo ex Euangelio amplitudinem beneficiorum gratiæ Christiana exhortatio, & iubet ut in eam respicientes, non simus ingrati, & metuamus hæc gratiæ beneficia contemnere, sed ornare per nouitatem uitæ connitamur. Eiusq; obuia sunt paßim multa pulcherrima exempla. Quale est infra in Cap. 2. Apparuit enim gratia Dei, &c. Item elegantißimum aliud, ad Phil. 2. Et 2 Cor. 5. inquit Paulus: Itaq; Christi nomine legatione fungimur, tanquam Deo nos obsecrante per nos. Rogamus pro Christo, reconciliemini Deo: Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.

Has ergo rationes exhortandi obseruent Episcopi & doctores, & retineant hunc morem apostolicum, ut in exhortando sequantur. Atq; ut Ecclesiæ ex fundamento fidei discant bene operari, & quoniam Deus spiritus est, spiritu à nobis colatur & ueritate cordis. Ne quid non uoluntarie & hilariter operemur. Fugiant ergo papisticum morem, eorum scilicet, qui prædicant iusticiam petere ex lege, & horribilibus cõminationibus ferè tantum utuntur: In quo sunt multæ graues incommoditates, primum, abolетur fides in Christum, qua abolita, homines à regno

gratiæ Dei exulare coguntur. Deinde, non docetur, nisi uana operum hypocrisis, atq; ut homines in sua facta confidant potius, quàm in gratiam misericordiæ dei. Deniq;, ut quicquid faciunt, sui respectu operentur potius, quàm ad glorificandum Deum & laudandum pro gratia. Quales etiam idolatræ sunt, & sibi tantum seruiunt, uoluntati autem Dei omniũ minime. Ideo enim faciunt legis opera, ut iusticiam & æternã uitam sibi mereantur, quo studio neq; iusticiam neq; uitam assequuntur Rom. 9. 10. &c. Nos igitur ex fide, donatæ nobis iusticiæ & æternæ uitæ in Christo, uoluntati Dei obsequi studeamus, & bene operari, ut pie & ueraciter glorificetur à nobis. Impietas est enim, per opera quærere iustificationem, & hypocrisis, cum tibi seruias, Deo & uoluntati eius nude nõ seruias. Amore tui facis opera legis, quæ debebas facere amore Dei & proximi. Quid igitur est in te nisi hypocrisis, & simulatio pietatis?

Doctrinæ legis alia ratio est, quàm exhortationũ Euangelij. Et de formis quidem exhortandi legalibus, habes exempla præcipua, Leuit. 26. & Deu 28: His uero debiti perfectæ iusticiæ admonemur, non ideo solum, ut ad optima cõnitamur, colendi Dei studio, uerum etiã, ut cognita ac deprehensa imbecillitate nostra, & peccatis nostris, desperemus de nobis, ueréq; humiliati coram Deo, ad auxiliũ gratiæ eius

confugiamus.

confugiamus. Hinc etiã frequẽtes cõminationes iræ & maledictionum æternarum in lege occurrunt, quarum etiã Paulus meminit ad Gal. 3. ex Deu. Cap. 27. Contra uero fit in Euangelio. Nam per fidem in Christum offertur nobis gratuita peccati remißio, & proponitur spes iusticiæ, & immortalitatis, seu æternæ gloriæ cum Christo, omnibus qui credunt in eum. Et huius gratiæ fide inuitamur, ut officium faciamus, uidelicet peccato et desyderijs eius moriamur, recte factis & pijs studijs deditisimus. Sic enim accenditur in nobis, amor Dei, legis & proximi, & illo amore accẽso in nobis, incipimus demũ ex corde & ueraciter colere Deũ. Tũ etiã sine impijs opinionibus merẽdi gratiã, iusticiã et salutẽ, per opa et facta nostra. Hinc ipse etiã Christus, suis ita loquitur, ut uidelicet pios, ueraces & uolũtarios cultores faciat, Matth: 11. Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, et ego reficiã uos. Tollite iugum meũ sup uos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde. Et reperietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue. His enim solis, qui per Euangeliũ in Christũ Iesum crediderunt, mãdata Dei grauia non sunt. 1 Ioan. 5. sed dulcescunt eis, & fiunt leuia, ipsa quoq; crux & mortificatio carnis.

In exhortando itaq; præcipua ratio habeatur, ut beneficia Christi inculcẽtur, quibus uidelicet studiũ bene operandi proponitur. Per fidẽ enim gratiæ suæ

uiter trahi possumus in obsequium Dei & Iesu Christi. Tales ergo rationes sunt frequẽtes apud Paulũ, ut Eph. 5. Estote ergo imitatores Dei, tanquam filij dilecti, & ambulate in dilectione. Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Hæc ergo scripturæ exempla, morem Christi & Apostolorum, nobis proponamus: tum in doctrina & exhortatiõe retineamus. Comminatur quidem et Christus condemnationem & iram Dei æternam, similiter & Apostoli, quos rationem docendi à Christo acceptã, tenere necesse est, sed incredulis tantum, & contemptoribus gratiæ Dei, hæc horribilia comminantur: & qui sine omni pœnitentia agunt. Atq; ita necesse est fieri, ut omnes intelligant, se gratiam Dei impune contemnere non posse.

Ex his opinor satis uideri & intelligi, quomodo per sanam Euangelij doctrinã, pia & efficax adhortatio institui poßit ac debeat. Certe enim nec pia ratio docendi est, si prædices legem & beneficia Christi taceas, sed est pharisaica, & indigna Christianis: Nec efficaciter docueris bona opera, si nullam facias gratiæ Christi mentionem. Tædet enim ac piget facere legem, eos qui gratiæ Dei sunt ignari. Per legem enim tristes, inuiti, & rebelles trahimur, per Euangelium spontanei efficimur, ut ultro sequamur, &

cum

cum uoluptate mandata Dei faciamus. Hinc sunt illa apud Paulum, 1 Timoth. 1. Finis praecepti est charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Nascitur enim charitas ex fide: & fides purificat corda, exhilarans conscientias, ac faciens nos facere mandata dei, spiritu ac ueritate: hoc est, hilariter, prompte, & cum summa uoluptate. Ideo etiam seruat homini bonam conscientiam, quae nulla est in eis qui mandata Dei non seruant, aut inuitis animis & rebellibus illa faciunt, difficulter & cum molestia cordis. Sic scilicet ficte & simulate colunt Deum, homines ficte & simulate credentes in Deum, ut in quibus istae impiae opiniones regnant, quòd operibus & factis suis sibi iusticiam & uitam mereantur. Sibi seruiunt, Deo non seruiunt, Ideo manent rebelles, ac sine spiritu dulcedinis & amoris in Deum & Iesum Christum.

Sed haec satis de Episcopi diligentia & officio in exhortando, per Euangelij sermonem. A cuius ratione degenerauerunt nostra secula, ac reciderunt non solum in Iudaicas docendi rationes, quales sunt, cum proponitur iusticia & salus, factoribus operum legis. Verum etiam in tyrannicas & uiolentas pontificum exactiones, quibus isti cogunt, quantumuis inuitos & rebelles, ad suorum mandatorum pharisaicorum obseruationes, Et quidem plurimas inter-

*illas, quæ sunt impiæ sua natura, et quas præstare sine peccato potest nemo.* V*t supra disputauimus, de cælibatus legibus, in his qui uera cõtinentia non sunt donati à* D*eo.* Q*ui uero illo dono præditi sunt, ridicule & impie per hominũ leges cogũtur.* T*andem etiã per incuriam & negligentiã* E*piscoporum ad inania terriculamenta & somnia mortuorum deducti sumus, ut formidolose faciamus, quæ à uagis spiritibus, hoc est, ab imposturis dæmonũ, quasi à mortuis, didicimus, cum* D*eus iubeat, ut uoluntatem suam, ex ipsius met suis legibus discamus, & regulam agendorum, siue fugiendorum non aliunde petamus.* I*uxta illud* E*sa.* 8. E*t cum dixerint ad uos, quærite à pithonibus & diuinis, qui strident in incantationibus suis.* N*unquid non populus, à* D*eo suo requiret?* N*ũ pro uiuis ad mortuos recurret?* A*d legem magis, & ad testimoniũ.* Q*uòd si non dixerint iuxta uerbum hoc, non aderit eis lux, &c.* E*t* D*ominus in* E*uãgelio ait.* H*abent* M*osen & prophetas, illos audiant.*

DE Redarguendo.

P*roximum est, ut dicam nonnihil, de redarguendo, & conuincendis ijs, qui sanæ doctrinæ contradicunt, quæ ratio quoq; habet multa exempla scripturæ, in omnibus prophetis, in doctrina* C*hristi, &* A*postolorum.* I*deo melior tradi non potest, quàm ab*

*illis*

illis exercita est, ac disci potest. Optimus uero huius Magister erit, qui ipse caussa Euãgelij serio afficitur, ut qui recte hanc didicerũt, & fideliter alijs tradiderunt. Existimantes sibi aliquando reddendã esse rationẽ corã Deo, suæ fidelitatis & curæ pro Ecclesia.

Requirit autem hæc ratio non tantum firmam perittiam, & diutinam exercitationem & usum, in scripturis sacris, uerum etiam multarum aliarum artium scientiam, tum græcæ & hebraicæ linguæ cognitionem. Et artes quidem, ac scientiam rerũ necessariarum, debet futurus Ecclesiæ doctor ex scholis secum afferre. Exempla uero modestiæ, siue durioris increpationis in agendo, petere ex scripturis. In quo prodest et hoc Petri præceptũ memoria tenere, quod est 1 Pet. 3. Parati semper ad respondendum, omni poscenti uos rationem de spe quæ in uobis est, cum mansuetudine & timore. Nam qua uehementia liceat nõnunquã uti contra pertinaces gratiæ hostes, nõnihil expositum est à me supra, in illud, ubi uetat Paulus, ne Episcopus sit percussor. Proponit autem & Paulus in hoc primo capite epistolæ ad Titum exemplũ quomodo redarguendi sint, uanitatis & hypocriseos doctores. Nam eos refellit, qui contra doctrinam libertatis, iubebant pharisaicum delectum in cibis facere & attendere doctrinas dæmoniorũ, ut aliàs uocat, Hoc dicentes mundum, & illud immundum,

ſecundum præcepta ceremonialia Moſi, quarum obſeruatio penitus nihil ad nos pertinet. Chriſtiani itaq; in ſimili caſu poterimus hæc obijcere hypocriſeos Magiſtris papiſtis. Nam ſimilibus præceptis doctrinarum hominum, libertatem quam habemus à Chriſto opprimunt, & efficiunt ut phariſaice, ad exemplum hypocritarum, ſentiamus de cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, ut eſt, 1 Timoth. 3. ſimile aliud exemplum require, Col. 2.

SVNT ENIM MVLTI INTRACTABILES, ET VANILOQVI ET MENTIVM SEDVCTORES: MAXIME II, QVI SVNT EX CIRCVMCISIONE. QVIBVS OPORTET OBTVRARE OS, QVI TOTAS DOMVS SVBVERTVNT, DOCENTES QVAE NON OPORTET, TVRPIS LVCRI GRATIA.

Habes in prædictis formam uerorũ Epiſcoporũ, et ferè totius eccleſiaſticæ doctrinæ explicatã. Hic, ut dictum eſt, ſubijcitur admonitio, de eo quomodo caueri debeant aduerſarij Chriſtianæ doctrinæ, & quomodo os iſtis oportet obſtruere: Semper enim eſſe, qui gloriam Chriſti labefactatam quærant ac perditam, ipſo uſu & experientia diſcimus, & iſtos excitari à Diabolo, qui eſt præcipuus calumniator uerbi Dei, Paulus ſæpe indicat. Intractabiles uero

uocat,

*uocat, aut si græcam uocem ad uerbum reddas, non subditos, quòd doctrinæ ueritatis, id est, Euangelio de Christo, & doctrinæ libertatis subijci nolint, ac malint parere per impietatem & superstitionem legibus ceremoniarum Mosi, aut mandatis hominum, quā gratiæ libertate frui. Cum quo hominum genere, cui bono conuenire posset? cum à nemine corrigi se patiantur.* *Intractabiles*

*Imputat autem hoc uicium & obstinacis maliciæ impietatem Iudæis potißimum. Nec enim cogitari facile, ne dum dici poterit, qua superstitionis pertinacia, hic populus, in Mosi legibus, de cibis, indumentis, diebus festis, & similibus ceremoniarum constitutionibus hæsit. A quibus hoc tempore nihil prorsus uariant Papistæ, si pertinaciam & impietatem spectes. Nisi quòd fortaßis sunt deteriores Iudæis. Nam errori Iudæorum, diuinæ constitutiones fauere uidebantur, Papistæ doctrinæ uerbi Dei, hominū uanas traditiones opponunt. Tametsi sciunt Deum doctrinis mandatorum hominum frustra coli, uidelicet, toties admoniti. Requirunt itaq; prorsus Iudaica pertinacia & impietate, uel maiore, papistica scilicet, ut suæ ipsorum traditiones, tanquam necessariæ, in omnibus Ecclesiis obseruentur, prorsus contēpto Euangelio Iesu Christi, & libertatis doctrina.*

*Isti sunt ergo uaniloqui & mentium deceptores,*

non minus quã hypocritæ Iudæi: imò nõ paulo plus. Quia isti suis commenticijs fabulis, & inanibus doctrinis, tantum arrogant, quantum olim per ignorantiam Iudæi legibus Dei. Et hoc pacto simplicibus & ignorantibus ueritatem imponunt, & in eas impietates intrudunt illos, ut se his pharisaicis credant iustificari coram Deo, & placare illum sibi. Væ uobis pestibus Christiani orbis. An non hoc est erroribus impietatis imbuere mentes hominum, fallere & à uero auertere? Quibus idcirco necesse est os obturare, & audaciæ eorum modum ponere. Quos Paulus adhuc alterius criminis reos agit, quòd uidelicet, totas domus corrumpunt & alienant à pietate, turpis lucri gratia. Vt intelligas istos nec serio caussam suam agere, nisi propter auariciam, nec affici sua ipsorum doctrina, nisi quantum facit ad lucrum pecuniarum: Quò si non faciunt omnia papistarum, pro quibus dimicant contra gloriam Euangelij Iesu Christi, sint uana & ficta oĩa quæ in hoc cõmentario scribimus.

DIXIT QVIDAM EX ISTIS, PROPRIVS IPSORVM PROPHETA, CRETENSES SEMPER MENDACES, MALAE BESTIAE, VENTRES PIGRI. TESTIMONIVM HOC VERVM EST.

Versiculus est Epimenidis, quẽ hic citat Paulus: de quo lege annotationes Erasmi. Nam Cretensem fuisse,

fuisse, ex eo liquet, quòd dicit, Dixit quidam ex istis: Vocat autem proprium ipsorum prophetam, per ironiam, quod uanos & mendaces homines, recto & debito suo elogio notârit. Significans Cretenses & mendaces esse, & malas bestias, hoc est, ueneno impiarum doctrinarum noxias. Deniq;, quas exerceāt & tradant pigri uentres, auariciæ scilicet & quæstus caussa. Vt antea dixit. Quid putas Paulum fuisse dicturum, si pontificatum Romani Episcopi uidisset, & tot sectas Monachorum? Quid enim non agit Pontifex, & Monachi, turpis lucri gratia? De quorum ferijs & pigritia, lege quæ sunt, 2 Thess. 3.

QVAM OB CAVSSAM REDARGVITO ILLOS SEVERITER, VT SANI SINT IN FIDE. NON ATTENDENTES IVDAICIS FABVLIS, ET PRAECEPTIS HOMINVM, AVERSANTIVM VERITATEM.

Vides quòd Paulus hoc loco quoq; requirit quàndam uehementiam & seueritatem in obiurgandis impijs doctoribus, mendaciorum Magistris. Quanquàm de hac nullum præceptum dari posit, sed sit eorum quos spiritus Dei gubernat, & amore Euangelij & Iesu Christi, incitat contra impios doctores. Ita ut legimus ipsum met Dominum Iesum, amore uerbi Dei, contra cæcam & deploratam impietatem pharisæorum & scribarum apud Iudæos commotum fuisse. Matth. 23. Hæc igitur uehementia

*& seueritas, quam hic Paulus requirit, non uacat omni ira, quam & Christum inuasisse, testatur illud Mar. 3. Et circumspexit eos cum iracundia, condolescens super impietate cordis eorum.*

*Proinde hæc est iusta & pia ira: quam scripturæ uocant zelum Dei, cum sit iracundia, amore Dei & pietatis excitata, Qualis item inuasit Christũ, quando negotiatores è templo Dei expulit. Vt tunc illud propheticum impleretur: zelus domus tuæ comedit me. Sicut scribitur, Ioan. 2. Non irascitur zelus ille hominibus, sed uitijs hominum. Et idẽ necesse est sit uehemens & acer, aut non est uerus zelus, ardor et æmulatio pro pietate & gloria Dei. Quo ergo uehementior & concitatior, hoc melior est, modo sit zelus secundum scientiam. Hoc est, in quo non sit error: & propter gloriam Dei uindicandã inflammetur.*

*Itaq; quod supra prohibuit, uetans ne sit iracundus Episcopus, & ne sit percussor, nihil cum hoc loco pugnat. Eos enim reprehendit solum qui priuatis cupiditatibus indulgent, et linguæ procacitate alios insectantur. Nihil amore uerbi Dei agentes, neq; ut meliores alios efficiant. Non odio uiciorum, sed ex priuato inuidentiæ morbo in alios sæuientes. Quorũ non paucos audiuimus, Ecclesiæ doctores, qui ob id repelli ad officio Ecclesiastico debuerunt. Iubet igitur Paulus, ut quos corripimus, eorum emendationẽ*

quæramus,

quæramus; ut sint inquit sani in fide. Ne uidelicet superstitioni & impietati addicti, Deum corruptis opinionibus & pugnantibus cum fide colant.

Cæterũ Iudaicas fabulas adpellat, præcepta Mosaica de ciborum delectu, & similibus, quæ isti impostores contendebant necessaria esse obseruatu, ita ut affirmarẽt sine eis neminem seruari posse. Proinde, ut hoc tempore, de doctrinis mandatorum hominum affirmant. Porro præcepta hominum intelligit nimirum Iudaicas alias traditiones, quarum multas habuerunt. Vt est traditio de lotione manuum, & similibus, de quibus uide, quæ sunt Mar. 7. cum quibus conferre oportet doctrinas mandatorum hominum, quibus nunc Ecclesias onerant, & puritatem fidei opprimunt. De uanitate autem utrorũq;, legenda sunt, quæ habentur, Matth. 15.

Hoc uero insigniter notandum est, quod Paulus hoc loco dicit, de præceptis hominũ, quòd uidelicet ueritatem auersentur. Nimirum, non ideo solũ, quòd prædicationi Euangelij de Christo non consentiunt, sed pugnant, sed etiam, quòd de rebus diuinis & salutem animæ attinentibus, nihil certi, firmi aut ueri tradere queant. Hoc tamen peßimum est, in istis traditionibus, quòd non urgentur ut res mediæ, seu liberæ, sed ut necessariæ ad salutem, & quibus mors aboleatur, cum solius Decalogi leges sint necessariæ ob

seruatu, & nihil hominem saluet à peccato & morte præterquam mors Domini nostri Iesu Christi. Et nos stulti dementamur tamen, à mentium deceptoribus istis, ut credamus, quòd nisi per obseruationē omniū papisticarum traditionum saluari nequeamus. Sed iste error, in pœnam peccati nostri debitus fuit.

OMNIA QVIDEM PVRA PVRIS: POLLVTIS AVTEM ET INFIDELIBVS NIHIL EST PVRVM. SED POLLVTA EST ILLORVM ET MENS ET CONSCIENTIA.

Puros intelligit, omnes eos, qui in Christū Iesum credunt, ut quos ipse sanguine suo lauit. Et quibus præterea, ut mundis, rerum omnium usum liberū fecit, saltem qui cum honestate, fide in Deū & proximi dilectione non pugnat. Talibus igitur dicit omnia pura esse, id est, rerum omnium usum, esse liberū & licitum. Quia nihil uolunt, quod uoluntati Dei, legi, aut publicæ honestati sit contrarium. Respicit autem ad eas præceptiones, quibus confisi per superstitionem, aut iudæi aut papistæ, de rebus usu medijs, liberis ac licitis, tanquā de immundis & usu illicitis, dicunt, ne tetigeris, ne gustaueris, &c, Col. 2. cum omnis creatura Dei sit bona, & nihil prorsus reijciendum, quod cum gratiarum actione percipiatur. Vt paulo supra quoq; docui. Rursus pollutos dicit, quos Christus nō purificârit, neq; lauârit à peccato: nempe,

nēpe, infideles & incredulos promißionibus gratiæ & Christo seruatori. Nec potest de alijs, quā de infidelibus istis loqui, qui non recipiunt, se per solam in Iesum Christum fidem iustificari, & contendūt, quòd opera & facta sua iustificent. Quales per superstitionē fingunt necessario sibi multa non licere, & in rebus per se nullius momenti summā pietatis constituunt. Quibus etiā nihil potest purū siue mundum esse, quia usu omniū creaturarū per infidelitatē peccant. Non tantū cum faciunt, quod deprecatur conscientia, uerum etiā, quòd peccatum in eo dicūt esse, in quo est natura nullum. Velut in cibis, iuxta illud Christi: Mar. 7. Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod poßit eum coinquinare. &c. Quare nihil purum, nihil licitum, nihil non dānabile est istis, qui beneficiū gratiæ Dei, sibi exhibitū in Christo Iesu, nō agnoscunt. Siquidē Domini est terra & plenitudo eius, cuius gloriæ isti impuri derogāt. His enim qui Euāgelio credunt, oīa purificauit, quod negant.

DEVM PROFITENTVR SE SCIRE, FACTIS AVTEM NEGANT, CVM SINT ABOMINABILES, ET DICTO NON AVDIENTES ET AD OMNE OPVS BONVM REPROBI.

Iactāt quidē, inquit, se noticia fidei præditos esse, cū nihil minus sit in eis. Id uero ex eo deprehēdi posse declarat, q̃ uidelicet in ipsis factis suis ostēdunt,

se nullo timore Dei, nulla fide, aut dilectione in Deũ præditos esse. Nam hypocritæ isti, in minutijs sunt curiosi, ac uolunt apud homines uideri, quod Deum religiose colant. Sicut Matth. 6. & 23. ipsis exprobratur. In præcipuis autem factis, præceptæ pietatis, penitus frigent ac cessant. Sicut illi, de quibus Christus Matth. 23. Væ uobis, qui decimatis mentã, &c. & reliquistis quæ grauiora sunt legis, &c.

Sic reperias hoc tempore, qui sine omni timore, & fide in Deum, sine pœnitentia & proximi dilectione uiuunt, cum interim leuibus quibusdam ceremonijs, papisticarum traditionum, occupentur, & in illorum obseruationibus summam pietatis constituant Itaq; multi pro papisticis traditionibus digladiantur, pro gloria Euangelij nõ æque, imò nihil penitus sunt solliciti. Atqui adeo Euãgelium persequũtur, ut illius odio etiã sanguinem innoxiũ effundant. Isti enim hypocritæ & pestes rerum Christianarum uolunt mensuram patrum suorum explere.

Isti ergo, ut inquit, sunt Deo abominabiles, cuius manifesta ratio ea, quã dixi. Necesse est enim, ut Deo sint uehementer execrabiles, in quibus adeo nullus est timor Dei, nulla fides & nulla dilectio in Deum, nulla dilectio proximi. Quod uero addit, dicto istos non obedire significat incorrigibiles, siue inemendabiles esse, induratos scilicet, quibus nulla ratiõe cõsuli poßit. Per incredulitatẽ enim, & duriciã cordis sui,

ſui, nullum ſanum conſilium audiunt. In ſumma, ita deplorati ſunt, ut fuerunt, quos redarguit Stephanus. Act. 7. Ad omne opus bonum reprobi, quia ſunt uacui fide & timore Dei, quapropter & ſpiritu dilectionis præditi eſſe non poſſunt, ſed odij, liuoris, inuidentiæ, & quarumlibet inſaniarum.

Cæterum hoc loco notabimus obiter, in omnibus non eſſe fidem, qui illam iactant, ſicut etiam docemur Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine &c. Rurſus, nec haberi fidē poſſe ſine iuſticia operum bonorum, in illis ſaltem, quibus occaſio & tempus bene operandi relictum fuit. Fides enim res efficax eſt uera dilectione & uero timore in Deum, adeoq; uera in proximū dilectione. Hanc uero ſtultā et phariſaicam opinionem, qua cor Deum non intelligit, hoc eſt, neq; timet, neq; cōfidit ei, & proximum non diligit. Paulus 1. Timoth. ultimo adpellat falſi nominis ſciētiam, iactatam uidelicet ab hypocritis pro uera Dei cognitione, quemadmodum ab iſtis, q Chriſto dixerunt: Nunquid & nos cæci ſumus? Ioan: 9. Et de talibus Paulus rurſus affirmat, q ſit in eis fides ficta, & q non intelligant, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. 1. Timoth. 1.

## IN SECVNDVM CAPVT.

VT in primo capite Paulus de forma epiſcoporum. & priuato ipſorum officio egit, ex

ponens, qua uitæ integritate & sanctimonia lucere illos præ alijs conueniat in Ecclesia, ad hæc quid in prædicatione & doctrina præstare eos oporteat & sequi, ita in hoc secundo capite de aliarum personarum officijs agit, sed Titũ admonens, simulq́; omnes Ecclesiæ doctores, qua morum, uitæ & bonorum operum doctrina illas instituere debeant, & hortari, ut gloriam Domini nostri Iesu Christi semper in omnibus ornent. Itaque de singularũ personarum officijs scribit, & præcepta de externa morum & operum nostrorum iusticia tradit. Cuius oportet certe esse aliquam necessitatem, etiamsi per illam iusticiam nemo liberetur et saluus fiat neq; à peccato, neque morte. Vt autem melius de illius necessitate loquar, dicam hoc loco de tota pœnitentia, cuius pars est illa operum & obedientiæ externæ iusticia. De qua præterea conuenit & necesse est concionatores posse apte & clare alios docere.

De pœnitentia.

Dixi suprà (ꝑ occasionẽ quæstionis de remißione peccati, quæ fit ꝑ baptismũ) de pharisaica pœnitẽtiæ doctrina, quæ nunc spargitur in Ecclesiis papistarũ. Nã scholastici Theologi, cũ neq; verã cõtritionẽ, nec piã delictorũ cõfeßionẽ doceãt, tamẽ remißionẽ peccatorum obtineri fingunt per contritionem & confeßionem, quæ nisi per fidem in Christum accipi nõ potest,

test, & ut sæpe dixi, est mere gratuitum donum Dei, & propter solũ Christum datur. Quapropter uanitatibus papisticæ doctrinæ omißis, scribam hoc loco seorsim de Christianæ pœnitentiæ ratione, quam docendi gratia separabo à doctrina fidei seu remißionis peccati, quæ fide per Christum obtinetur. Alioqui satis constat, nullam esse piam uel utilem pœnitentiam, uel acceptam Deo, quæ fide in Christum seruatorem careat. Necesse est enim aut hypocrisim esse, quæ hac fide destituitur, & simulationẽ pœnitentiæ, qualis à papistis docetur, aut desperationem, cuius quoque autôres fiunt papistæ, in illis, qui peccata sua uere cognoscũt, & ad fidem remißionis peccati, quæ obtinetur per Christum, nõ perueniũt. Hanc fidẽ. n. papistæ prorsus non docent, sed quæ pugnant cũ ea.

Faciam itaque pœnitentiæ duas præcipuas partes. Alteram & priorem, ipsam contritionem, quæ est uidelicet interna pœnitentia. Cuius effectus quidam est, uera & non simulata confeßio delictorum. Ac semper necessaria est utraque harum in iustificandis & saluandis coram Deo. Neque enim contritione uera non opus est aliquando homini Christiano, aut cõfeßione recta delictorum. Nam etiamsi fide iusti simus, qui credidimus in Christum Iesum, non tamen idcirco sine omni peccato sumus, q͞a plurima peccata in carne habemus, & nunquam ita pfecti sumus, Contritio.

ut illius imperio in totum resistere poßimus, ne uicti succumbamus aliquando. Quis est enim perfectus in timore Dei, in dilectione Dei & proximi, in frenanda concupiscentia carnis? Horribile est considerare, & ineffabile, quæ uis sit & quanta tyrannis peccati in carnali natura, quod etiã paucißimi intelligunt aut serio discunt. Damnatio tamen nulla est his, qui per fidem sunt in Christo Iesu. Peccata enim quæ habent, non imputantur illis propter fidem in Christũ. Sed tamen belligerantur necessario cum terroribus peccati, qui sunt in contritione, & cum tota carnali natura, ne aut desperatione absorbeantur, aut à carnis concupiscentijs superentur, ut eis seruiant. Itaq; & confeßione peccati & delictorum quotidiana opus habent, quã faciant coram Deo, & inuocatione per fidem nõis Christi pro remißione peccatorum.

Externa nouitas.

Rursus alteram pœnitentiæ partem constituam illam nouitatem uitæ nostræ, quæ est sita in obediẽtia illa operum & factorum nostrorum, quã præstamus fide iustificati, seu pacificata conscientia per fidem erga mandata Dei. Nam ut contritio fidem remißionis peccati præcedere debet, (quia Deus neminem non contritum sanat uel cõsolatur per Euangelij promißiõem.) Ita hæc externa nouitas sequi eãdem fidẽ debet. Complectitur ergo bonorũ operũ studium, ac habet exercitia externa pietatis, quæ præstari à iu-

stificatis

ſtificatis debent in gloriam gratiæ Dei, quam propheta Ezechiel in hunc modum prædicat, Conuertimini, & agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus ueſtris &c. capite 18. Cnnuertimini, conuertimini à uijs ueſtris peßimis &c. capite 33. Et Ionas capite 3. Conuertatur uir à uia ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus ſuis.

Et Chriſtus ipſe diſcernit hoc modo inter doctrinam remißionis peccati & pœnitētiæ, operis ſeu obedientiæ noſtræ Luc. ultimo, Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes Gentes. Prædicatio autem remißionis peccati, eſt fidei doctrina, à qua ſi diuerſa eſt pœnitētiæ prædicatio, neceſſe eſt eā intelligere, q̃ eſt nouitatis noſtræ, & fidem ſequitur. Contricio enim præcedere fidem debet, quæ etiam eſt neceſſario ſemper cō iuncta cum fide. Fides autem fructificat hac externa bonorum operum nouitate. Et Paulus in hoc epiſto-ſtolæ ad Titum ſecundo capite inquit: Adparuit enim gratia Dei & ſeruatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et mundana deſideria, modeſte, iuſte & pie uiuamus. Hæc ille ſcilicet, requirit ab his, qui fide per Chriſtum ſunt iuſtificati.

Ex quibus ſane omnibus liquet, ꝙ ipſi prophetæ

Christus et apostoli hãc factorũ nostrorum pœniten tiam, seu nouitatem illam, quæ est nostræ obedientiæ erga mandata Dei, requirunt, ac necessariam faciũt. Etsi hanc externam nouitatem non solum intelligere oportet, ubi de illa necesßitate agitur, nam uera cõtri tio, quæ est interna mutatio & nouitas peccatoris, non minus necessaria est, quàm illa externa, quia uerax contritio, ut dictum est, fidem remisßionis peccati necessario semper præcedit. Ego uero in hoc scri pto nolui separare contritionem à fide, cum nec fides sine contritione haberi, nec contritio sine fide utilis esse posßit. Et tamen institui, seorsim facere quandam considerationem necessariæ & utilis contritionis, quam facio priorem pœnitentiæ partem, quemadmodum alteram & posteriorem, externam illam bonorum operum nouitatem.

Proinde semper quidem intelligi debet cõiuncta esse contritio cum uera & iustificante fide, sed ita tamen, ne meritum remisßionis peccati in contritionem transferamus, quia fides hanc gloriam transfert in gratiam Dei, & in merita Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Rursus statuendum est, & à iustificatis requiri obedientiam erga mandata Dei, seu bona opera, quæ necessario præstent, sed sine opinionibus pharisaicis, merendi peccati remisßionẽ aut uitã æternam. Nam & Ioannes Baptista, ubi dicit, Facite ergo

go fructus dignos pœnitētiæ, significat se eam pœni tentiam prædicare, quæ per iusticiā bonorū operum multipliciter & pie fructificet. Ideo requirit, ut qui conuersi sunt uera pœnitentia ad Deum, id declarēt studio renouationis suæ uitæ, & emendationis in melius, per obedientiam bonorum operum, quæ sunt à Deo præcepta. Et illo studio testētur se uere resipuisse, nec inanem esse fidem ipsorum in Deum. Non docet mereri remißionem peccati per opera pœnitentiæ, quod esset scilicet abolere fidem, quam alijs locis prædicat. Et ab hac opinionis impietate imprimis abesse Christiani debemus.

In hunc igitur modum doceri de pœnitentia Ecclesiæ possunt, crasse quidem, sed utiliter, meo iudicio. Proinde contritio omnium primo requiritur in pœnitente. Ea est autē, terror & cruciatus in mente, tum dolor seu tristicia de impie & scelerate admißis. Huius aūt terrores eximere nobis debet, ac mitigare dolores, fides promißionum Euangelij, ne tandē fiat ex contritione desperatio, quæ pœnā æternæ cōdemnatiōis accersat, sicut accidit in Iuda, q pdidit Christum, & in similibus alijs necesse est fieri, qui promissionum Euangelij fidem nullam habuerunt. Porrò fidem externa obedientia & nouitas sequi debet, tanquam fructus internæ pietatis, ab extra glorificans Deum, & gratiæ doctrinam in omnibus ornans. Contritio.

De contritionis necessitate habes illud Prophetæ psal. 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Non cōtritos ergo non sanat, ut nec alligare, nisi contritiones & uulnera potest. Qui sanaret enim superbos scilicet hypocritas, qui suum malum non uident, non sentiunt, & Deum non timēt, nec male esse sibi credunt, etiamsi qs doceat? Ac multo firmior est hæc negatiua, qua asserimus, q̃ Deus neminem non contritum sanet, quàm illa affirmatiua, qua consolantissime dicitur, q̃ sanet contritos corde. Quod in fide gratiæ intelligens Propheta psal. 50. Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Vt ergo necessarium sit conteri, & beatum si fides gratiæ accedat, tamen Deus neminem contritum necessario sanat, seu merito contritionis, sed quia contritis & humiliatis per meram gratiæ & misericordiæ bonitatem adest, & per consolationes Euangelij de Christo redemptore nostri sanat. Ac fieri potest, multi q̃ uere contriti sint, prorsus non sanentur, sicut in Cain & Iuda ueræ cōtritiones fuerunt, qui relicti sunt tamen sine consolatione, & perierunt. Quæ eo facta sunt & scripta, ut Deum timere discamus, & gratiam eius implorare. Istorum enim contritiones, cum permanerent sine gratiæ fide, mutatæ sunt tandem in desperationes. Sed sanari, qui non sit contri-

tus,

tus, est impoßibile, sicut testatur illud quoq; Esa. ult. Ad quem respiciam autem, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

Nisi ergo contriti in corde timeamus Deum, ac doleat nobis q, offenderimus eum tot transgreßionibus legis, quot sunt in nobis, non est, cur consolationes à Deo speremus, aut donationem æternæ salutis nobis promittamus. Consolatio autem & salus, siue sanata contritio nulli unquam cõtigit, nec cõtinget aliquando, nisi per promißionum Euangelij fidem. Per consolationes. n. Euangelij adfertur nobis peccati remißio, & quidem gratuita per Christum, ut qui gratuitam esse illam aut nesciunt aut nõ credunt, nunquam poßint ad ueras consolationes puenire, aut accipere peccati remißionem. Nihil. n. nisi incertis, inanibus & pharisaicis opinionibus fluctuant, ac sese decipiunt, aut fraudant tota salute, tam remißionis peccati, quàm æternæ uitæ. Non. n. est pax impijs, aut ulla salus. Sed contrà de beatitudine piorum dicitur Rom. quinto: Iustificati fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratiã istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Ac potest ex his quoq; intelligi, quàm sit necessaria promißionum gratiæ fides, in contrito, ne uidelicet terroribus peccati absorbeatur & pereat. Requi

Externa nouitas.

ritur aũt & necessaria est et externa nouitas in pœnitente, sicut docui, ut q̃ passim à pphetis oĩbus, Christo & aplĩs prædicatur. Quapropter necessaria est, qa necessario obediunt Deo, quicunq; in gloriã gratiæ eius sunt uocati. Redempti à Christo, non iam sui iuris, ut concupiscentijs carnis uiuãt, sed Deo in gloriam propter Christũ. Lege Rom. 6. de illa nouitate & eius necessitate. Item Rom. 8 &c.

Certum est igitur condemnari impœnitentes & rebelles, qui qduis libitum est ipsis faciunt, quantumuis Deus prohibeat. Siue qui facere recusant, seu operari bona opera, quanquam Deus præcipiat. In istis enim contemptus Dei regnat, & pleno imperio Diabolus, sicut dicitur 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Quos præterea, ut sine timore Dei agũt, ita necesse est uacuos esse fide gratiæ dei. Quare desiderijs peccati uiuentes, non possunt saluari, q̃ diu se non corrigant. Rom. 8. Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Nec ideo sequitur, ꝙ per opera & facta sua quisquã saluetur, qa operis nostri obediẽtia est impfecta. Et nemo exactiõibus legis satisfacit, ac ne potest qdem quisquam. Deniq; opera nostra non placent Deo, nisi quatenus ex fide in Christum præstantur: Nec alia

sunt

sunt quæ præmium accipiant coram Deo in cœlis. Iusticia autem & salus nulli unquam contingit, nisi per solam in Iesum Christū fidem. Ioan.1.3.6.10.14. Rom.tertio & quarto, Galat.tertio &c.

Tot ergo partibus consistit, consumatur ac perficitur Christiana pœnitentia. Cōtinet internam atq; externam renouationem. Et interna illa contritionis bona est, si coniuncta fuerit tandē cū remißionis peccati fide. Externa item bonorum operū placet deo, si ex fide fluat. Sine fide.n.impoßibile est placere deo. Execratur enim Deus superbam illam arrogantiam, quæ est eorum, qui per facta sua quærunt iusticiam, & mercedem eius, æternam uitam, cum legi nullo pacto satis facere poßint, siue ueri iusti esse. Rom.9.10. In illis tamen, qui credunt, placet Deo, quatenus ex fide promißionū Euangelij operantur. Per Christum enim ignoscitur talibus, si quid imperfectionis adhuc habent, tum propter Christum sunt oblationes et cultus illa opera, quæ per fidē nominis eius præstantur: 1.Pet.2. Est autem inchoatio operum iusticiæ illa nouitas & studium bene operandi, in quo elaborādum est omnibus, ut proficiāt, & illam operum iusticiam subinde melius præstent in gloriam gratiæ Dei patris nostri & seruatoris Iesu Christi.

Cæterum tota pœnitentiæ ratio, quoniam res est spiritualis, impleri seu perfici ac præstari à carne

Nouitas Christiana est res

spiritualis, cuius est operator & effector in nobis ipse spiritus sanctus.

non potest. Ideo docendi sunt homines, ut orent pro ea. Nam uirtutum Christianarum oim penitus ignari sunt, qui praesumunt illas se implere, perficere aut praestare sua industria, suis uiribus aut suo libero arbitrio, ut uocant, posse. Siquidē spiritus sanctus in cordibus nostris retegit peccatum, & perterrefacit ac confundit conscientias, atq; idem solus incitat nos, ut confidamus promißis Christi. Deniq;, & externam bonorum operum nouitatem solus in nobis creat, de quo copiosius scribemus infrà in capitis tertij enarratione. Interim illo testimonio ad Eph. secundo contenti, Ipsius enim sumus factura, creati per Christū Iesum ad opera bona, quae praeparauit Deus, ut in illis ambulemus. Parit igitur spiritus sanctus in cordibus nostris timorem Dei, & fidem. Item, proximi dilectionem, castitatem, modestiam, pacientiam, pacē, & reliquas omnes Christianas uirtutes, quales recensentur ad Galat. quinto, Rom. duodecimo, Col: tertio &c. Atque ita fore per gratiam Christi, promiserat olim Deus, nempe, ut lex scriberetur, non in tabulis saxeis, sed in cordibus sanctorū digito Dei.

De poenitētia lapsorum.

Sed hic tandem dicamus quoq; de poenitentia eorum, qui post primam reconciliationem lapsi fuerūt: Igitur de lapsis poenitentiam agentibus firmiter statuendum & tenendum est, posse scilicet resurgere lapsos, reuerti in gratiam, & reconciliari Deo, ac con-

sequi

ſequi peccati remiſsionem & uitam æternam, contra Nouati & omnium Nouatianorũ errorem, ueterum & nouorum. Lapſos enim dico hoc loco eos, qui poſt primam reconciliationem & receptionem ſui in gratiam, retro abierũt, præoccupati ſcilicet à peccato, et uicti à diabolo. Quibus negauerũt Nouatiani peccati remiſsionem ultrà concedi poſſe, abuſi aliquot ſententijs ſcripturæ.

Quanquam autem ſcholaſtici Theologi non uideantur in ea opinionis hæreſi & impietate eſſe, tamen docent eam. Similiter omnes papiſtæ, qui iubent tamen, ut omnia ſua pro articulis fidei adoremus, q̃ a lapſis poſt primam reconciliationem, quæ fit baptiſmo, non concedunt reuerſionem in gratiam, id eſt, q̃ reuerti ac redire poſsint, niſi per ſuas ipſorum operum iuſticias, contritionis uidelicet & confeſsionis, atque adeo ſatis factionis pro peccato, ut ſuprà quoque declaratum eſt. Sed hoc plane nõ eſt, quàm negare reuerti in gratiam poſſe. Negant enim remiſsionẽ peccati concedi poſſe, niſi per priuatas operum iuſticias. Quia igitur peccati remiſsionem, q̃ cõtingat lapſis, negant gratuitam eſſe, & cõſtituunt alia media, per quæ obtineatur peccati remiſsio, q̃ fidem in ſeruatorem Chriſtum, certum eſt, q̃ abolent doctrinam de remiſsione peccati nõ minus ſcelerate, q̃ Nouatiani, cum nulli fiat unquam ulla peccati remiſsio, niſi q̃ gra

tis datur propter Christum, solis qui credunt hoc nomine in ipsum. Nec uero credunt Euangelio, qui peccati remißionem, qnandocunque detur, gratuitam esse nō credunt, aut per solum Christum dari. Quod hactenus à me frequenter expositum est.

Ad consolationem reuertor pro ijs lapsis, qui cognito errore, et deplorata impietate sua, iterum resurgunt, et pœnitentiam denuo ac firmius agūt. Nec uero sunt rari, casus uidelicet & ruinæ iustorum in peccatum, sicut testātur quotidiana omnium nostrûm exempla. Quanquam hypocritæ negent se quotidie errare ac labi, suimet ignorantes, & peccati, quod habent in carnali natura. Sed resurgētes recipi & adprobari Deo, primo illud testatur, q; talibus prædicant pœnitentiam & reuersionem ad Deum omnnes prophetæ. Deinde illud, quod est prouerb. 24. Iustus cadit septies, & resurgit, hoc est, sæpe cadens, & uictus à peccato præter opinionem & spem, nō tamen desperat de gratia, sed fiducia promissæ remißionis peccati reuertitur in gratiam.

Iam etiam Christus consolatur tales prolixa contione, qui uidelicet cum lapsi fuerint, fraterna correptione admoniti, patiūtur se reuocari, restitui, deoq; reconciliari. Matth. 18. & Paulus quid aliud agit cū Ecclesiis enormiter lapsis denuo recōciliās eas Deo, sicut fecit cum Ecclesiis Galatarum & Corinthiorū,

nisi

nisi q, certum facit remißionẽ peccati semper durare in Ecclesia, & ne dubitemus de peccati remißione, si surgentes reuertamur? Et ad quid facit illud dominicæ prædicationis, quod dicimus quotidie. Remitte nobis debita nostra, si non est reliqua spes remißionis peccati, quanquam lapsis? Quin etiam oratio dominica tota arguit nos deficere, & semper indigere peccati remißione, quantumuis iustos. Cur enim oramus, Sanctificetur nomẽ tuum? &c. nisi q, honori diuini nõis, & alijs debitis ac pijs officijs nemo satisfacit, ac ne potest quidem sine peccati remißione & auxilio gratiæ spiritus sancti? Deniq; Eucharistiæ sacramentũ nõ est, nisi cõfirmatio eius, q, remißio peccati semp duret p eũdẽ Christũ et fidẽ nõis eius in Ecclesia. Quanquam arduum est, territam peccato cõscientiã posse quietã efficere & pacare cõsolatione remißionis peccati. Dici.n. uix potest, q̃ sit potens tẽtatio peccati, & terrores in cõsciẽtia p inspectionẽ peccati ad abijciẽdũ miseros in desperationẽ. Igitur prodest horũ, q̃ dixi, meminisse, atq; uti talibus cõsolationibus scripturæ à Deo propositis, cũ quibus non inutiliter coniungi possunt plures aliæ promißiones gratiæ ex toto Euangelio, ut quum opus fuerit, in prõptu habeantur, & quoties terremur, eis utamur. Velut illa: Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, Hoc enim dictum est

de contrito seu contribulato corde, ac suspirante ad gratiam, nõ desperãte de peccati remißione. Sed con solantißimũ est, q scripturæ proponunt nobis eundẽ & perpetuum mediatorem Dei filium Dominum & seruatorem nostrum Iesum Christũ, & per hunc pec cati remißionẽ, ut 1. Ioan. 2. Hæc scribo uobis, ne pec cetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christũ iustum, & ipse est pro- piciatio pro peccatis nostris. Quin etiam iuramẽto astruit Dominus se recipere lapsos, quoties reuer- tuntur. Ezech. 33. Quanquam enim errare, labi, pec care & transgredi semper malum est & improbum, tamẽ resurgere, redire ac reuerti à peccato ad Deũ, semper bonum est. Ac placet Deo in illis, qui ex fide gratiæ eius resurgunt et reuertuntur, gratias agẽtes pro gratia, ut prius ueteris uitæ institutum renouẽt.

Nec intelligunt, qd sit pœnitentiã agere, q lapsos de nuo resurgentes arcẽt à fiducia promißionũ gratiæ, neq; sane possunt, nisi inanem hypocriseos fiduciã do cere. Ferè enim omnibus momentis labimur, & rei efficimur transgreßionis, nempe per tentationes car nales in corde. Sed istos lapsus hypocritæ contẽnũt, et pro nihilo ducunt, rursus contẽnẽdi ut hoïes uani, q nimiũ remouent à Deo, iudicijs illius relinquendi. Quoties igitur sollicitat nos ira, ambitio, auaricia, amor et curæ huius seculi, et his similes aliæ innume

ræ

ræ cupiditates? Quas si quidā non habent pro peccatis, tamen nos à Christo Iesu edocti, scimus grauissima uicia & damnabilia peccata esse, lege Matth. 5. Hæc ergo qui habent sine timore dei, aut sine fiducia in Christum Iesum, qua credant, quòd gratis sibi remittantur propter Christum, isti nequeunt saluari. Taceo externas transgreßiōes, quarum quis est, qui non fiat aliquando reus? In quo si audiendi essent, qui negant lapsos reuerti posse, aut recipi hos à Deo, quis ex omnibus posset saluus fieri? Aut, quæ esset gloria gratiæ, uel seruatoris Iesu Christi? Dic enim & demonstra unum hominem, qui non aliquando labatur in externa uicia & peccata, nisi infantes, nuper natos excipias? Quapropter firmum est, ipsos quoq; lapsos, uere reuersos ad Deum, semper recipi, Deoq; adprobari.

Hæc uolui præmittere, ut uiam præpararent atq; præmunirent, ad ea de quibus dicendum est, in secundi Capitis expositione, scilicet, de necesßitate huius externæ iusticiæ, quam nos præstamus, per mandatorum Dei obseruationem. Multa enim Paulus de bonis operibus, & illa uitæ exteriore nouitate, in hac tota ad Titum epistola, scribit, quæ sciamus ita placere, ac probari Deo, & esse uirtutes Christianas, si ab illis præstentur, qui in Christum Iesum credunt, hoc est, neq; opinione merendi, neq; fiducia inno-

centiæ in proprias uirtutes posita, sed posita omni spe iusticiæ & salutis in solam gratiam Dei & Christum Iesum. Nam de formanda uita iustificatorũ, his moribus et operibus bonis, de quibus præcipit Tito, ut urgeat in prædicatione & doctrina, & exigat à fidelibus Iesu Christi, agit. Nihil Paulo cum incredulis istis hypocritis, qui per legẽ iustificari quærunt, siue mereri per sua facta, peccati remißionem, aut æternam uitã. Quorũ scilicet iusticiæ, penè peiores sunt, quã Iudaicæ & impiæ, quia fiunt ab his qui in ordinem ac numerum Christianorum reponi uolunt, cum fidei in Christum penitus sint rebelles. Et nunc maiore scãdalo peccent, quam uel Iudæi, uel Turcæ. In illis itaq;, qui credunt Euangelio affirmamus Deo placere illas operum iusticias, de quibus Christus, Euangelistæ & Apostoli præcipiunt, & esse cultus. nempe, sacrificia confeßionis, laudis, gratitudinis, & gratiarum actionis. De quibus in singulis suis locis, post hæc plura.

TV VERO LOQVERE, QVAE DECENT SANAM DOCTRINAM.

Dixi de tota pœnitẽtia & fontibus, ex quibus de neceßitate ac bonitate operũ in iustificatis potest iudicari. Hic in ipso ingreßu exponendi textus secũdi Capitis, offert se nobis alia quæstio, de eo, quænam

sint

sint opera illa, de quibus cōueniat ac necesse sit Episcopum præcipere in Ecclesia, hoc est, an sint cultus, & opera digna, quæ præstent Deo in gloriā, homines iustificati, etiam hæc de quibus homines præcipiunt, an uero, ea tantum, quæ à Deo, per Christum & Apostolos sunt præcepta. Sanè non indigna est hæc quæstio, quæ diligenter explicetur, præsertim hoc tempore, in quo tot pharisaicis hominum traditionibus tota Ecclesia oneratur. Constat igitur abūde satis ex scripto Pauli, uel in hac ad Titū Epistola, quod nolit prædicari in Ecclesia, boni operis nomine, nisi quicquid mandatum est à Deo, & in Decalogi præceptis continetur. Nam in fine primi Capitis, redarguit quosdam superstitiosos cultus, iudaicas fabulas, & præcepta hominū, auersantium, ut inquit, ueritatem, eorum scilicet qui fingunt, hoc mūdum, & illud immundum esse, iudaice & peruerse. Quibus cū hic opponat præcepta de moribus, quæ continentur sub Decalogi mandatis, firmum est, quòd alia nolit doceri, nec alia Deum exigere à nobis, nec per aliā doctrinam saluatoris nostri Iesu Christi ornari.

Nam in illorum mandatorum Dei obseruationibus sunt cultus spirituales & diuini, boni, & honori Deo existētes, quod omnibus alijs cultibus oportet simpliciter derogare. Proinde obseruationē mandatorum hominum Paulus damnat, cum præsertim

*finguntur esse cultus, & qui necessario præstentur. Quod similiter dictum esse intelligere oportet, de omnibus Iudaicis cultibus, omnium præceptorum Mosi, exceptis Decalogi mandatis, & alijs quæ sub his continẽtur. Neq; enim sunt amplius necessarij post glorificatũ Christum, sed medij ac liberi. Quatenus tamen præstantur, ne quid derogent fidei in Christum: lege. Gal. 2.*

*Sed cultus mandatorum hominum, prorsus sunt impij, uani, inutiles, Pharisaici, pernitiosi & damnabiles cultus, ac prorsus indigni, qui à Christianis præstentur. Quanta uero obsecro, in his sic intellectis, ut oportet intelligere & sentire, ruina est & proculcatio omnium abominationũ totius papatus, regni scilicet pharisaici et Antichristiani? Quod nõ nosse tantum, uerum etiam prædicare Episcopum & Ecclesiæ doctorem necesse est. Quapropter & de doctrinis mandatorum hominum hic seorsim quædã scribam, ut futuri Ecclesiæ doctores firmius erudiantur, & nouerint perfectius quæ oporteat alios docere & à quibus auocare. In summa, ut Ecclesias rectius & sanius instituant.*

*De hominum Traditionibus:*

*Dominus apud Esaiam inquit, frustra colunt me, mandatis hominum. Esa. 29. Et repetiuit hanc sententiam Christus, Matth. 15. retorquens illam in eos*

*hypocritas,*

*hypocritas, qui doctrinas & præcepta hominum, contendebant necessarios cultus esse.* Quare impietas est, & summum scelus, summa iniquitas, coram Deo, traditionem ullam humanam instituere, aut seruare pro cultu Dei, seu opinione merendi gratiam et peccati remißionem, huiusmodi uanum cultum instituere & præstare. Multo autem grauior impietas est, quærere tali pharisaico cultu & obseruatione, ut iustificeris, quàm simpliciter opinione gratificandi Deo, siue colendi Deū, hunc cultum facere. Sic enim & gratiæ doctrina deformatur, præterquàm quòd Deus frustra & ridicule colitur. Et tamen ita colunt Deum in multis omnes papistæ, & quærunt per præcepta & doctrinas hominum iustificari, præsertim, hypocritæ Monachi. Cum nemo iustificari poßit, ne quidem per mandatorum dei obseruationem. Si enim per legem iusticia, ergo gratis mortuus est Christus.

Sed cultus mandatorum hominum per se sunt inutiles & uani, tãtum abest, ut iustificari quis per illos poßit, siue mereri peccati remißionem, gratiam & uitam æternam. Non potest enim eludi Christi sententia, quia satis aperte dicit, frustra se coli obseruationibus mandatorum hominum. Ac clarum est, omnibus legibus detrahi effectum iustificationis, qui quanto minus sequitur obseruationem traditionum humanarum, quàm legum diuinarum? Et tamē caute

& prudenter oportebit intelligere hanc ipsam sententiam de legibus, ipsarũ quoq; traditionũ humanarũ. Ne scilicet, quaslibet hominum doctrinas subito reijciamus, & damnemus ut impias. Sed eas tantum, de quibus pronunciant & credi iubent, quòd sint necessarij cultus, & meritorij, hoc est, quòd omissi, faciant reum mortalis peccati, & seruati iustificent, seu liberent à peccato & morte. Hoc autẽ affirmare, ut pharisaicum & impium est, ita cauendum est, ne cũ his diabolicis cultibus, quaslibet alias obseruationes, doctrinarum hominũ, sine iudicio reprobes ac damnes. Ne igitur hoc fiat per imprudentiam, oportebit discernere inter hominum traditiones, quarum hic docendi gratia duo genera ponam. Sunt enim quædam piæ & utiles traditiones, & quædam rursus, quæ sine peccato institui & seruari non possunt.

Genera traditionum duo.

Habentur ergo quædã traditiones, de ritibus, qui nõ modo citra peccatum seruari possunt, uerum etiã, sunt utiles & decori in Ecclesia. Vt sunt constitutiones de ferijs, cantilenis & ieiunijs, & similibus. De quibus rectum est sentire & pronunciare secundum Euangelium, quòd uidelicet non iustificent seruatæ, nec peccati reum faciant omissæ. Et quòd nihil prorsus necessariorum cultuum sit in illis, sed ut humana autoritate sunt introductæ, ita per eandem rursus

uiolari

uiolari poßint, ac tolli. Sed papistæ, ut dixi, tribuunt his cultibus quòd sint necessarij, & meritorij, quorum utrumq; uiciosum est. Dicunt enim, quòd sine peccato omitti non poßint, item, quòd seruati iustificent. Has pharisaicas opiniones reprobamus, & necessario detrahimus his cultibus hanc neceßitatem & hoc meritum. Cum propter honorem diuinarum legum: tum propter gloriam Christi. Solæ enim Dei leges uiolatæ & contemptæ, efficiunt reum hominem mortalis peccati, & solus Christus est, cuius merito & à peccato & morte iustificamur.

Hanc impietatem traditionum & Paulus reprobat, dicens scilicet Iudaicas fabulas, et præcepta hominum auersantium ueritatem. Item, ubi uocat doctrinas dæmoniorum & imposturas. Non enim constitui peccatum debet, in ulla re, in qua natura est nullum, nec iusticiæ meritum ulli rei tribui, cui non tribuit Deus. Quare ita sentiendum est, ad iusticiam coram Deo, siue ad impetrationem remißionis peccati, nihil prorsus facere, quàm solam in Iesum Christum fidem. Deinde, sola mandata Dei esse, quæ uiolata, transgressa & contempta, condemnent hominem æterna morte, in his qui non resipiscunt, & sine pœnitentia manent.

De obseruationibus autem traditionum humanarum quibusdam retulerit tantum ciuiliter sentire: ita ut pacis studio quædam obseruentur & publicæ trãquillitatis caussa. Iuxta hanc regulam à Christo traditam, si quis te adegerit ad unum miliare, abito cum illo duo. Hic etiamsi quæri posses de iniuria, tamen hæc ferenda est, ne uidelicet excitentur periculosi motus in republ. per insuetam nouitatem. Et sic tolerari posset traditio de ciborum delectu & prohibitis carnibus, quantumuis iniusta & uiolenta. In quibusdam etiam uidendum est, ne per intempestiuum libertatis usum proximum offendas, & conscientiã eius uulneres. Quomodo enim infirmiores oportet tolerare, & non opprimere, aut contemnere, disce ex scriptis Pauli, Rom. 14. 1 Cor. 8. 9. &c.

Sunt deniq; constitutiones hominum quædam, de quibus oportet aliter sentire, ut quorum obseruationes sunt utiles, nec carere Ecclesia eis sine damno posset. Quales sunt, cum feriæ constituuntur, ordinis caussa, ut populus sciat, quo tempore, quo loco, sub quibus ministrantium personis congregari ac conuenire poßit, Euangelium discere & sacramentis uti. Item, cum ordinantur certæ lectiones & cantilenæ in Ecclesia, quæ multum prosunt discentibus, si in ea lingua proponantur, quæ populo est cognita. De quibus & Paulus præcipit, 1 Cor. 14. Item Col. 3. inquit,

inquit, uerbum Christi habitet inter uos abundanter, in omni sapientia, docentes & commonentes uosip sos, psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, in gratia canentes, in cordibus uestris Domino. Ita sen tio de ieiunijs, si præcipiantur, ut populus sit sobri us, & sine tumultu intersit sacris, & ad discendum atq; orandũ magis sit idoneus. Sed his finibus negle ctis, papistæ de impijs solũ et pharisaicis præcipiũt.

Reliquum est genus traditionum prorsus impia rum, ut quo nunquam bene uti poßumus, nec potest sine peccato obseruari. In quo genere est fœdus iste cœlibatus, de quo præcipiunt pontifices Romani, & crudeliter atq; impie exigunt illum, ab omnibus Ecclesiæ ministris. Non ideo solum fœdam & impiã constitutionem, quòd non attendunt, quis seruare eã aut non seruare poßit: & promiscue omnibus hanc imponunt, etiam illis quibus impoßibile est cœlibes permanere, uerũ etiam, quòd ordinationem Dei uio lant, qui coniugiorum statum uult liberum esse, & in uniuscuiusq; arbitrio positum, num cœlebs per manere, aut uxorem ducere uelit. Atq; adeo contra constitutionem Apostoli Pauli, qui seorsim de coniu gio sacerdotum præcipit.

Genus tradi tionum pror sus impiarũ.

Et cur non impostores Romanistæ creant sibi no uum alium mundũ, & nouos alios homines in illo, in quos pro libidine sua, istis barbaricis & pharisaicis

*legibus sæuiant, ac tyrannizent? Quid enim nobis hominibus, à* Deo *conditis, & relictis in libertate animæ nostræ, num uelimus coniugati aut cœlibes esse, cum istis impostoribus, hypocritis & pharisæis, qui minus pertinent ad* Ecclesiam *Christi, quàm perfidi iudæi, aut prophanæ quælibet* Gentes, *quàm diu istas impias & execrabiles leges suas, contra* Deum *&* Ecclesiam *defendunt, & sine pœnitentia irreuocabiles esse iubent.* Proinde *nihil moremur istorum impias & iniquas exactiones, hi præsertim, quibus donum continentiæ non obtigit à* Deo. *Sed & quibus obtigit, non ideo cælibes permaneant, quia hoc præcipiant* Romanistæ, *aut ulli alij serui* Diaboli, *sed propter* Dei *donum fruantur sua fœlicitate, & glorificent* Deum *patrem.*

*Alij ducant uxores, uel in contemptum* Romanæ *constitutionis, sic fœdæ, impiæ & iniquæ, ut quæ uagas & damnatas à* Deo *libidines, tam auxit & auget.* Neq; *enim ulla traditio humana contra uerbum* Dei *ualere debet, ne dum, quæ sine peccato non potest seruari.* Nec *ualent his in rebus uota, quia non licet uouere, aut seruare promissa, quæ sine peccato præstare non potes.* Neq; *magis pia sunt hæc talia uota, quàm coniurationes seditiosorum.* Principes *quoq;, qui has impias* Papæ *leges defendunt, peccat grauissime, & rem se, maiestate & decore suo,*

longe

longe indignißimam faciunt. Eatenus enim, quatenus ministrant istis impostoribus, sunt mendacium spirituum satellites & lictores, qui debuerunt esse publicæ honestatis patroni & defensores. Sed de impia cœlibatus constitutione, supra abunde satis.

In hoc genere impiarum traditionum numerari debet & Missa, illa priuata, & ad quæuis adplicatilis, quam habent in quæstu, & uenalem papistæ, & fingunt esse oblationem, & Sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Hic damnamus omnes illas constitutiones, de exequijs mortuorum, celebribus apud Papistas, Vigilijs, ut uocant, tum primis, septimis, tricesimis, & anniuersarijs quoque, in quibus omnibus sunt abominabiles cultus, propter tot innumerabilium Missarum longe impijßimam prophanationem, per auariciam sacerdotum. Quanquam autem ipsi quoq; Papistæ improbent hanc Missarum prophanationem, tamen non patiuntur eam corrigi, uel emendari. Et quia Missale sacrificium contendũt retinendum esse, tanquam pium, oportet hic resistere, & quædam copiosius cũ ipsis conferre, ut erubescant, quantũ fieri potest, & aliquot saltem ex eis consilio sano iuuentur, ne cum reprobis pereant.

## De Prophanata Missa, uel sacramento corporis & sanguinis Christi.

Oportet itaq; mouere hoc loco camerinam istam de oblatione & sacrificio, quod in sacramento dominicæ cœnæ fingunt esse papistæ, qui quid offerant pro peccatis aliorum, ipsi uiderint. Certe enim Christum in suo Sacramento non possunt habere, et si præsentem haberent, idem non posset tamen sacramenti usu sacrificium esse. Non adesse autem Christum, illud probat, quòd eius institutionem uiolant & corrumpunt. Sacramentum scilicet esse fingunt, quod nō est, & usum eius, qui ordinatus est à Christo, abolent. Quare impoßibile est, ipsis adesse Christum, et sua corporali præsentia istorum impietates & blasphemias honorare, uel confirmare. Expectamus hic, qui nos meliora doceat, & rectius erudiat.

Quod igitur uiolent, & corrumpant Papistæ in sua Missa priuata, (quam esse fingunt, oblationem et sacrificium, pro peccatis uiuorum & mortuorum,) institutionem Christi, hoc est, ipsam substantiam institutionis & usum, eius impietatis illos aperte conuincemus. Si ego quamuis lotionem, & quarumcunq; rerum, dicerem esse baptismum illum Christi, quo abluuntur peccata, & cui præsentißimus adest spiritus sanctus, lauans, purificans & emundans interna cordis, & lucem gratiæ suæ infundens, nonne tu reclamares mihi, & merito diceres, me insanire? nihil probare, aut prudenter dicere, & hanc fictio

nem

nem esse corruptionem, blasphemiam & prophanationem baptismi Iesu Christi?

Sicut hoc tempore Campanas stulti quidam & uani Episcopi tingunt, & dicunt, ac credi iubent, esse baptismum. In quo si aliud esse uolunt hanc campanarum baptizationem, quàm inutilem, ridiculam & pharisaicam lotionem, prorsusq; impiam, & conuenire illi cum nostro baptismo, quod habemus à Christo Iesu, nonne rei sunt horribilis & immanis blasphemiæ, uidelicet, prophanati baptismi Christiani, penitusq; derisi eius? Imo Christi Iesu, cuius institutioni tam audacter affingunt, quicquid ipsis libet? Imo totius diuinæ maiestatis derisæ atque contemptæ, quòd diuina tam sine omni timore uiolant, & contemnunt? Vtor similitudine, nihil istis tribuo, quod ipsi non agnoscunt in se & fictionibus suis esse.

Sic igitur est in Missa papistica. Quod enim ad sacramentum dominicæ cœnæ attinet, in illa papistarum priuata Missa, ut uocatur, substantia institutionis Christi corrumpitur, & usus, quem tradidit Christus, Euangelistæ & Apostoli, aboletur. Non est qui alij ministret, in consolationem & confirmationem fidei, nec qui suscipiat à ministrante sacramentum. Sed sacrificulus quispiam sacerdos

ſacramentum quod ſumit, dicitur offerre, pro peccatis uiuorum & mortuorum, & circumſtãtes opinantur ſe hoc modo & mortuos adiuuari. Quod eſt ſubſtantiam inſtitutionis Chriſti uiolare, ſicut infra copioſe ſatis probabimus.

Corrumpitur autem & finis, atque uſus. Quia non datur in conſolationem ijs, quos lex, aut peccatum terruit, ſed fingitur eſſe oblatio de nouo ſatis faciens pro aliorum peccatis. Et quod miſerandum & horribile eſt dictu atque auditu, hoc quicquid meum eſt beneficio cœleſtis gratiæ, & ſimul cum Euangelio totum mihi debetur, & gratuita largitione conferri à miniſtrante debet, quoties poſtulo, hoc uenditur mihi à ſacrificante, ut non ſolum pecuniæ iacturam faciam, uerum etiam ſalutis animæ meæ. Nam emens nihil utilitatis accipio, ſed ſimul reus efficior cum prophanatoribus Sacramenti. Itaque Sacrificulus quiſpiam, totum uorat, quicquid eſt cœnæ, & fingit, quòd hoc ſuo opere operato ſeruiat mihi. Quid potuit magis iudaicum dici, fingi, aut cogitari?

Reſpondeant ad hæc papiſtæ, & defendant ſuum errorem & impietatem, quæ eſt in Miſſali ſacrificio, & reuincant nos de errore. Hoc ego ad irritandum & excitandos Papiſtas dico, ut intueantur

antur suos errores, & si fortaßis quidam inter eos sunt emendabiles, resipiscant & conuertantur ad Deum. Cæteri uero implacabiliores reddantur, & iram Dei aduersus se prouocent, quem contemnunt. Prorsus enim securus sum, sciens, doctrinam, quam tuemur, contra opinionem sacrificij in Missa, à nemine posse refelli aut labefactari. In hoc autem præcipuo, & omnium maximo errore, deprehensi Papistæ, quid possent solidi, firmi, aut certi, de Christiana iusticia, fide & pietate pronunciare? Imò quid uellent infœlicißimi homines, qui nihil quàm auariciæ student: & præcipua religionis in quæstu habent?

Igitur Missa ex Sacramentorum numero est, quæ sunt adpendices Euangelij, & à DEO pro erigendis, consolandis, & confirmandis conscientijs, eorum quos lex, quos peccatum terruit, instituta, Nihil enim aliud sunt sacramenta, nisi externæ notæ, & ueluti signacula promißionum gratiæ, addita uidelicet fidei uerbo, tanquam monitoria quædam. Non ad hoc solum, ut reuocent nobis in memoriam gratiæ promißionem, uerum etiam, ut nos confirment, de uoluntate erga nos DEI, propicia illa, qua gratis ignoscit peccatis nostris, sine ullis operum nostrorum meritis, tantum propter Christum. Vnde in sacramenti usu debemus

*fidem adferre, qua domum hoc seu beneficium gratiæ amplectimur, & longe abesse ab ea impia opinione, quæ statuit se offerre aliquid* Deo, *tanquam sacrificium, pro suis, aut aliorum peccatis.* Nam De*us ipse per sacramentum pauidas conscientias consolatur atque confirmat, ut sciant, nimirum uerbo gratiæ edocti, & signo confirmati, gratis sibi peccata remitti, propter* Christum, *si credant.* Ne *in terroribus peccati, quos excitat memoria grauium delictorum, desperent, sed confidant, sibi peccata remissa esse coram* Deo.

Vt *igitur certum est, non mentiri* Deum *in promißis, ita certum est ac firmum, non falli neque decipi, eos qui fidem ad promißionem, & ad usum signi promißionis gratiæ, adferunt.* Ideoq; *illa omnia accipiunt, de quibus* Deus *in promißione loquitur, & requirit, ut sibi promittenti confidant ac credant se peccati remißionem accipere.* Falluntur *autem, omnique spe salutis frustrantur, qui sine fide ueniunt ad sacramentum, & ex opere operato illius usum, sibi prodesse, pharisaice opinantur.* Multoq; *turpius errant, qui per sacramenti susceptionem contendunt se* DEO *aliquid offerre.* In *sacramento enim sunt hæc duo, uerbum gratiæ, & uerbi gratiæ signum ac pignus.* Verbum *gratiæ, est ipsa promißio remißionis peccati, & complectitur*

plectitur totam reconciliationem cum promißione æternæ uitæ. Signum gratiæ, est promißionis nota ac testimonium, ipsum uidelicet sacramentum, significans meum esse, quicquid in sacramento proponitur & offertur, quo toto ego per fidem promißionis & participatione signi utor. Sine uerbo ne intelligi quidem posset signi usus, ac ne quidem sacramentũ esse. Cum autem uerbum accedit ad signum, siue potius, cum signum adiungitur uerbo, fit sacramentum. Et sacramenti usus confirmat eum, qui in gratiæ promissionem credit, qui de oblatione & sacrificio nihil potest cogitare, quasi aliquid deo offerat usu sacramenti, quanquam recordetur Christum semel oblatum esse in cruce, ad exhauriendum omnium delicta, & ad abolendum æternam mortem.

Ita sunt ergo Euangelij beneficia eorum, qui sacramento tanquam reconciliationis nota, testimonio ac signo utuntur. Nec desinit aliquando hoc gratiæ signum testari, de beneuolentia erga nos Dei, & receptione nostri in gratiam per Christum, modo in gratiæ fide permaneamus. Adeo sacramentorũ usus pertinet ad fidei gratiæ erga nos Dei exercitationem et confirmationem, qua gratis nobis ignosci sciamus, & remitti peccata nostra propter Christum. Et nihil plane habet cum oblationibus & sacrificio, nihil omnium rerum quas nos Deo offeramus, et quibus tan

quam satisfactorio opere illum nobis placabilē faciamus, uidelicet iam antea placatum per Christum. In cuius testimonium & pignus datur nobis sacramentum hoc corporis & sanguinis Christi, quo scilicet fidem nostram de hac tanta gratia confirmemus, nihil plane usu sacramenti Deo offerentes, sed uicißim reddentes fidei confeßionem ac laudē & gratiarū actionem. Quod sæpe quidem & crasse dico, sed propter aduersarios, qui in re apertißima, clarißima & lucidißima nihil neq; uident neq; intelligunt, aut certe, quæ est malicia eorum & impietas, uidere & intelligere nolūt, uel dißimulant. Non pigeat itaq; rem eandem iterum atq; iterum inculcare Deo in gloriam, electis in fidei cōfirmationem, aduersarijs autem in confusionem & ruborem, nisi sunt tam deploratæ impietatis & perfrictæ frontis et meretriceæ, ut erubescere nesciant.

Non igitur debent remoueri sacramenta ab hac prædicati Euangelij seu remißionis peccati fide, de qua loquor. Sunt enim sacrilegi et blasphemi, qui remouent, ut qui non considerato uerbo gratiæ, promißione salutis aut dißimulato, & quasi remoto uerbo illo à signo, fingunt in sacramento esse opus quoddam nostrum, quod Deo offeramus, & illius operis merito tum nobis tum alijs gratiam remißionis peccati & salutis æternæ impetremus & mereamur.

Est

Est enim opus Dei sacramentum, per quod ipse nobis cum agit, muniens conscientias nostras & confirmãs de donata nobis peccati remißione & æterna uita per Christum. Non est opus expiatorium nostrum, quo ipsi Deum nobis reconciliemus, sed gratiæ signum, testimonium ac pignus, per quod agnoscamus Deum esse reconciliatum & placatum nobis per Christum, remittere nobis omnia peccata nostra, & donare æternam uitam propter Christum, quatenus credimus in eum. Hæc igitur oportet usque ad tædium inculcare, ut dixi, non tamen infructuosa, tum quia glorificant Deum, tum etiam quia sunt grata & accepta, ut quibus nunquam satis hæc dici possunt. Quibus præterea non potest esse molestum, copiose cognoscere et discere, quæ sunt gloriæ Christi & salutis ipsorum, quanquam aduersarijs Euangelij hæc audire plus q̃ molestũ est, istos impios prophanatores sacramentorum dico, q missam fingunt esse sacrificium & opus quoddam nostrum, quod ipsi offeramus Deo, & non recipiamus potius. Quibus precamur, ut melius sapiant, & sanius iudicent, aut certe, ut plus irritẽtur, si Deum nostrum irrident atq; contemnunt.

Proinde, sicut de Euangelio non possumus gloriari tanquam de nostro uerbo, scilicet quo nos Deũ consolemur, et promittamus ei q̃dam nostra bona, (Euãgeliũ.n. est Dei uerbũ, Dei promißio, cœlitus ad nos

demissa, qua ipse quidem nos consolatur, ac sua bona nobis promittit, & liberalissime donat, uidelicet peccati remissionem, & æternã uitam,) ita nec de sacramento, accõmodato ad usum, gloriari possumus, tanquam de aliquo nostro opere seu donario, quod Deo offeramus. Nam usu sacramenti, qui debet esse simplicissime unus & idem omnium, & communissimus in tota Ecclesia, recipimus à Deo per ipsius benignissimam liberalitatem & profusissimam largitatem dona illa remissi peccati & uitæ æternæ, quæ contingunt omnibus, propter Christum, qui credũt in eum. Quid accidit igitur papistis, q̄ ex sacramẽto corporis & sanguinis Christi faciunt suam oblationem, et suum quoddam sacrificium? Aut dicant, quomodo sacerdotum Eucharistia est sacrificium, si laicorum Eucharistia non est sacrificiũ? Tam sunt stupida & peruersa omnia in missali sacrificio papistarum. An uero habent sacrificuli sacerdotes apud papistas aliam Eucharistiam, alium Christum & aliũ Deum, quàm laici? Fortaßis offerunt, q̄ nõ est sacramentũ in Ecclesia Christi, de quo uiderint ipsi. Certe Christũ et Deum p̄ suas oblatiões illas missales nõ honorãt neq; colũt, sed blasphemãt. Laici aũt, q̄ p̄ fidẽ promißionũ gratiæ ueniunt ad sacramentũ corporis et sanguinis Christi, uero sacramẽto utũtur, & q̄cunq; non faciũt sacrificiũ ex eo, etiamsi p̄ incredulitatẽ accederent.

Quid

Quid separat ergo Eucharistiam sacerdotum ab illa laicorum, q̃ oporteat aliam & diuersam credere in una & eadem Ecclesia Dei & Iesu Christi, uno & eodem tempore semel pro omnibus institutam? Nam q̃ laicis abstulistis papistæ speciem calicis, impietas & sacrilegium est, tyrannis uestra & noua alia uiolatio ac prophanatio institutionis Christi. Et tamen ne sic quidem habetis, quod uel in speciem faueat uestris fictionibus & mendacijs de sacrificio. Sed reuertor ad prius argumẽtum. Ergo sicut Euangelij promißio uenit nobis à deo, et ut nulli prodesse potest, quàm credenti in eam, ita ipsum quoq; sacramentum corporis & sanguinis Christi uerbo Euangelij adiectum in confirmationis notam donatur nobis à Deo, nec utile esse potest, præterquàm suscipiẽti hoc sacramentum per promissæ gratiæ fidem. Peccant igitur sacrifici papistæ. non una ratione, nec leuiter in re, quæ dißimulari scilicet posset. Primo .n. quòd sacrificiũ esse fingunt, in quo Deo offerant, rem quæ nobis à Deo offertur & donatur. Deinde, quòd manducatione Eucharistiæ sua illa priuata in missa dicunt se alijs mereri & placare Deum, uiuis & mortuis, cum sicut uerbum Euangelij nulli prodesse potest, nisi creditum, ita nec sacramẽtum, nisi per fidem à credẽte susceptũ. Ad mortuos aũt prorsus nõ pertinet sacramenti usus, sed ad Ecclesiã quæ hic in terris

agit, & promißiões Euãgelij credẽs audit ac discit.

Cum ergo signum gratiæ uerbo Euangelij coniunctum efficiat sacramentum, non debent separari hæc duo, ubi agitur de sacramento, nam qui distrahunt, corrumpunt sacramentum, & nullum eius usum Ecclesiis relinquunt, ita ut papistæ faciunt. Quod conuincit, q̃a seorsim loquuntur de sacramẽto, tanquam de opere aliquo nostro & legis facto, remota gratiæ promißione, qua planum est q̃, Deus nobis confert ac donat Christum ipsum & oĩa Christi in sacramento. Et papistæ quidem pronunciant de sacramento, quicquid ipsis libet, sine omni uerbo dei, ex meris somnijs capitum suorũ. At uero per promißionem Euangelij inspicere sacramentum, & pronunciare debemus de illius recto & germano usu, qui facile corrumpitur, ubi nõ attendunt hoĩes, quod nam uerbũ additũ sit sacramento. Quapropter & suprà dixi, q̃ sine promißionis gratiæ uerbo ne intelligi quidem poßit sacramenti usus, imo ne esse quidem sacramentũ. Signum aũt promißionis uerbo additum ut efficit sacramentum, id est, diuinæ in nos gratiæ externũ & sensibile testimoniũ ac pignus, ita consolatur efficaciter, quotquot promißioni gratiæ credunt. Atq; adeo excitat fidẽ, ac munit eã, ut firmius & potentius credamus. Ita ergo per sacramẽtum de rebus credendis agitur, & res fidei pertractãtur, quas papistæ transformãt

in opera

in opera & trāsformationes legales, nā à fidei rebus uiolēter torquent sacramentū in opus quoddā nostræ satis factionis. Quid iniquius in Ecclesiam cōmittere possent: ut quā fraudāt hoc modo promißione ac fide salutis, & reuocant credentes à fiducia gratiæ, in fiduciam operum & satis factionum suarum.

In summa, uerbū Euāgelij, cui adponitur signum, continet annunciationē remißionis peccati & uitæ æternæ ꝑ filium dei Christū, in cuius fiduciā cū reuocet nos sacramentum, ut testimonium & pignus gratiæ, certe seruit in eū usum, ut cōfirmet conscientias nostras de adplicatis ad nos tantis gratiæ beneficijs et cōmunicatis nobis per Christū Iesum. Igitur missa nō est qđ audit, sed à pharisaicis spiritibus fingitur esse opus satis factoriū nostrū. Nec prodest ex opere operato, sed ei q̄ ipse uenit ad sacramēti usum, et per fidē promißionū gratiæ māducat & bibit q̄ in signū gratiæ sunt instituta à Christo. Nec q̄a manducas & bibis beatus es, multi. n. in iudiciū māducāt et bibūt, sed q̄a per fidē ades in hac cœna, qua in memoriā beneficiorū à Christo Iesu nobis præstitorū, et in perpetuū testimoniū collatæ in nos gratiæ Dei, editur corpus et bibitur sanguis domini, q̄ te prouocent, ut gratias agas deo, & glorifices illū ꝑ redēptorē Christū. nō glorieris pharisaice de tuo satis factorio opere, aut qđ ipse præstiteris, aut qđ redemeris pecunia à sacrifi

cāte. Pie aūt & Christiane ages gratias, si laudes misericordiā Dei, & per hanc gratuitum donum remissionis peccati & uitæ æternæ. Atq; adeo, si Christū agnoscas tui iustificatorem, et æternum seruatorem.

De pharisaicis commentis in prophanata missa papistarum.

Proinde cum his, quæ dixi de prophanatione sacramenti dominicæ cœnæ in missa, conferri debent ea omnia, quæ papistæ, homines prophani & ignorantes Euangelij, docent de oblatione & sacrificio corporis & sanguinis Christi in missa, quam adplicent quocunq; uolunt. Dicunt enim missam sic esse sacrificium, ut fructum eius, nec ministri personalis malicia posit impedire, cum scilicet ex opere operato uim habeat, & in persona Ecclesiæ oblatio fiat. Qua caußa sit maximi meriti, nempe quo sibi & alijs sacrificuli sacerdotes mereantur remißionem uenialiū & mortalium peccatorum, in summa, abolitionem culpæ et pœnæ. Itaque hortari, suadere & precari ferè nunquam desistunt sacerdotes & Monachi, ut tales missæ in infinitū multiplicentur, fundatis præbendis pinguibus, & locatis stipendijs, quibus inutiles, pigri, stertentes & ociosi uentres alantur. Quod etiam impetrauerunt, ut uidere est in tanto numero sacerdotum et monachorum, quorum nullus usus est in Ecclesia, nisi q̃ sacramētum corporis & sanguinis Christi quotidie

quotidie infinitis & abominandis modis polluunt & prophanant, et sunt in altißimo ocio, nihil laborãtes, sed curiose agentes, ut Paulus inquit 2. Theß. 3. cum scilicet in opibus Ecclesiæ libidinẽtur, nec cessent ali quando in auaricia fictis uerbis negociari de nobis. Quando enim non iubent, ut mißas ab ipsis aliqua pe cunia redimamus? Ita ergo salutẽ, quæ est nostra per Christum Iesum, uendunt nobis, imò spoliant nos æterna salute, quia nihil conferunt nobis, sed decipiunt fictis uerbis. Et ipsa quoq; pecunia nos spoliãt, cuius esset leuis & contemptibilis iactura, nisi simul & errare facerent nos à fide, iusticia & æterna uita.

Hoc igitur modo impijs & auaris seruit ipsum sacramentum corporis & sanguinis Christi in Ecclesiis papistarum, ut plus damni inde capiant homines ignari, quàm aut dici aut cogitari poßit. Dicitur. n. ualere missa ex opere operato ad impetrationem remißionis pœnæ & culpæ, tam uiuorum quàm mortuorum. Hoc cum audiunt imperiti & ignorantes Euangelicæ ueritatis, omnes accurrunt et adferunt pecuniam ac redimunt sibi & mortuis suis missas, imò totas hæreditates donant sacrificãtibus. Quis enim audiens laudari tale ac tantum precium, non ueniret omni substantia sua sibi illud redempturus? Sed rursus cum audit ac discit per Euangelium, hæc omnia gratis sibi conferri per Christũ, ne teruncium q̃dem

unum istis impostoribus pro omnibus mißis ipsorum donaret, quin etiã omnia sua amitteret potius, quàm partem habere uellet, quæ ipsis prophanatoribus coram Deo debetur. Quod etsi nunc non credant multi papistæ, & his monitis nostris nihil terrentur, tamen olim experientur, nos nimium uera dixisse, & dolebunt se nobis non credidisse.

Attẽde igitur Christiane lector, pharisaicum commẽtum, operis scilicet operati in missa. Quid tu quæso operaris, accipiens sacramentum corporis & sanguinis Christi? Non ne tibi donatur aliquid, pro quo tu gratias deo debes? Et unde hæc arrogantia tibi, quod acceptam beneficentiam fingis donationem tui esse? Nam ipse dominus ita nobis loqtur: Accipite, comedite, hoc est corpus meũ &c. Dic ergo mendax spũs, quid tu tribuis Deo usu sacramẽti? Et rursus, Num per gloriã operis operati nostri iustificamur corã Deo? An nõ potius ex fide gratiæ eius? nã iusticia, qua saluamur Christiani, tota paßiua est, tota alieni meriti, tota extra nos. Itaq; papistæ, nihil quàm pharisaicas opiniões prædicãt de fiducia operis operati, contra fiduciam quæ debet esse in nobis in Christũ Iesum. Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iusticia, & sanctificatio & redemptio, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. Liquet ex his, quod gloriam Christi abolent papistæ in suis abominandis mißis,

&

& q̃ Ecclesias fallunt, & quotquot erroribus ipsorum credant, eos ipsos fœlicitate æternæ uitæ priuēt:

Quid quòd fructus missæ, id est, sacramenti dominicæ cœnæ aliorum ministrantium usu & perceptione, non potest ad alios adplicari? Certe non magis quàm gratiæ Euangelij promissiones. Quæ nullis utiles esse possunt, nisi credentibus in eas. Fiduciam enim promissæ gratiæ requirunt à nobis. Vnde sicut cuiq; opus est sua fide ad impetrationem iusticiæ & salutis, sicut scriptura dicit: Iustus fide sua uiuet, ita q̃libet opus habet, qui fructu sacramenti participare uolet. Primum, propria sumptione & usu sacramenti. Deinde, ut fidem adferat ad sacramenti usum. Sed tamen papistæ docent ac iubent suos pharisaicos, impios, blasphemos & execrabiles errores retinere. Nec attendunt quid requirant à nobis. Nam ipsimet nesciunt suas abominationes quas spargunt, & defendunt ab alijs sparsas. Nulla enim consideratione rerum missæ sunt solliciti, sed hanc impietatem erroris, q̃ facit oblationē et sacrificiū ex sacramēto dominicæ cœnæ, eò solū retinēt et urgēt, q̃ eius persuasionē à superioris seculi opinionibus impijs acceperūt.

Cæterū festiuum et callidū cōmentum est, missam adplicatilē papistarū mortuis quoq; prodesse. Quanquam.n. hoc mēdaciū nihil profuit mortuis, tamē auaros mirū in modū iuuit, & auxit supra modū nondinationes missarum in Ecclesia. Sed non est instituta

hæc cœna pro mortuis, uiuis seruit, illis quos lex & peccatum terruit, qui postquam Euangelium gratiæ didicerunt, illius fiducia ueniunt ad cœnam, ac petũt à gratiæ signo suæ fidei confirmationem. Sed harum rerum nihil penitus intelligunt papistæ, opinionibus scilicet pharisaici erroris de operis opati merito im pediti. Ergo qui hic nobiscum audiunt & discunt Euangeliũ, & promißionibus Euãgelij credunt, tum inuitati fiducia gratiæ ueniunt ad sacramenti usum, illis prodest sacramenti perceptio ad peccati remißionem & æternam uitam. Alijs impoßibile est prodesse, seu uiuis seu mortuis.

Proinde rursus liquet, q̃ omni ex parte est cæcus & impius error in missa illa priuata, quæ dicitur sacrificium esse. Sacrificium quidẽ fuit, & oblatio ipse Christus, cũ immolaretur pro peccatis nostris in cruce. Sacramentũ uero cœnæ, quod pridie q̃ patiebatur instituit, quo se nobis donat, hoc est, corpus & sanguinẽ suũ, in signũ & pignus nostræ æternæ redemptionis p ipsum, nõ idcirco sacrificiũ est. Quanq̃ est memoria oblationis et sacrificij istius propiciatorij, quo semel exhausta sunt oĩm nostrũ peccata, et mors æterna extincta est. Sacrificiũ aũt placãs Deũ, aut satisfaciens de nouo pro peccato & pœnis eius, non potest esse, et quid obstet, dictum est antea abunde satis. Reuocat aũt nobis in memoriã illa oĩa beneficia,

quæ

quæ præstitit nobis per mortem suam Christus, & fidem illorum exercet, & signo perfectißime munit.

Restat quod de personali malicia sacerdotum obijcitur, quam caute excusant sacrificatores missarũ, scilicet ne illa missæ uirtuti obstare uideatur, quo minus eius utilitas et fructus ad alios perueniat, etiam per hominem impium & malum adplicata. Ita sunt enim erroribus & impietate referta omnia apud eos qui sacrificium & opus nostrum in missa dicunt esse. Sed quomodo potest ille mihi placare Deum suo opere operato, qui est impius, incredulus, obrutus sceleribus, & totus in mortalibus delictis? ut ferè sunt hoc tempore sacrifici sacerdotes, cum magno scandalo totius Ecclesiæ, scilicet in manifestis mortalibus delictis agunt. Scortatores, quia domi alunt meretrices: Temulenti, aleatores, auari & turpis lucri gratia nihil non agentes, usque adeo, ut omnia sacra uenalia habeant, & ipsas quoque precationes suas. Deniq; sacrarum litterarum & doctrinæ fidei plusquam ignari, ut etiam necesse est non posse intelligere, ne unum iota quidem doctrinæ fidei, apud quos hæret opinio meriti operis operati. In tantis ergo uicijs & defectibus laborantes, suis operibus operatis placabunt nobis Deum? Deinde solus Christus est, qui per oblationem sui in mortem potuit nobis Deũ placare. Opinio aut meriti op is operati Iudaica est & impia.

Nos enim aliter non reconciliamur Deo, nisi per fiduciã oblationis Christi prò peccatis nostris in mortẽ. Quare nihil facit ad propositum seu excusationẽ impiorũ sacrificûm, quòd in persona Ecclesiæ dicitur fieri missæ oblatio. Nos enim contendimus de re ꝑ se impia, scilicet de opinione meriti opis operati in missa, & negamus sacramentum cœnæ huiusmodi oblationem esse, q̃ à sacrificó pro aliorum peccatis est, ferri poßit, deũ placare, mereri peccati remißionẽ &c.

Quapropter & insigni iniuria, insignibus blasphemijs onerant Ecclesiam isti hypocritæ, qui oblationem missæ dicunt in persona Ecclesiæ fieri. Quæ est enim illa Ecclesia, quæ hoc uult, & tales oblationes suo nomine offerri iubet? Sic impias uidelicet & pharisaicas, quales ostendimus in missa esse? Nos cõtẽdimus hypocritarũ conciliabulũ esse, & meretricẽ Diaboli. Et illas maculas oportet papistas abstergere, eos dico, qui iubent credi in missa esse sacrificiũ satisfactoriũ pro aliorũ peccatis. Abstergere aũt prius quàm persuadeant nobis suas istas oblationes in persona Ecclesiæ fieri. An potest Ecclesia Dei uelle aliq̃d aut iubere, quod cum illius uerbo, et cum institutione Christi pugnat, nisi errãs faciat, et admonita de errore, errorẽ & impietatẽ corrigat? Igitur quæ sentit contra Euangelium & Christum Iesum, neq; esse Ecclesia potest quidem, nedum aliorũ impietates poßit excusare.

exusare, quàm diu sciens ac prudens defendit ac retinet impias opiniones, & alios in impietatibus suis excusat. Nec sunt ministri Ecclesiæ, qui hoc faciunt, sed impostores & seductores, quos Diabolus excitat ut fallant et perdant Ecclesias. Quales multi hoc tempore, quanquam reuicti de impietate per tam claram Euãgelij lucẽ & ueritatem, ut manifesta est miserente nostrûm Deo, tamen iubent, ut missam pro sacrificio habeamus.

Hoc uerum est quidem, tam uerbum Euangelij, quàm sacramenta, posse per malos ministros tractari & administrari in Ecclesia, nulla incõmoditate eorum, qui audiunt uerbum, & sacramenta accipiunt. Aliena enim illa quæ sunt Dei, non possunt noxia efficere mihi, siue quo minus sint efficacia, suscepta per fidem, impij ministri, quẽmadmodum nec salutifera efficere boni & pij ministri per suam pietatem. Dignitati enim & efficaciæ uerbi Dei & sacramentorum nihil decedit per nostram impietatem, quẽadmodum nec accedit quid, quo illorum dignitas & bonitas augeatur per nostram pietatem. Quare semper prosunt his, à quibus per fidem suscipiuntur, siue boni fuerint siue mali illorum ministri. Neq; rursus possunt prodesse, aut non esse noxia, sine fide percepta, ut etiam illorum ministri nõ essent, nisi ipsimet prophetæ & apostoli, atq; adeo ꝑsonaliter ipsemet Christus Iesus.

Sed suo opere satisfactorio nemo potest mihi Deum placare, nedum homo impius & hypocrita. Sacrifici autem fingunt se aliquid offerre Deo in missa, & suo opere operato placare nobis Deum, non recipere aliquid à Deo. Quod totum quanquam impudenter ab impijs & auaris fingitur, tamẽ excusatur, quasi per uoluntatem Ecclesiæ Christi fiat, in qua ipsius quoq; impij ministri oblatio sit accepta, cum illa occupatio de indignitate ministrorum nunc plane nihil faciat ad propositum. Prius certos esse oportuit sacrificij missalis, quòd esset ex deo, qui dicunt ipsius quoq; impij ministri oblationem acceptam esse Deo, & efficacem ad impetrationem doni remißionis peccati, uiuorum & mortuorum, eorum scilicet, pro quibus missæ celebrantur. Fac igitur sacrificos istos missalium oblationum omnes pios esse et bonos, tamen oblationes illorum nulli prodesse possunt. Non magis, quàm si interficies uirum, aut iugules canem, ut prophetæ uerbis utar. Sunt enim impiæ, nec quàm ex Diaboli imposturis natæ. Ad istas igitur obiectiones respondeant nobis papistæ, & excusent sua audacia facta & blasphemas impietates, aut corrigant eas. Nec trahant alios in societatem erroris & impietatis.

Verum est ergo, q̧ dignitas & efficatia uerbi Dei nõ pẽdet à ꝑsonali dignitate seu pietate ministrorũ, sed

ſed quid hoc iuuat papiſtas, ad excuſandum eorum impietates, quæ ſunt in ſacrificio miſſali? Hoc ergo libenter confitemur, & cum gratiarum actione agnoſcimus, uerbum Dei æqualiter utile, potens & efficax eſſe: Item ſacramenta æqualiter utilia, potentia, ſeu efficacia, ſiue à bonis, ſiue à malis miniſtrentur. Nam uerbum Dei ſemper manet idem uerbum à quocunq; homine miniſtretur. Idcirco etiam æqualiter potens eſt operari ſalutem, in eo qui credit. Rom. 1. Virtus enim Dei eſt, ad ſalutē, omni qui credit, Ita ergo & de Sacramentorum uſu & perceptione loquimur & ſentimus, eſſe uidelicet, ſemper utilia & efficacia, ad impetrationem doni remiſsionis peccati & uitæ æternæ, in illis à quibus per fidē ſuſcipiuntur. Et illos nihil impedire miniſtrantium impietatem, uel indignitatem, ut nec iuuantur eorum pietate ſeu dignitate. Sed quatenus in Chriſtum Ieſum credunt, recipiunt, quæ in promiſsione gratiæ, & teſtimonio eius ſacramento, offeruntur. Sacramenta uero per ſacrificos ad alios adplicata, ſeu uiuos, ſeu mortuos, cum ipſi per ſe non utantur ſacramētis, prodeſſe ad peccati remiſsionē, pernegamus.

Aliud eſt & longe diuerſum, cum dicitur, quòd homo impius, ſuo phariſaico opere operato, poſsit mihi Deum placare, & cum dicitur, quòd miniſtrantium impietas, nihil impediat, quo minus credenti

ſint utilia, uerbum Dei et ſacramenta. Non ſubſcribi mus Donatiſtis, tam ueteribus, quàm nouis, qui negant, miniſtrationẽ ſacramentorum & uerbi Dei, poſſe ullis prodeſſe, ſi per malos miniſtros tractẽtur in Eccleſia. Sed adminiſtratio, uerbi Dei & ſacramẽtorum, nihil habet in quo cõueniat illis cũ Miſſa, quæ dicitur ex opere operato prodeſſe & ualere, ſacrificium eſſe, & mereri alijs ut opus ſatisfactoriũ peccati remiſsionem. Hoc enim contra totã Euangelij doctrinam fingitur, & nullo apiculo uerbi Dei probatur. Res ipſa clamat, promiſsionem & donũ dei eſſe, non opus ſatisfactorium, aut expiatorium noſtrum, in ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti. Igitur Miſſam ſuam Papiſtæ, nunquam probabunt ex Deo eſſe, multo minus ſacrificium, quo pro aliorum peccatis ſatisfiat. Et quoniã Miſſas uenales habent, & pro nemine gratis ſacrificant, quanquam dictum ſit, gratis accepiſtis, gratis date, palameſt, Miſſam doloſum auariſsimorũ et rapaciſsimorũ hoĩm commentũ eſſe.

In ſumma, quicquid ualent, aut poſſunt ſacramenta, hoc totum habent ex uirtute inſtitutionis Chriſti. Qui non uult, neq; iubet, ut ſe denuo, & millies, ac infinitis modis, ſacrificemus Deo, & oblationem faciamus, ſed ut uſu ſacramenti, omnes Chriſtiani, æqualiter conſolationẽ fidei capiamus, & confirmemus animos noſtros, de remiſsiõe peccati, percepta à nobis,

per oblationem illã Christi, quæ semel in cruce facta est. Quia per sacramenti usum, ut in signo & testimonio, illa remißio, seu meritum paßionis Christi, ad nos transfertur. Vt autem, cum Euangelium disci mus ab hominibus, eius ministris, illud non tam ab hominibus discimus, quã à Christo Iesu & Deo patre nostro, iuxta illud, qui uos audit me audit, &c. Ita cum sacramenta nobis porrigunt Ecclesiæ mini stri, non tam ministri nobiscum agũt, quàm ipsemet Christus Iesus, Dominus & redemptor noster. Vt cuius est, & à quo sunt, uerbum, sacramenta, & om nia quæ Ecclesia habet.

Quare nihil opus fuit excusare impietatem mini strorum, prætextu Ecclesiæ, ubi agitur de uirtute sa cramentorum, et fructibus, quos ex illis percipimus credentes: qui uenimus ad usum sacramẽtorum. Sed hoc probandum fuit, Sacramentũ corporis et sangui nis Christi, esse placatoriũ sacrificiũ: quod ministri, in sua Missa priuata poßint ad alios adplicare, hoc est, fructũ, seu utilitatem sacramenti. Itẽ, recte facere, q pro alienis delictis, seu uiuorũ, seu mortuorũ offerant hoc sacramentũ: & impetrẽt illis peccati re mißionẽ. Et si impetrẽt mortuis, cur nõ quiescãt tan dẽ à Mißis: q innumeras pro uno mortuo celebrãt. Quid sibi uelit, quod scriptura dicit, qui credit in filiũ Dei, habet uitã æternã, qui autem incredulus est

filio,

filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eũ. Si ergo credens in Christum Iesum moriatur, an ille opus habeat Missalibus sacrificijs uestris, aut si incredulus discedat, an iuuare talem poßitis? Et si Missas uestras, ò papistæ, non poteritis probare mortuis prodesse, quomodo probabitis uiuentibus prodesse? Vt qui ipsi ad sacramenti usum uocantur, quemadmodum ad Euangelij fidem. Quibus sacramentum, non propria sumptione acceptum, tam nõ potest prodesse, per alienam, quàm aliena baptizatio nulli prodest, & quilibet per se opus habet in nomine Christi Iesu baptizari. Atq; adeo, ut uerbum Dei, non potest prodesse, nunquam auditum, cognitum, aut creditũ, ita nec sacramentum, nisi ei, à quo per propriam fidem suscipitur.

Statuamus itaq;, tam uerbum Euangelij, quàm sacramenta, propter solum Deum & Christũ Iesum ualere, nec utilia esse, nisi his, qui credunt Euangelio & sacramentis per fidem utuntur. Quis enim est Dominus & Deus Euangelij & sacramentorum? Quis precium pro peccato & morte, qui uidelicet unus potuit nobis Euangelium quod habemus & sacramẽta mereri & donare? Quid enim accepimus ab hominibus, Ecclesiæ ministris? An non omnia salutis, à Christo Iesu habemus, qui est caput & dominus Ecclesiæ? Qui item exigit ab omnibus nobis fidem

promißionum

promißionum Euangelij, & usum sacramentorum, & credentibus pollicetur æternam saluationem, incredulis autem comminatur æternam condemnationem, quanquam sacramentis utantur. Sed papistæ, quid docent nisi incredulitatem, per suas Missas? Iubent enim, ut in opus operatum alienæ sumptionis confidamus, quæ mihi nihil quicquã potest prodesse. Vt maxime per pharisaicam doctrinam, operis operati meritorij non abstraherent me, à fiducia Iesu Christi.

Vt ergo dixi, intempestiuiter hæc commenta proferuntur, de merito & dignitate operis operati in Missa, etiam sacerdotis, personaliter mali. Quia nondum probatum est, Missam esse ex his, quæ sunt ordinata à Deo, quin etiam nos probamus esse uiolationem institutionis Christi, & prophanationem sacramenti corporis & sanguinis eius. Non igitur disputamus, utrum uerbum Dei & sacramenta poßint in Ecclesia ab impijs administrari, sed hoc agimus, num hominibus liceat instituta Christi mutare, et quiduis eis affingere, quæ oporteat rata esse coram Deo, & credi ab ecclesia? Et Papistas nominatim accusamus, uiolatæ et corruptæ substantiæ institutionis Christi in sacramento. Qui de hac blasphemia accusati, necessario respondebunt nobis, aut mutabunt suum impium errorem. Debitores uidelicet, ut rationem om

nibus coram Ecclesia huius sui facti reddant: iuxta Petri uerbum, 1 Pet. 3. Parati semper ad respondendum, omni poscenti uos rationem, de spe quæ in uobis est, cum mansuetudine & timore.

Habes rationes, cur affirmẽ, Missam papisticam inter eas traditiones hominũ numerandam esse, quæ sanæ doctrinæ aduersantur, & sine peccato non possunt seruari. Quapropter fugiendam esse, atq; uitandam. Sic uero impia est & execrabilis constitutio, traditio de usu alterius speciei, in sacramẽto pro Laicis. Quia est noua alia uiolatio institutionis Christi: quã mutare pro libidine, quis tradidit potestatem papistis? Quapropter qui huius uiolationis rei sunt, peccauerunt mortaliter, & peccant usq; hodie damnabiliter, qui iubent retinẽdam esse. Nec possunt salui fieri, si hinc discedant sine pœnitentia, & non corrigant prius suum impium errorẽ & impia instituta fugiant. Quanquã Laici, altera specie sacramenti sine peccato uti poßint, si tamen confiteantur, uim sibi fieri, & instituta Christi scelerate mutari. Nam tyrannidem ferre coguntur, sed probare non debent. Sunt ergo excusabiles, si mallent utraq; specie uti, & Christi institutionem, inuiolabiter seruari.

De usu alterius speciei in usu sacramenti suscepti à laicis.

Nec uideo, quid aduersarios excusare poßit: nempe, uiolatores institutionis Christi. Nisi fortaßis una ignorantia illa, qua non dedita opera mali fuerunt:

seu rebelles institutioni Iesu Christi. Sed quicquid peccauerunt, nescientes & inuoluntarie peccauerunt, parati, castigare errorẽ, si talem intellexissent, in quo summam pietatẽ esse arbitrati sunt: Nam qui intelligentes cõtradicunt ueritati, & resistunt institutioni Iesu Christi, nullã unquam habebunt excusationem. Viderint ergo principes quid agant, qui in fauorem papistici erroris & impietatis, iubent hæc blasphema instituta retinere & seruare, quibus institutio Christi uiolatur & corrumpitur. Adhibeant autem maturo consilio aliorum bonorum iudicia in Ecclesia, & corrigant istas impietates.

De satisfactionibus pro peccati pœnis.

De ridiculis & blasphemis satisfactionibus traditionum humanarum, quas dicunt operum indebitorum, & soluuntur per peregrinationes in longinquas alias regiones, per cultum & inuocationem sanctorum, certas precatiunculas, eleemosynas, ieiunia, indulgentiarum papisticarum redemptiones, & similes alias nugas ac uanitates, idem pronuncio, esse uidelicet contrarias sanæ doctrinæ Euangelij et mandatorum Dei, & seruari sine peccato nõ posse. Quapropter & uitari atq; fugi debẽt, ab omnibus qui salui fieri uolunt. Hæc enim doctrina, de satisfactionibus pro peccati pœnis prorsus impia est & damnabilis coram Deo, quam Scholastici Theologi tradiderunt per ignorantiam & errorem, cum non

intelligerent, quis olim fuisset usus, satisfactionum in publica pœnitentia coram Ecclesia, quas nihil opus est restituere.

De confeßione peccati, in qua præcipitur de enumeratione omnium delictorum, quæ corã hominibus, Ecclesiæ ministris fiat.

Non sanat Deus nisi contritos, nec remittit peccata, nisi ueritate contritionis adactis ad peccati & delictorum confeßionem. Hypocrisim enim & simulationem, quod satis constat, odit Deus atq; detestatur. sed idem tamen requirit aliquam peccati nostri confeßionem, quam corã ipso uidelicet omnes faciamus, ut liquet ex his quæ sunt, 1 Ioan. 1. Et confitentibus sua delicta promittit peccatorum omniũ remißionẽ. Tametsi non propter contritionem, aut confeßionem peccati, ulli præstet hanc gratiam, aut saluationem: sed per aliud, utiq; per misericordiam suam gratuitam propter Christum. Ideo uere contrito & confitẽti sua delicta opus est illa fiducia misericordiæ dei, & placatoris Iesu Christi. Ita ut paulum supra docui, in loco de pœnitentia: mox ab initio enarrationum Cap. 2.

Non ergo prodest homini, neq; pia est, ulla alia cõfeßio delictorũ, nisi quæ fit uoluntarie, nõ coacte, et per huius gratiæ quam dico, & beneficiorum Iesu Christi, fidem. Quare impia constitutio est, mandatũ de

de cõfeßione omnium delictorum, etiam internorum motuum cordis, quæ fiat coram homine sacerdote, ut quæ ab inuitis & nolẽtibus extorquetur, nec nisi per humanam constitutionem. Ideo nec potest nisi phari saica & impia esse, qua Deus plus irritatur. Ac dete rior est, quam hypocritæ scilicet faciunt fiducia re= mißionis peccati impetrandæ coram Deo, sicut hanc præstari docent Theologistæ Papistarum. Idcirco multos haud dubie perdidit, non solũ istiusmodi pha risæorum & hypocritarum, qui peccati remißionem peruerse quærunt, uerum etiam eorum, qui aut de= sperauerunt se illam peccatorum confeßionem per= fecte facere posse, aut noluerunt facere. Et utriq; ta= mẽ arbitrati sunt eius se debitores esse. Quapropter & hæc constitutio, de hac pharisaica & pernitiosa confeßione delictorum debet aboleri, ut quæ sanæ do ctrinæ uerbi Dei aduersatur. Et tamen sic anxie præ cipitur, ut ei nunquã satisfieri ab ullo homine poßit, & creditur peccati remißionem mereri

Suaderi tamen hominibus debet, sed delictorum enumeratio, debet libera relinqui, & in uniuscuiusq; arbitrio poni, ut confiteatur tantum de grauioribus peccatis, quantum uelit, illi præsertim, qui sunt ru= diores, ut melius instituantur, alij uero omnes, ut con solationem absolutionis petant. Sed Papistis facilius est ac promptius mandare, præcipere, aggrauare,

et dominari, ac premere miserorũ conscientias, quàm docere imperitos, & peccatores per Euangelium Domini nostri Iesu Christi consolari. Scripsi autem & suprà de peccati & delictorum confeßione Christiana, ut in loco de pœnitentia, & in alio de peccatorum remißione, quæ per baptismi susceptionem habetur. De absolutione autem & clauibus, dixi in loco de Ecclesia.

De cultu & inuocatione sanctorum.

Cultus & inuocatio sanctorum, ut paucis hoc loco me expediam, totus est idolatricus, & sanæ doctrinæ contrarius & pugnans. Primo .n. nõ habet aliqd scripturæ mãdatum uel testimonium & exemplum, nec durant cultus sanctorũ, nisi ridiculis honoribus, qui illis præstantur ab ignorantibus ueritatem fidei in Deum, scilicet diebus festis honorãtur, & peregrinationibus, & pharisaico ciborum delectu, uotis & oblationibus, deniq; mißis, in quibus est prophanatio sacramenti corporis et sanguinis Christi, certis cantilenis & lectionibus historiarum, quæ ab hypocritis finguntur, tam delyris mendacibus & uanis, ut supra nihil neq; dici neq; cogitari poßit, quod sanæ doctrinæ Euangelij Domini nostri Iesu Christi magis aduersetur.

Rectius esset per imitationem fidei eorum, & morum

morum seu operum bonorum, de quibus Deus præcipit, illos honorari, ut confeßione gloriæ Dei & Iesu Christi, patientia in calamitatibus, aduersis, & ipsa morte, castitate, mansuetudine, benignitate, pace & similibus uirtutibus, si tamen hæc præstare, est non multo potius Deum honorare, quàm sanctos: Sed cũ illis loquor, qui solent admonere, quæ potißimum nos oporteat admirari in sanctis, & ad imitandum nobis proponere ac dicere in eo positum esse rectum honorem, quo nos interim abstrahant ab idolatria. Et cum præterea significare uolũt, quid sanctis maxime placeat in nobis, siue cognoscant nostra, siue non cognoscant quæ hic in terris geruntur.

Secundo, uitiosum est in cultu sanctorum, quòd in certis neceßitatibus inuocantur, & exauditiones & auxilia rogantur ab illis, ut ab ipsomet Deo. Docent autem scripturæ, ut in quibuslibet necessitatibus, tam corporalibus quàm spiritualibus, nos ad Deum nostrum recipiamus, & auxilium ab ipso per mediatorem Christum flagitemus. Nihil igitur à sanctis licet postulare, neque per illos, ut mediatore[s]
seu placatores, quasi Deus istorum merita respic[...] A
& placatus per sanctos nos exaudiat, ut hui[...] adi3
impijs opinionibus multæ blasphemæ pr[...] smodi
in Ecclesiis Papistarum, sine omni pœ[...] cationes
rubore, usque in hunc diem, public[...] nitentia &
e recitantur.

Quin etiam docetur imperitum uulgus sanctos inuocare, ut autores donorum, hinc scilicet alius inuocatur ut dolori dentium medeatur, alius ut seruet nos à pestilentia, alius ut ditiores efficiat, alius alia de caussa, donec exemplis ethnicorum errorum repletæ sint omnia.

Tertio, quia uero iubẽt sanctos inuocare, tanquã intercessores, obruunt Christi beneficium, & mediatoris officio illũ excludunt. Quid enim Christus est, si non est unus, idem & perpetuus intercessor & mediator Dei & hominum? Non ergo fraudari suo honore debuit, & omnium minime licuit illum in creaturas transferre. Qui nec Christo tribui poßet, nisi uerus Deus, & propter nos peccatores uerus homo factus esset. Quare qui mediatoris seu intercessoris honorem transferunt in creaturas, illi simul spoliant Christum suo honore, & ex hominibus faciunt Deos, qui ipsi indigent coram Deo, mediatore & intercessore æterno Christo Iesu. Est autem hæc quoq; blasphema et impia cogitatio & fictio, qua Christus fingitur crudelis esse, nec facile placabilis peccatoribus, cum nihil sit eo mitius, aut maiore misericordia in humanũ genus affectum. Sicut docetur Matth. 11. Hebr. 5. & alijs innumeris locis scripturæ. Quare inuocantes respicit, exaudit, iuuat, reconcilians eos patri Deo, multo pronius ac prõptius, quàm optare

ipsi

ipsi nobis possumus. Hanc igitur beneficentiæ & misericordiæ Christi fidem abolent, qui iubent, ut ad suffragia Diuorum curramus. Quapropter opinio de sanctis & impia est, & debet aboleri.

Addamus uero hoc loco, quædam scripturæ testimonia, quæ nostra firmius muniant, illis enim abundamus. Iubemur ergo in quauis necessitate & tribulatione Dominum ipsum inuocare, & credere præsentissimum consilium apud se omnibus nobis repositum esse, ut psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, et honorabis me. Et Ioel 2. dicitur: Oīs quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hoc testimonium de mediatore Christo Iesu diligentissime obseruari debet, nam eo pertinet, ut inde discamus, Deum nihil largiri nobis, & in nullo iuuare nos nisi per Christum Iesum, tū propter Christum nihil posse neq; uelle nobis negare. Quod his de rebus intelligere oportet, quæ Deum largiri decet, & quæ donatæ nobis honori Christi seruiunt, tum saluti nostræ p Christū. Itaq; Christiani, pro quibuslibet necessitatibus, & corporis & animæ, instituunt precationes suas ad Deum per Christum Iesum, & certi sunt, de inuocationis exauditione, & impetratione donorum necessariorum.

Adde hæc sequentia testimonia, quæ Christum

probāt esse unicum, & eundem clementißimum, placatißimum & misericordißimum mediatorem. 1. Timoth. 2. Vnus autem Deus, unus & mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit precium redemptionis semetipsum pro nobis. Cur igitur nunc non exaudiret clementißime quotquot ipsum inuocant, & per inuocationem honorant, ut suum æternum mediatorem? Rom. octauo: Christus est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Et idem usque hodie omnibus nobis loquitur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Matth. undecimo. Cuius officium, ut æterni aduocati nostri, et clemētißimi patroni ita describitur 1. Ioan, secundo: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Semper autē iubet nos bene sperare, quoniam est nobiscum omnibus diebus usq; ad consumationem seculi. Matth. 28. Et Heb. 9. dicitur de illo: In ipsum cœlum introiuit, ut adpareat in conspectu Dei pro nobis.

Quid obsecro his omnibus testimonijs agitur, nisi ut probetur, nō esse nisi unicus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, et idem clemētißimus, & summæ erga nos miserationis. Quod etiam quodam alio, & eo consolantißimo testimonio docetur in epistola ad Heb. cap. 5. quem hic recitabo: Habentes

*tes Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei, teneamus confeßionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, pro similitudine absq; peccato. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

*Quid igitur nunc facietis papistæ? Num adhuc crudelem, truculentum, sanguinarium & implacabilem somniabitis Christum, qui nisi per interceßiones & merita sanctorum placatus neminem exaudiat, et neminem patri commendet? Quanquam hoc non ualde curant papistæ, quis quomodo nobis placatum efficiat Christum, & Deum patrem per Christum. Sed inuocationes et cultus sanctorum ideo retinent, ac retineri iubent, quia sunt quæstuosi. Sic ergo per auariciam excæcati, iubent nos sanctorum meritis & interceßione niti, nec curant, quàm hoc sit idolatricũ, nempe fiduciam mediatoris Christi à Christo in homines, quanquam sanctos, transferre.*

*Sed ut meritis & iusticia sanctorum nemo confideret, tamen inuocatio opis & auxilij eorum, res est per se impia & intollerabilis, quia fingit sanctos clemẽtiores q̃ Christum, & Christi officium ac bonitatem obscurat. Simul facit, ut fiducia sanctorum*

plus teneamur quàm Christi, hoc est, petram salutis derelinquamus, & in harenam ruentē ædificemus, quod est, impleamus illud Prophetæ, Me dereliquerunt, fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualēt aquas. Quin etiam inuocatio tribuit sanctis alio idolatrico errore infinitam potentiam, planeq; deos ex illis facit. Nam inuocare sanctos, qui hinc decesserunt, est somniare, quòd motus cordium nostrorum inspiciant, & exaudiant nos more Dei, & certis donis iuuent. Ex quo satis est argumentorum, istum cultum esse abominabilem Deo, & in Ecclesia Christi haudquaquam ferendum esse.

De monachatu.

Reliqua est traditio de monachatu, periculosa & perniciosa. Nam & monasticæ uitæ professio & & constitutiones sic sunt impiæ, ut sine peccato seruari non possint, nisi ualide ac ualide corrigantur, hoc est, nisi uno omnium bonorum consensu ex orbe Christiano tollantur, & in totum ac penitus aboleantur. Nam etiam hoc tempore monachatum ingrediuntur, si qui sunt uiri boni, cordati, & reliquo uulgo monachorum, qui suo uentri seruiunt tantum, meliores, ut in illo salui fiant, & saluationem quidem quærunt per uota præcipua tria, obedientiæ cuiusdam uidelicet, & paupertatis, & continentiæ: Quibus

bus nihil inanius fingi potuit, quàm nunc à monachis suscipiuntur & seruantur.

Vulgus autem monachorum uentris & ocij caussa mancipat sese, & in seruitutem redigit, seruans scilicet continentiam animo rebelli & reluctante atq; optante connubia atq; commertiū mulieris, si tamen seruat ac præstat corporalem continentiam. Nemo enim monachos & monachas horum temporum ignorat. Deinde præstant simulatam quandam & fictitiā paupertatem, cum rebus omnibus usq; ad luxum & intemperantiam abundent. Deniq; & obedientiam talem profitentur, quam Deus omnium minime requirit. Et tamen monachi suas impietates in tantum iactant, ut præferant eas communi Christianorum uitæ professioni & obseruationi mandatorum Dei. In monachatu enim dicunt esse statum perfectionis, in quo alij, qui non sunt monachi, neq; sint, neq; esse possint, quasi status uitæ alius melior, perfectior & sanctior esse possit, quàm communis ille, qui à Christo Iesu communi lege omnibus Christianis prædicatur.

Ita ergo isti hypocritæ deformant ea, quæ sunt prædicata à Christo Iesu, & suas uanitates, fabulas & mendacia longe præferunt eis, hoc est, sanæ doctrinæ contradicunt, ut præstari sine peccato, quæ monachi profitētur, nullo modo possint. Nam omnium summa & grauissima impietas est, q̄ monachi per aliud iu-

stificari & saluari quærunt, quàm per solam in Iesum Christum fidem. Deinde uere est irrisio & cõtẽptus Dei, q; iusticiam & salutem quærunt per obseruationem mandatorum hominũ. Tertio, q; suis fictitijs cultibus ueros ac debitos cultus Dei obscurant, nam ut Deus doctrinis mandatorum hominum non colitur, nisi frustra, inaniter, pharisaice et ficte, ita ubi sic colitur, multum detrahitur honori mandatorum Dei. Hypocrises enim & fictiones regnant, & uera pietas obruitur, quod totum efficit fraude et astucia sua Diabolus, qui ueræ pietati nunquam nõ aduersatur.

Pietas ergo & perfectio Christiana, qua Deus uult à nobis coli, sita est in fide gratiæ & misericordiæ Dei, qua iustificamur & salui efficimur per redẽptorem Christum Iesum. Huic autem gloriæ Christi & gratiæ Dei omnium primo derogant monachi, quia fingunt perfectionem iusticiæ Christianæ in alio sitam esse, q̃ in hac fide. Deinde, q; sibi hypocritis et uanis (quales necesse est esse, qui Deum mandatis hominum colunt) istam perfectionem, quæ beatos efficiat, arrogant. Et sic agunt, quasi meliorem continentiam, paupertatem uel obediẽtiam præstare poßint, quàm oĩbus à Deo præcipiũtur. Quæ Christiani præstant, nõ ut saluationem his operibus & factis suis sibi mercantur, sed ex fide, ut Deum pro gratia glorificent. Est aũt eximium quoddã donũ Dei uera continentia,

nētia, sicut reliquæ omnes Christianæ uirtutes. Qua qui præditi non sunt, illi præceptum habent, ut uxores ducant, et continentiā coniugalē præstent. Vera aūt & spūs paupertas est, si affluāt diuitiæ, cor non adponere, & in egestate & penuria rerū patientiam præstare, nō murmurare cōtra deū. Obediētia denique, qua deus uult coli, est parēre et obseq monitis parentū, doctorū ecclesiæ, principū et ciuilis magistratus. Impia sunt ergo apud monachos omnia, nec impia solum, uerū etiam ficta et simulata. Nā qd est in uotis monachorū prædictis non pugnans? An non .n. scelus & impietas est, fidē in Dominū Iesum abnegare? Quod si monachi nō faciūt, cur p aliud seruari quærunt, q̄ p solā fidē beneficiorū gratiæ Dei, q̄ conferūtur propter Christū, his q credūt in eū? Deinde uani sunt & ridiculi cultus monachorū, non ideo solum, quòd per fidem nō præstantur, uerum etiam quòd ea faciunt, quæ Deus prorsus non requirit. Vt enim dictum est, Deum mandatis hoīm colunt, ideo necesse est, ut in uotis suis alant miras hypocrises & uanitates. Vouent castitatem seu continentiam, quasi meliorem præstare poßint, quàm eam quæ est omnibus à Deo præcepta. Ac ne præstatur quidem, nisi ab his, quibus donū cōtinentiæ contigit à Deo. Impium est ergo & pharisaicum uouere quod non poßis præstare, nisi alienis uiribus, & qdem solis uiribus Dei.

Qui raris omnino & paucißimis donat ueram spiritus continentiam, et requirit, ut uxores ducant, quos illo continentiæ dono non honorat peculiariter.

Non aliter in reliquis duobus uotis, paupertatis & obedientiæ meræ hypocrises & simulationes regnant. Vocant enim paupertatem, ubi est abundantia omnium rerum, & ubi uiuitur in ocio & summa securitate. Sic malunt scilicet inopes esse, & opibus alieno labore et sudoribus partis frui, quàm more aliorum in hoc seculo diuites esse, sed egere, esurire, sitire, algere, laborare, & proprijs manibus uictũ quære. Nam monachi, quanquàm nullius egeant, neq; esuriant, sitiant, algeãt aut laborent, & delicate saginentur, tamẽ iubent, ut credamus esse pauperes. Et alios qui laborant, opus faciunt, & uictum sibi quærunt, quanquam esuriant ac sitiant, dicunt opulentos esse. O pulchram philosophiã. Sed hoc uenustius est quòd nihil mouentur, etiãsi in sua ista paupertate flagrent auaricia & cupiditate rerum, egestatis & penuriæ rerum supra quàm dici potest impatientes. Vsuris & alijs rapiendi generibus propemodum totius mundi opes & facultates in suum ius transferunt. Sic sunt pauperes scilicet, & colunt Deum suum Plutonẽ, & ne admoniti quidem possunt Deum nostrum timere.

Obedientia est puerilis & ridicula, & seditiosorum magis quàm piorum. Illa enim subtrahunt se

debitæ

debitæ obediẽtiæ, de qua Deus præcipit, & eximunt sese communibus oneribus, quæ oportet alios omnes pro cõseruanda Repub. gestare. Callidum est tamen, grauia onera excutere, & nulla onera ferre, & in illa licentia fingere præstantius genus obedientiæ esse, quàm in ea, de qua præcipit Deus. Quid enim non puerile est et ridiculum, in obedientia, quam præstat monachus suo superiori, si conferas cum obedientia & honore, cuius debitores sumus erga parentes & ciuiles magistratus?

Liquet ex his, quantæ hypocrises regnẽt in uotis monachorũ, & quantũ remoueãt ab obedientia mandatorũ dei. Potest ergo iurare continẽtiã monachus, sed num etiam præstare poßit, ipse uiderit. Quid .n. si Deus nolit uires præstandi ueram continentiam, quam iurat monachus, iuranti donare? Vt sane constat multos iurasse continẽtiam, quam nunquam præstare potuerunt, sicut testantur multa horribilia exẽpla eorum, qui papistice cœlibatũ uouerũt, ut uideas in eo uoto manifestas imposturas Diaboli regnare. Et quid uouemus continentiam, cuius antea sumus debitores, quam quisquis præstare non potest, cogitur diuino mandato coniugij statum sibi deligere? Iam etiam quæ temeritas est, uouere, quod non habes in tua potestate? Ac sunt multa alia pericula in cœlibatu, & ea damnabilia, quæ uitare haud facile est, ni

ſt ei, qui libere uiuit in illo, ut ſi libeat, ducat uxorē: Quæ Paulus ſignificat, ubi dicit: Melius eſt matrimonium contrahere, quàm uri. Et Chriſtus, ubi ait: Nō omnes capiunt uerbum hoc. An uero nondum ſapimus, docti exemplis & periculis papiſtarum?

Venio rurſus ad uotum paupertatis, prorſum phariſaicum & fictum. Non enim deligunt ſerio paupertatem monachi, ſed ocium & abundantiam rerum, prætextu & ſimulatione paupertatis. An uero paupertatem dicas, ubi in ſummo ocio abūde ſatis habes rerum omnium neceſſariarum ad hāc corporalem uitam? Deinde, quomodo probabis pietatem eſſe, alios onerare, & de bonis pauperum uiuere, cum ſis robuſtus & ualidus, & poßis tibi tuo labore uictum parare? Quid ſi ex uſuris & rapinis uiuas prætextu paupertatis? Deniq;, ſi contemnas mandatū Dei, qui iubet, ut ueſcaris pane tuo in ſudore uultus tui? Quid ſi monita Pauli apoſtoli Ieſu Chriſti eadem de re contemnas? Lege quæ ſunt 2. Theſ. 3. Dicunt ſe ſua relinquere, ſed hoc faciunt præter uoluntatem Dei, & phariſaice. Ac multo rectius eſſet priuatis uti, quàm alienis. Denique, mendicitas non neceſſaria, quam exercent quidam monachi, eſt ſpecies furti & rapinæ.

De obedientia deniq;, qua ſuperbiunt monachi, iā abunde conſtat, quàm ſit res uana & impia coram

Deo.

Deo. Præstatur enim non modo sine omni mandato Dei, sed ita etiam, ut pugnet mandatis Dei, ut suprà docui. Suis ergo prioribus monachi obediunt, si tamen obediunt. Et ut obediant, qua utilitate hoc faciunt, quo fructu, qua uoluntate Dei? Nam à Deo prorsus non est præcepta hæc monachorum obedientia. Ideo nec mirum est perniciosam esse Rebuspublicis & exitialem, quia obedientiam mandatorum Dei soluit, & facit contemni eam, quæ uidelicet debetur parentibus & ciuilibus magistratibus, utilis & necessaria Rebuspublicis, quam ut contemnant monachi, nos tamen sciamus hanc illa monachorum lõge excellentiorem esse, & solam uere piam & rectam obedientiam. Illam uero monachorum, esse hypocritarum obedientiam.

Iam etiam, ut monachi nihil quàm mandata Dei in suis cultibus retinerent, & operarentur diuinæ legis iusticiam, uere continentes, uere pauperes, & obedientiam à Deo præceptam seruãtes, tamen non possent Deo placere, quia ipsum uitæ institutum, in quo sunt, per se impium est & malum, non minus quàm pharisaismus olim apud Iudæos, qa per monachatum quæritur iusticia & salus, & tanti faciunt illũ, ut promittãt peccati remißionẽ his qui monachatum ingrediantur. Sed & prædicare nõ erubescunt, laicum sordida monachi cuculla indutum, felicius

hinc migrare. Sunt ergo blasphemi in gratiam Dei et beneficentiam seruatoris Iesu Christi. Et ut fidei in Christum sunt inanes, ita in omnibus alijs obseruationibus suis ficte colunt deum. Per doctrinas mandatorum hominum timent eum, illic scilicet, ubi non est timor, & Deus coli omnium minime requirit.

Hæc sunt, cur monachatum horum temporũ quoque reprobandum & fugiendum censeam. Sunt enim præcipua quædam scãdala fidei in orbe Christiano, monachi, quos hoc seculũ habet, & alunt multas grauißimas impietates. Inter quas præcipue sunt, quòd per suas pharisaicas constitutiones abolent gratiæ Dei fidem, & beneficiorum seruatoris Iesu Christi, & obseruationi mãdatorum hominum nõ paulo plus tribuunt, quàm præceptorum Dei. Non enim contenti sunt mandatis Dei, & fingunt se maiora præstare, quàm sint Christianis omnibus à Deo præcepta. Hoc autem peßimũ est, quod suos cultus, qui nihil quàm pharisaici sunt, dicũt mereri peccati remißionẽ & æternã uitã. Quapropter maturo principũ cõsilio in Ecclesia maximopere prodesset, has impias monachorum constitutiones corrigere & mutare, uel potius abolere ac tollere penitus.

Cœnobia autem ueterum monachorum constat scholas fuisse, in quibus iuuentus operam dabat studijs literarũ. Nulla erant uota, & uiuebatur in sum-

ma libertate. Ex scholis autem illis transferebantur, qui gerendis rebus apti auq; idonei erāt, siue ad ciuiliū rerū administrationē, siue ad Ecclesiasticarum. Nunc tantum sibi uiuunt monachi, quædam inutilia pōdera terræ. Ac uere possumus de illis dicere, quod Paulus de Cretensium quibusdam hypocritis scribit, esse scilicet malas bestias & uentres pigros. Principum officiū est, pristinā cœnobiorū formā reducere.

Sed iam satis est exemplorum ex impijs doctrinis traditionum humanarum, de quibus sentire oportet, q, sine peccato nō poßint præstari, ideo à Christianis explodi debēt. Ac potest ex horum collatione de similibus alijs prophanis doctrinis, pugnantibus cum sana doctrina Euangelij Domini nostri Iesu Christi, facilime iudicari. Ita ergo cautum esse & prudentem oportet episcopum in deligendo & proponendo Ecclesiis, quæ nam sint opera uere bona coram deo, quibus illæ doctrinam sanam domini et seruatoris nostri Iesu Christi ornēt, nimirum, quæ sine impijs opinionibus merendi iustificationem & salutem præstātur, & fidei in Christum Iesum non pugnāt. Deinde, quæ sunt nobis à Deo præcepta, & ex Dei legibus à Christo Iesu & apostolis illius tradita. Rursus, quæ sint pharisaicæ & impiæ doctrinæ, quas fugere oportet, ne dum bene operari se credant Christiani, fiant cum hypocritis hypocritæ, & sectis perniciosis se immis

eant, quales monachorum innumeræ sectæ fuerũt, qui Dominum Iesum, qui nos mercatus est sanguine suo, & negauerunt, & negari docuerunt. Nunc ergo de operibus bonis sanæ doctrinæ ex scripto Pauli dicamus, ut instituti operis ratio requirit, & ut plenius contra fanaticas doctrinas muniamur.

TV VERO LOQVERE QVAE DECENT SANAM DOCTRINAM.

Hoc est, ea prædica, quæ præstita à credentibus poßint ornare doctrinam fidei in Christum. Mitte Iudaicas fabulas, & præcepta hominum auersantium ueritatem. Ac nos debemus gratias agere deo, quòd in hac ad Titum epistola apte & copiose de bonis operibus docemur, quæ q uolet... præstare, nunquam quiescenl à bono, seu ociosi erunt. Nec poterunt accusari, quòd aliquid omittant operum uere bonorum & necessariorum coram Deo. Hæc igitur tradita ab Apostolo Iesu Christi retineant ac sequantur episcopi, & Ecclesiis suis commendent.

SENES, VT SOBRII SINT, GRAVES, MODESTI, SANI IN FIDE, IN DILECTIONE, IN PACIENTIA:

Senes, inquit, sint sobrij, hoc est, non sint temulenti, & caueant sibi à crapula & ebrietate, fortaßis q͏̃ huic uicio pronius indulgent senes, quàm reliqui

homines,

homines, alioqui nemini non præcipitur sobrium esse, fugere crapulam & ebrietatem. Et hæc uicia faciunt, ut rebus gerendis omnium minime apti simus, & cum senes iuuētutis curam agere debent, bonis moribus illam instituere, uigiles & attenti pro omnibus esse, noxij fiunt malis exemplis, & perit institutio et disciplina, si senes fuerint temulenti. Non enim poterunt amplius officium suum facere, & iuuētutem bonis legibus moderari. Et hoc præceptum imprimis pertinet ad ciuiles magistratus, quos præ alijs decet esse sobrios, & pro regēdis alijs in bonorum morum disciplina attentos & uigilantes inspectores esse.

Iam hæc intelligentia eo magis mihi probatur, quòd græca uox Νηφάλιος ambigua est, teste Hieronymo, ut citatur ab Erasmo in huius explicatione, significans utrunque, & sobrium, hoc est, non temulentum & uigilantem. Senex autem temulentus non potest esse uigilans ac prudens inspector, sibi & alijs cauens, siue in rebus pietatis erga Deum, siue in alijs, quæ pertinent ad res politicas ordinandas. Est autem magis adiunctum senectuti liberius potare, & procliuem esse ad temulentiam, quàm alij ætati, sed uiciū per se turpe est, & reuerentiā atq; honorē senectutis mirum in modum deformās, & contēptibiles alijs reddens senes. Deniq; multorū maximorum malorū caußa ebrietas est, ideo caueri, cū à senibus,

tum ab alijs omnibus debet. Nam & protrudit in æternam condemnationem omnes eos, qui non derelinquunt & non agunt pœnitentiam.

Graues autem sint, hoc est, honesti, studiosi, teut. das sie fein erbar sich halten, redlich, auffrichtich und dapffer leben. Facit enim ad decorum ætatis, q̃ prę alijs bono & honesto uitæ exẽplo lucere debẽt, & illo prodesse ad ædificationẽ aliorum. Quàm enim indecorum est & turpe, si quis senem uideat leuem, inconstantem, nugatorem, neq́; in dictis, neque in factis honestatis amorem & studium præseferentem?

Ad idem facit, quòd senes modestos esse requirit, ne uidelicet non constent sibi in affectuum moderatione. Sed hanc uocem etiam suprà in capite 1. exposui. Vult igitur & sanæ mentis esse senes, qui imperent affectionibus prauis, prudenter et moderate in omnibus sese gerãt. Sed repete q̃ suprà de hac uoce scripsi.

Sani uero in fide, dilectione & patientia, intelligantur, si non supersticiosis opinionibus de obseruatione Iudaicarum cœremoniarum, seu traditionũ humanarum addicti seruiant, tanquam necessarijs, & in his uanitatibus consenescant usque ad extremum suæ uitæ, quemadmodum nostri monachi faciunt, qui in suis supersticiosis factis & nihili operibus perpetuo hærent, & summam pietatis in eis constituunt, nunquam sani in fide, aut liberi à supersticione. Hãc

uero intelligentiam rectam ac firmam esse, collige ex his, quæ suprà exposita sunt in fine primi capitis.

Sic ergo qui superstíciose hærent in operibus non necessarijs aut non præceptis à Deo, plane excidunt à fide, quæ est in Dominum Iesum Christum. Deinde ipsa quoq; dilectionis opera, quæ sola requirit Deus, omittũt, aut nõ ualde curãt facere, sicut testãtur isto rum exempla, qui papisttcis obseruationibus addicti sunt, nã illa dilectionis, in quibus est legis plenitudo, ferè contemnũt, & adplicant se ad opera mandatorũ hominum, tanquam melius & perfectius quid factu ri, his quæ præcipiuntur à Deo. Deniq; & paciẽtiæ Christianæ exercitia omnia amittunt, ut cui materiã præbet doctrina fidei in Christum, & mandata Dei.

Hæc ergo oportet conferre primum cum tempo= ribus Pauli, & aduertere, quomodo multi uaniloqui et mentium deceptores currebant, qui simplices à ue ritate fidei in Christũ, & à necessarijs operibus man datorum Dei auertebant, & obseruationes quasdam Mosaicarum cœremoniarum, siue aliarum pharisai= carum traditionum urgebant in uulgo, tanquam ne= cessarios cultus, et in quibus summa pietatis esset po sita, & quidem, per quos hominum iusticia & salus impetraretur. Cum his enim talibus impostoribus ne gocium fuisse Paulo & concertationem, ex omnibus scriptis eius claret. Isti ergo & fidem abolebant, &

omnia exercitia dilectionis & paciẽtiæ Chriſtianæ. Vbi enim puritas fidei in Chriſtum obruitur, nec retineri uera exercitia dilectionis poſſunt, nec pacientiæ Chriſtianæ, ut cuius exercendæ nulla occaſio eſt, ubi fidei in Chriſtum uerax confeſſio non durat, aut præcepta Dei negligentius docentur.

Conferat nunc quiſquis uolet hæc cum noſtris temporibus, & uideat atq; expendat diligẽter, num non & papiſtæ cum ſuis phariſaicis traditionibus de operibus ceremoniarum & aliorum cultuum ab hominibus traditorum fidem extinguant, tum exercitia illa dilectionis & pacientiæ, quæ Deus amat & à nobis requirit, penitus auferant. Quid enim nõ ſoli monachi fecerunt, quo cultus Chriſtianos aboleuerunt? Et quid non conati ſunt Pontifices Romani, quod non faciant ad Chriſtianæ fidei euerſionẽ, ad dilectionis & pacientiæ oppreſſionem? Sibi regna & imperia in hoc mundo conſtituerunt, doctrina fidei, dilectionis, pacientiæ & crucis profligata.

Cæterum de fide nihil opus eſt hoc loco multa ſcribere, ut de qua hactenus ſæpe dixi. Dilectio uero ſignificat obſequia illa pietatis noſtræ, quibus aliorum commoditatibus & neceſſitatibus propter Chriſtum ſtudemus et ſeruimus. Pacientia aũt, eſt tolerantia in aduerſis & calamitatibus ſeu afflictionibus, quæ præſertim accidunt nobis propter confeſſam

Euangelij

Euangelij & Iesu Christi gloriam, tum etiam, qua ignoscimus omnibus, qui nos sic aut aliter læserunt, resignantes Deo nostras uindictas.

ANVS SIMILITER, (VT SINT) IN CONVERSATIONE RELIGIOSA, NON CALVMNIATRICES, NON MVLTO VINO SERVIENTES, BENE DOCENTES.

κατάστημα, pro quo posuimus conuersationis nomen, referri debet ad quemuis corporis habitum ac gestum. Hoc enim requirit Paulus, ut anus sint in decenti & sancta uitæ conuersatione, digna uidelicet religione Christiana, bene moratæ, & honeste atq; pie agentes. Complectere igitur omnia quæ pertinent & faciunt ad hoc decorũ, ut scilicet præ se ferant mulieres pudicitiã et castitatem, utq; sint in incessu & corporis motu tali, qui arguat, ꝙ Deum religiose timeãt et pie colãt, adeoq; ut sint in amictu corporis decente, & præstent præterea, si quid aliud est quod hunc sexum decet, & hanc ætatem ornat.

Vetat autem Paulus, & iubet prohibere, ne sint calumniatrices. Opinor, quòd in hoc uicio præ alijs grauius laborent anus & uetulæ mulieres, tum noxiæ sint adolescentioribus mulieribus huic uicio indulgentes, quarum esse debent magistræ, & bonis moribus formare illas. Est autem maledicentia & libido calumniandi aliorum dicta & facta, Maledicẽtia

siue detrahēdi alijs, & deformare ipsorum bona, per se grauißimū peccatum, ut nec poßint salui fieri, qui sunt in eo, nec conuertuntur, ut pœnitentiam agant. Non modo enim peccant contra dilectionem, qua etiam excusare debuerunt aliorū uicia & errata, si quæ essent, & tegere illa, uerū etiam aliorum odio in alios accendunt, tum contentiones & rixas, & alia innumera mala excitant & augent, & horum omnium delictorum fiunt rei. Sic ergo admittunt rem se & Christo Iesu indignam, & grauißimis peccatis onerant. Nec possunt saluari, ut dixi, si in isto uicio pergant sine emendatione sui & sine pœnitentia, nec anus solum, uerum etiam quicunq; alij homines.

Notat autem & temulentiam Paulus in aniculis, ut qua magis garrulæ fiunt & criminatrices, et alios apud alios contra officium & pietatem Christianam deferentes. Etiamsi temulentia per se non esset mortale delictum, de quo & paulo ante scripsi. Incitantur itaq; ebriæ ad conuiciandum, planeq; referunt in criminando ingenium & naturam Diaboli, cui à deferendo & calumniando nostra factum est nomen. Diabolus enim significat calumniatorem. Ac necesse est, calumniatores spiritu Diaboli refertos esse, & nihil habere cum spiritu Iesu Christi. Videbunt igitur, num salui fieri poßint. Certe nisi conuertantur, & accipiant spiritum Iesu Christi, pacis, dilectionis & concordiæ

cordiæ amantem, non possunt saluari, neq; anus, neq; ullæ aliæ mulieres, imò nulli prorsus homines.

Refertur autem ex Gentium institutis apud Valerium Maximum, uini usum olim Romanis fœminis interdictum fuisse, ne uidelicet in aliquod dedecus prolaberentur, q, proximus sit ab ebrietate intemperantiæ gradus ad Venerem incōcessam. Requirit autem præterea Paulus, ut anus sint aptæ ad docendum, nimirum honesta & religiosa, quibus adolescētularum mores & uitam forment. Quod quomodo aut in quibus præstare debeant, continuo subijcitur his monitionibus Pauli.

VT MODESTIAM DOCEANT ADOLESCENTVLAS, VT VIROS SVOS AMENT, FILIOS SVOS DILIGANT, VT SINT MODESTAE, CASTAE, DOMVS CVRAM HABENTES, BENIGNAE, SVBDITAE VIRIS SVIS, VT NON BLASPHEMETVR VERBVM DEI.

De modestia, quæ significat moderationem omnium affectuum, & gubernationem honestam omnium actionum & operationum totius huius nostræ uitæ, qua fit, ut prudenter nos geramus, sobriæ uiuamus, iam semel atq; iterum dictum est. Requirit itaq; Paulus, ut honesta atq; pia doceāt anus, et adolescentulas bene instituāt, idq; facit necessario & pio præcepto.

Nam et Erasmus existimat hæc potißimum scribi ad anus, q̃ quædam illis annis lenæ sint, alienæ nequitiæ ministræ, id quod nimis uerum est.

Et hac causa uidetur Paulus mox adijcere, ut uiros suos ament. Nimirum, ut in fide casti cõiugij illas retineant, ne optent aut uelint alienos amplecti, fornicari &c. Ad idem, opinor, facit etiam illud quod dicit, ut filios suos diligant, hoc est, ita diligant, ne per admissum incontinentiæ facinus illos perpetuæ infamiæ crimine commaculent, quo si laborent, omnibus alijs in omni uita sua despectui habeantur. Alioqui solent natura matres filios suos maxime charos habere, & amanter affici in illos. Sed nihil opinor hic de his naturalibus affectionibus dici, nec opus fuit admodum de his scribere. Laude uero pudicitiæ & castitatis & alijs sanctis moribus maxime honorabunt matres suos liberos, neque quicquam preciosius istis per hæreditatem legare possunt.

Sequitur, ut sint modestæ, ut quicquid indecorum est, fugiant, & coërceant malas cupiditates, sicut omnibus Christianis præcipitur. Et de illa modestia antea satis scripsi.

Sint etiam domus custodes, ita maritis suis subseruientes, ut quæ illi laborant, & pro neceßitate uictus corporalis in sudore parant, ipsæ sua prudentia & sedulitate augeant & conseruent. Ne sit mi-

nor

nor cura matribus pro liberis, ut habeant unde ui-uant, quàm patribus, & à scelere & fraudibus conseruentur. Solent enim homines multa scelerate conari & agere quum egent, & necessario uictu destituuntur.

Benignæ autem sint, uel ut tolerent aliqua uicia maritorum, uel etiam dißimulent, si qui ipsis inciuiliores & parum humani contigerunt. Exemplo sit Abigail uxor Nabal, de qua leges primo Regum uigesimoquinto.

Deprecatur itaque Paulus, ne uxores sint amarulentæ in suos uiros, aut responsatrices. Idcirco etiam continuo additur, Subditæ uidelicet sint suis uiris. Vir enim est caput & dominus mulieris. Quapropter imperio mariti subdita esse uxor debet, & non uelle dominari in illum. Lege Ephesio: quinto.

Omnino ergo si bonæ & piæ esse uolent adolescentulæ mulieres siue uxores, hæc omnia Christiana officia præstabunt. Imprimis aūt Deo hoc pacto seruiāt, & timeant eum, cui debent hanc obedientiam. Deinde & propter homines illam præstent, non tantum propter bonos, sed uel maxime propter malos, ne qui ex aduersarijs blasphement atque irrideant uerbum Dei, conuiciantes, quòd tam nullum fructum habeat apud eos, qui eius obedientiam profiten-

tur, & q̃ illi in omnibus uelint obsequi & parere.

Hac caussa scribit & ad Thessalonicenses Paulus: Ab omni specie mala abstinete uos. 1. Thes. 5. Et Petrus: Conscientiam habentes bonã, ut confundantur, cum detrahunt uobis, tanquam flagitiosis, qui calumniantur uestram conuersationem bonam in Christo. 1. Pet. 3. Atque adeo Christus ipse inquit Matth. 5. Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est. Hoc enim omnes homines cauere debent, ne per dissolutiorẽ suam uitam, sermo Dei male audiat. Sicut fiebat in Gẽtibus, qui uerbum & gloriam nominis Dei impie blasphemabant propter impietates & uiciosa exempla Iudæorũ, qui esse debuerunt iustus, pius & sanctus populus Dei, cum ferè illo nemo sceleratius uiueret, sicut liquet ex illo Esaiæ 2. quod legitur Rom. 2. Iudæis quoq; obiectum: Nomen enim Dei propter uos blasphematur inter Gentes.

Ne ergo tale quid fiat per mulierum indecentem conuersationem, deprecatur Paulus, & deprecari iubet. Ac pertinet admonitio hæc in genere ad omnes homines, nam gloriæ diuini nominis nosmetipsos et omnia nostra debemus. Et si curæ est nobis salus nostra, studebimus illam per omnia, & in omnibus promouere & ornare. Huc facit autem & quod Petrus scribit 1. Pet. 3. de honesta mulierum conuersatione,

&

& moribus seu operibus bonis, quæ uideas. Item ea, quæ sunt in priore ad Timotheum capite 5. de honestate & sanctis moribus mulierum.

IVVENES SIMILITER ADHORTARE, VT MODESTI SINT.

De modestia hactenus frequenter dictum est, uirtus est summæ laudis, ac lucet in omnibus dictis & factis, quia est temperãtia coërcens quoslibet illicitos motus carnalium cupiditatum, & efficiẽs, ut prudenter & moderate homines uiuant. Et nihil penitus admittant, qđ reprehendi poßit. Notabis ergo, omnes quoq; alias uirtutes, quæ decent senes, etiam ad adolescentiores uiros pertinere, imò omnia prorsus officia Christiana, quocunque nomine uocari possunt. Omnium enim ex æquo sumus omnes homines debitores. Simus ergo graues, sobrij, modesti, sani in fide, dilectione & pacientia. In summa, doctrinam seruatoris nostri Dei in omnibus ornemus, sicut paulo infrà dicetur. Sumus ergo omnium Christianorum officiorum debitores omnes homines.

IN OMNIBVS TEIPSVM PRAEBE EXEMPLVM BONORVM OPERVM.

Id est, exhibe temetipsum talem studio bonorum operum, ut omnes habeant quod in te laudent & imitentur. Hoc enim conari omnes debemus, maxime tamen Euangelij doctores, ut exẽpla nostra prælucẽāt

*alijs, & inuitent alios ad pietatem, ad bonos mores, & ad studia honesta, et reddãt cõmẽdatiorem doctrinam Euangelij Domini nostri Iesu Christi.*

*Hæc fuit Paulo cura & sollicitudo pro omnibus Ecclesiis. Præcipit, ut optimi uiri præficiantur illis, qui sint doctores et gubernatores earum. Vidit enim nihil perinde noxium esse rebus Christianis, quàm si homines mali, corrupti in moribus, & uicijs seruientes, regnent per Ecclesias. Rursus, nihil æque necessariũ, quàm ut boni in Ecclesia præsideant. Quid doceat enim, aut qua fronte corripiat alium errãtem & delinquentem, qui totus ipse turpitudini seruit? Dici enim solet, & regeri, medice, cura teipsum. Et, Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Itaq; malim episcopi loco seruire Ecclesiæ hominem mediocriter eruditum, & intelligentem doctrinæ fidei, & probum, quàm doctissimum & peritissimum totius scripturæ, sed sceleratum nebulonem. Et Ethnici prudenter definiunt suum oratorem, dicentes esse uirum bonum, dicendi peritum.*

DOCENDO PRAESTA INTEGRITATEM, GRAVITATEM, VERBVM SANVM, IRREPREHENSIBILE, VT ADVERSARIVS CONFVNDATVR, NIHIL HABENS MALVM DICERE DE NOBIS.

Hoc omnium summum est in doctore, in docendo uidelicet præstare integritatem, hoc est, recta, firma, certa, integra & incorrupta prædicare & docere. Iubet itaque, ne quid admisceant doctores doctrinæ uerbi Dei ex hominum doctrinis. Per additamenta namque doctrinarum humanarum corrumpitur doctrina uerbi Dei, ne ueritas eius uideatur, quam si uideant & intelligant homines, & credant ei, salui fiant. Hoc enim cauet sua astucia & suis insidijs Diabolus, qui excitat & mittit tales corruptores uerbi Dei, qui scilicet prædicent humana, & lucem uerbi gratiæ, iusticiæ & æternæ uitæ Ecclesiis eripiant.

Grauitatem uero requirit in doctore, hoc est, constātiam quandam laudabilem & honestam, quam præstet ipse in omnibus dictis & factis suis. Vt per hanc bonitatem & integritatem suæ uitæ & pietatis ipse magis amabilis reddatur bonis, & sic ipsum quoque uerbum Dei fiat omnibus magis graciosum, quo uidelicet alios erudit, corripit & emendat, quod si nullum fructum haberet in doctore, quomodo à discentibus amari posset? Magis autem afficiuntur illo homines, si intelligant eo ipsos quoque doctores affici & trahi.

Porrò uerbum sanum quod nam sit, prolixe hactenus in hoc toto commentario expositum est.

Eius itaq; sinceritatem & puritatem retineāt ac tradant Ecclesiæ doctores, non admisceant aliena, memores, quod suæ dispensationis sint rationem corā Deo reddituri. Ezech. 3. 1. Corint. 9. Simpliciter itaq; sonat, hoc est, pura et recta tradant Ecclesiæ doctores. Quod facient, si præter uerbum Dei nihil doceant, nihil quod fidei aduersetur, & à fabulosis commētis & somnijs doctrinarum hominum abstineant.

Hoc enim peculiare habet Paulus, quod doctrinam proprie & germane Christianam adpellat uerbum sanum, ut quia nihil quàm gloria Christi & Ecclesiæ salus quæritur, nam & uerbum Dei pure traditum eò efficax est, ut saluet credentes. Esa. 55. Rom. 1. 10. Ita ut corruptæ impostorum & mendaces doctrinæ sunt quædam læthifera uenena in Eccelsia. Atque huc accense, quæ sunt 2. Corinth. 10. & 11. de cauendis pseudoapostolis, & simplicitate ac puritate Euangelij custodienda.

Addit uero Paulus, requirens, ut sit irreprehensibile, quicquid episcopus docet. Sed hoc nomine nihil agit, nisi quod exponit, ac ueluti interpretatur, quomodo aut qd dicat uerbum sanū, uidelicet doctrinā irreprehensibilem, quam cauillari & reprehendere nemo queat, ne quidē docentis uicio, seu personali aliqua sua culpa, ut nihil scilicet habeāt aduersarij, quod iure culpare, uideri, aut sibi aut alijs poßint. Nā etiam

frequenter

frequēter solent ex doctorum uicijs calumnias in uerbum Dei struere, ut cū uerbū per se reprehendere nō possunt. Dicere possem magna exēpla, nisi prodesset abstinere, & parcere aliquibus.

SERVOS, DOMINIS SVIS SVBDITOS ESSE, IN OMNIBVS PLACENTES, NON CONTRADICENTES, NON FRAVDANTES, SED IN OMNIBVS FIDEM BONAM OSTENDENTES, VT DOCTRINAM SALVATORIS NOSTRI DEI ORNENT IN OMNIBVS.

Vrget hoc idem præceptum & Petrus 1. Pet. 3. & ipse aliàs sæpe, ut Ephes. 6. &c. Nihil autem obscuritatis habet, ideo nec indiget expositore, sed illis qui per probitatē uitæ, pro debito officio, exprimāt, imprimis, quilibet subditi erga ciuiles magistratus, de qua obedientia loquemur & scribemus infrà in capite tertio.

Habet tamen quandam peculiarem rationem hoc præceptum apud Paulum. Quidam enim carnalia et mundana in prædicatione libertatis Christianæ docebant, unde etiā affectabant, & quærebant sibi ciuilem libertatem quidam serui, doctrinæ Euangelij prætextu. Nec obscurum est Paulum istos notare, & iubere, ut doceant prædicatores, ne serui non uelint subditi esse, aut pœnitentia duci suæ ipsorum condi-

tionis, & mala per rebellionem contra dominos suos statuere & conari.

Ita ergo sæpe istorum carnalibus cogitationibus & curis occurrit, ut 1. Cor. 7. Vnusquisq; in ea uocatione, in qua uocatus fuit, permaneat. Seruus uocatus es? ne sit tibi curæ &c. Rom. 13. Qui resistit potestati, Deo resistit. Huc accense illud Pet. 1. Pet. 2. Quasi liberi, & non uelamen habentes maliciæ libertatem, sed sicut serui Dei:

Sequitur, in omnibus placentes, hoc est, serui ita sint subditi dominis suis, ut illis placere studeant, & gratificari in omnibus, nisi quid præcipiant pugnãs cum uoluntate Dei, quod semper exceptum esse debet per generalem hanc regulam, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Non cõtradicentes, hoc est, ne sint immorigeri, rebelles aut responsatores, non magis, quàm ipsi Christo Iesu, cui hoc obsequium & hanc obedientiam, de qua præcipit, debent. Lege, quæ sunt Ephes. 6. Multo minus defraudent suos heros, aliquid de bonis illorum decerpentes, ac subtrahentes illis, nam furti crimen per se mortale peccatum est.

Iam etiam antithesim addit Paulus, qua se clarius explicat, sed in omnibus, inquiens, fidem bonam, id est, fidelitatem ostendẽtes, ita quemadmodũ domini seruis multa credunt, et fidei illorum committunt, sic

ſic præſtent uiciſsim fidelitatem in conſeruandis & augēdis bonis dominorū ſuorum, quanquā hoc nomē nō opponitur tantum ſubtractionis crimini, ſed alijs oībus uicijs ſeruorū, q̄ paulo ante deprecatus eſt. Iubet.n. ut ſubditi eſſe, & fidelitatē in obſequēdo præſtare uelint. Illud, ut doctrinā ſeruatoris noſtri dei ornent in omnibus, require ſuprà enarratū in illud, Vt non blaſphemetur uerbum Dei, nam conſcientiā tanti facinoris, nemo tandē ſuſtinere poterit, ſine deſperatione æternæ ſalutis, niſi qui ſerio pœnitentiam agunt, ſeſeq́; emendant. Dabunt itaq; operā hi omnes, quibus curæ eſt ſua ipſorum ſalus, ut gloriam Euangelij in omnibus ornent, utq́; caueant ſe tanta ſcandala alijs obijcere, quibus fiat, ut de doctrina Chriſtiana male ſentiant & male loquantur.

ADPARVIT ENIM GRATIA DEI, SALVTIFERA OMNIBVS HOMINIBVS, ERVDIENS NOS.

De ratione et modo exhortandi per ſanam doctrinam iam ſuprà ſcripſi, cum uidelicet uerſarer in expoſitione primi capitis. Eius hoc loco inſpice exemplum, & expende, quì conueniat Eccleſias de bonis moribus ſeu operibus inſtituere, nam quæ ſunt apud Paulum in doctrina fidei & bonorum operum, prorſus pugnant, qui iubent nos per opera obedientiæ noſtræ erga legem, iuſticiam & ſalutem quærere.

Itaq; hic locus contra istos doctores operum facit, qui fidei in Christum derogãt, id est, gloriæ Christi, quam per fidem profitemur, & qua ignoscimus nos iustificari & saluari propter Christum. Deinde, pharisaicis opinionibus agitantur alijs, quòd putant se legis iusticijs satisfacere posse, & sic mereri æternam uitam. Hoc uerum est quidem, q; contemptus diuinarum legũ damnat, sed nemo per obediẽtiam suam satisfacit legi, ideo nec saluari p eã quisquampotest. Et Deus aliud quiddam proposuit, in quo largiri nobis cõstituit iusticiã & æternã uitam, nimirũ Euangelium redemptionis nostræ per Christum, quo requirit fidem gratiæ suæ, qua nos saluos facit propter filium unigenitum Christũ, quatenus credimus in eũ.

Itaque iubent hypocritæ, ut in merita scilicet, quanquã sint nulla, & dignitates, quas fingunt, nunc congrui & nunc condigni iusticiarum nostrarum respiciamus, & illis cõfidamus, quòd nos liberẽt à peccato & æterna morte. Sed apostoli prædicant nobis iusticiam & salutem per fidem in Christum. Deinde autem requirunt, ut in hanc ipsam gratiam & redemptionem nostri per Christum respiciamus, & per illius fidem bene operemur, intendentes glorificare Deum, & nomen Domini Iesu Christi ornare. Sic ergo operantes nihil dubitẽt, quin hæc opera sua placeãt Deo, quæ in incredulis impoßibile est placere. Atque

adeo

adeo, q habeant sua præmia in cœlis, incredulorum uero iusticias consequi æternas pœnas.

Manet quidem condemnationis caußa in illis, qui flagitiose uiuunt, & cum contemptu mandatorum Dei, sed in illis, qui credunt Euangelio, hæc omnia peccata abolentur, & fit noua condemnationis caussa ipsa incredulitas. Nec possunt iuuare ullæ iusticiæ eum, qui in incredulitate manet. Hinc sunt illa, Spiritus arguet mundum de peccato, quòd nõ crediderũt in me, hoc est, caußa cõdemnationis illorum est, quòd non agnoscunt gratiam Dei fide, nec recipiunt me unicam esse caußam suæ æternæ salutis. Sic ergo & Ioan. tertio dicitur: Qui credit in filium, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quòd non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

Cæterum regnat incredulitas in omnibus, qui sine pœnitentia agũt, quia impoßibile est hoĩes uera fide præditos esse, q simul non habeant in se pium timorem Dei, siue qui poßint cõtemnere uelle hoc uerbũ Christi, quo omnes ad pœnitentiam hortatur. Quin etiam spiritus sanctus adest his, q uere credũt in Christum Iesum, ideo non possunt immundicijs peccati uelle seruire. Quanquam ergo per opera legis nemo saluus fiat, tamen necessaria est quædam nouitas morum & operum bonorum in illis, qui Euangelio crediderunt. Et de illa neceßitate iam dicam.

*De necessitate bonorum operum in iustificatis seu de externa pœnitentia.*

*Quanquam igitur & suprà ab initio secundi capitis nonnihil dixi de huius externæ nouitatis necessitate in iustificatis, tamē nihil uetat etiam hic paucula quædam de eadem annotare, cum præsertim Paulus hic præcipiat de bonis opibus, quæ multi corruptis, id est, impijs & pharisaicis opinionibus prædicāt ac docent. Primum ergo discernamus hypocritarū iusticias ab operibus bonis, quæ præstāt, q iustificati sunt fide in redemptorē Christum Iesum. Itaq; hypocritarum iusticias uoco, quæcunq; opera & facta ipsorū, quæ præstant opinionibus merendi peccati remissionem, iusticiā & æternam uitam, quanquam legi nunquam satisfaciant, nec poßint satisfacere. Est enim spiritualis doctrina, & purificatos motus cordiū nostrorum requirit, sed corda renouare nō est in nostra potestate, renouātur enim sola spiritussancti uirtute, de qua infrà capite tertio loquemur. Sed hypocritæ non existimant legem, nisi de externis factis nostris concionari, ideo fiducia externæ iusticiæ promittūt sibi debitum remißionis peccati & æternæ uitæ, & hoc contra gratiæ fidem, tum beneficiorum Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Ideo de operibus eorum secure pronunciamus, esse impias & pharisaicas iusticias, & Deo nullo modo placere posse.*

*Rursus*

Rursus de operibus iustificatorum dicimus, q͂ sint grata deo opera & facta, atq; adeo necessarij cultus. Deniq; q͂ ingẽtia præmia habeant, præsertim in cœlo. Iustificatos autem coram Deo pronunciamus, (ut diserte hanc caußam de bonis operibus explicemus) quotquot uere credunt Euangelio, nempe quòd accipiant peccati remißionem per gratuitam misericordiam Dei, beneficio iustificatoris Iesu Christi, qui est redemptor noster, precium & satisfactio pro peccatis nostris, & pro æterna morte. Illi ergo, ut neque opus habent mereri iusticiã uel æternam uitam, quia sunt salui facti per Christum, iamq; hæredes æternæ uitæ per eundem, ita nec quærũt per opera sua saluari, seu mereri iustificationem, & nulla prorsus dignitate personali sua seu priuata fidũt uel nituntur, & si quid boni operis faciũt, hoc solum spectant, ut digne ambulent Deo & Euangelio Iesu Christi, tanquam filij dilecti, siue, ut glorificent Deum, & Euangelium Domini nostri Iesu Christi in omnibus ornent.

Illorum igitur iusticiæ placent, gratæ atq; acceptæ corã Deo, non q͂ per se sint mundæ aut pfectæ, adhuc enim suas quasdam immundicias & imperfectionem habẽt, sed ideo, q͂a fiducia remißiõis peccati præstantur, et placatoris Iesu Christi, per quẽ sunt oblationes & sacrificia & ueri cultus Dei, sicut testãtur illa Pauli Rom. 12. ad eos q͂ fide per Christũ iustificati sunt. Dignitas bonorum operũ in iustificatis

Obsecro itaq; uos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuētem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium uestrum &c. Item illa Petri, 1. Pet. 2. Ipsi tanquam lapides uiui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptas deo per Christum Iesum. Hæc profecto magna dignitas est bonorum operum, sed eam accipiunt à Christo, qui est precium & satis factio pro nostris peccatis, in cuius nominis fiducia, id est, fiducia remißionis peccati, quam obtinemus per nomen eius, operamur.

In Christum itaq; respicit Deus, adprobans illa nostra, quæ per fidem nominis eius facimus & operamur, & sunt alioqui p se adhuc imperfectæ iusticiæ, adeoq; uix inchoata obedientia boni operis, si illas iusticias nostras rigide, exacte et perfecte examines. Tametsi qui iustificati sunt, etiam à spiritu sancto iuuantur, ut subinde melius & purgatioribus animis illam obedientiam præstent, & perfectius glorificent Deum. Glorificari enim his operibus iustificatorū, Deum, firmum est ex illo Christi Matth. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideāt opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Quæ si perfecte crederemus, quem posset ullius boni operis, uel crucis & paßionis tædere aut pigere? Sicut molestum est hypocritis iusticias legis facere seu

operari.

operari. Nihil enim non simulate, & inuito atq; rebelli animo agunt, & tamen fingunt se colere Deum, cum sua fictitia pietate nihil quàm sua quærant.

Iam addendum est, hos spirituales & fidei cultus etiam necessarios esse, nam Deus punit contemptum legum suarum, in quibuscunq; ille durat, & punit quidem æterna morte. Ideo 1. Corinth. 6. dicitur: Non possunt regnum dei hæreditate consequi. Quin etiam neglectum boni operis eadem pœna damnat, ut est Matth. 25. Quia arguit incredulitatē inesse his, qui occasionē bene operãdi nõ amplexi sunt. Et Rom. 6. dicitur: Ne regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius. Item Rom. 8. Si secundum carnē uixeritis, moriemini. Et q̃s ignorat nos pœnitentiæ debitores esse, quæ fructificet ab extra multis bonis operibus à Deo præceptis?

Necessitas operum & obedientiæ nostræ.

Huc facit, quod supra exposuimus de triplici legis usu, alio uidelicet in carnalibus, & eo duplici, & alio rursus in spiritualibus. Nunquam enim prorsus liberi sumus, ut liceat nobis à legis operibus uacare seu ociosos esse, nam carnalis natura coërceri legibus debet, aut reuocari ad peccati & delictorum suorum cognitionem. Spiritualis autem liberata est, non ab obedientia seu debito operis boni, sed ab exactione iustificationis, quæ fiat per legem, siue à condemnatione, quæ irrogatur his, qui legis exactionibus non

satisfaciunt. Spirituales itaq; nõ quærunt ocium, nec cessant unquam bene operari. Et illi discunt ex lege, qua iusticia bonorũ operum, siue potius, quibus operibus bonis Deus uelit glorificari à nobis, ne in delectu boni operis aberrent, ita ut fieri uidemus ab hypocritis, qui opera uere bona & pia, de quibus Deus præcipit, ferè negligunt, & alia inutilia opera traditionum humanarum sibi proponunt, de quibus suprà abunde satis dictum est.

Quæ opera necessaria.

Docui itaq; ex tertio legis usu regulam & doctrinam operum necessariorum ex lege petendam esse, quod oportet intelligere de mandatis decalogi, sicut manifestum est ex his omnibus operibus, quæ prædicant nobis, tum Christus, tum apostoli. De alijs oĩbus si quis necessarias faciat ad uitam æternam, affirmamus à Christo dictum esse: Frustra colũt me mãdatis hominum. Nam & cærimoniæ Mosi & forenses leges, quas ille Iudaico populo tradidit, non magis necessariæ sunt, uel ligant conscientias nostras, quàm illæ traditiones hominum, de quibus præterea, si quis per eas contendat nos peccati remißionẽ mereri, aut uitam æternam, non aliter pronunciabimus, quàm de blasphemis hominum constitutionibus, per quas fit idem. Adeoq; de ipso sacratißimo decalogo Mosi, cui ut obediatur tamen à reconciliatis, seu iustis per fidem

dem, contendimus necessarium esse. Sed ciuilium magistratuum edictis, sub quorum imperijs et protectione Christiani agimus, necessario obedimus propter reuerentiam quarti praecepti mandatorum decalogi, & quia Christus & apostoli illius obedientiae affirmant nos debitores esse:

Isti sunt fontes & caussae doctrinae de bonis operibus, de quibus te papistae & monachi nihil prorsus docere possunt. Impediuntur enim suis impijs & pharisaicis opinionibus de merito & dignitate operis operati, quo ad impetrationem doni remißionis peccati & uitae aeternae, quasi haec Deus largiatur nobis propter legis opera, quae nos facimus, & nō propter solum Christum, quatenus credimus in eum. Ita ergo transferūt in sua facta sacrilegi gloriam gratiae Dei, & seruatoris Christi. Sed qui uere crediderūt in Deū per Christum Iesum, in operādo illi nō aliud spectant, nisi ut uoluntati Dei patris obediant, & glorificent eum per Christū Iesum. Non quaerūt suas glorias uel cōmoditates, cum sciant se saluos esse factos gratuita beneficentia misericordiae Dei per Christū, et tamen sciūt se praemia cōsecuturos suorū laborū, operationū & afflictionū, in quibus sunt ꝑpter confessum Euangelium Iesu Christi, si in fide permaneant, & ex fide oīa agant uel patiantur. Ab his finibus gratitudinis seu confeßionis & laudis Dei in bene operando pe-

*nitus remouent atq; aberrant papistæ, & non solum nihil faciunt ex fide, sed & suis illis merendi opinionibus abnegant fidem in Christum.*

*Itaq;, si qui pie mandata decalogi faciunt, illi procul absunt ab his impijs opinionibus, quas alunt papistæ. Primũ.n.nõ arrogãt sibi, q exactiõibus mandatorũ Decalogi satis faciãt: Nam omnis obedientia operum nostrorum est imperfecta propter concupiscentiam, quæ est omnibus agnata, & nunquam non faceßit negociũ omnibus nobis. In incredulis etiam augens auariciam, ambitionem & curas huius seculi, tum alias cupiditates noxias & prauas, & propter reliquas difficultates, quæ impediunt, ne perfecte, quicquid præceptum, est, faciamus, et sic iusticias illas nostras, quas operamur, polluunt, sicut fit etiam per terrores in conscientia, & externas tyrannorum comminationes, quibus sæuiunt contra uerbũ Dei. Quis enim non impeditur per hæc mala aliquando, ut contrà, q̃ oporteat fieri, nõ agat? Quis perfecte timet, diligit, odit, sperat ita, ut timere, amare, odisse & confidere seu sperare Deus iubet?*

*Deinde, multo minus quærunt peccati remißionem aut æternam salutem per sua opera et facta, qui Decalogi præcepta recte & pie faciunt, nam p fidem agnoscunt, & ore confitẽtur se illa dona cõsequi per gratuitam misericordiã Dei propter Christum, eoq;*

*mox*

mox ab initio huius collationis de operibus bonis do cui, quòd in solis reconciliatis seu iustificatis placeāt illa, quæ nostra obedientia erga Deū præstamus, non q̃ sit perfecta iusticia in hac obedientia, sed quia personæ placent Deo, & habent peccati remißionē per Christum, ex cuius gratiæ fide operātur, & illa inchoata obedientia glorificāt Deum & redemptorem Christum, sine quo nec amare legem, aut ullum dilectionis opus uera cordis puritate & obedientia præstare possent, sicut testatur illud Pauli Ephe. 2. Ipsius enim sumus factura, cōditi per Christū Iesum ad opa bona, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus.

Proinde liquet ex his, quàm inaniter fidant hypocritæ suis iusticijs, quia nec ad perfectionē illam boni operis, quam lex præcipit, unquam perueniunt, nec possunt puenire in eā. Quapropter etiam frustra est & inane, q̃ iusticiam ex lege quærūt. Rom. 9. Israel, sectando legis iusticiam, in legis iusticiam nō peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus, uidelicet quærebant iustificationem Israelitæ. Itaq; non possunt placere Deo, quicunq; sunt in his impijs opinionibus, & sine fide in Christum manent, qua agnoscerent se gratis p illum saluos factos, & per sua opera & facta iustificari & glorificari coram Deo quærunt. Facit ergo gratas & acceptas sanctorum iusticias sola in Iesum Christum fides, quæ preterea

*sola efficax est, operari uerã nouitatẽ & ueram cordis obediẽtiã. In summa, timorẽ dei, fiduciã, dilectionem, spem, & alia digna Deo in cultu Christiano elicere. Nunc igitur reuertor ad ea, quæ suprà cœpi de necessitate bonorũ operũ in iustificatis. Omnino enim omitti nõ debet obedientia mandatorum decalogi ab eis, qui in Christum Iesum credunt, ut quos ipse uocat ad pœnitentiam & renouationem totius uitæ. Quanquam ergo illa obedientia propter imperfectionem sui neminẽ saluet, punit tamen deus contemptum mandatorum suorum, qui esse non potest in illis, qui uere crediderunt in deum, adeo, ut nec retineri fides poßit ab his, qui conscientiã quotidianis peccatis onerant. Quî posset enim retineri fiducia illa, q; deus sit nobis propicius, si flagitiose uiueremus, penitusq; deficeremus ab operibus dilectionis, quæ ille tãtopere requirit, ut inuicem alij alijs præstemus? Reluctatur enim conscientia mali operis, & statuit contrarium, id est, reos agit atq; damnat, sicut horribili exemplo docemur in proditore Christi Iuda, qđ sane scriptum est in terrorem his qui deum non timent.*

*Quapropter confiteri oportet esse magnam necessitatem bene operandi Christianis factam, etiamsi nullus per iusticias tuas saluus fias. Quid facias enim miser, si nõ poßis uincere conscientiam, quæ testatur contra te, & arguit, quòd displiceas Deo, sis uanus*

&

& impius contemptor Dei, uidelicet rebellis perpetuo eius uoluntati? Non potest aũt uinci ab his, qui sine pœnitentia uiuunt, & pœnitentia ducti, nisi consolationem audiãt à Deo, cuius est loqui cordibus nostris, coguntur desperare. Neq; enim ego, tu aut quisquam alius potest fiduciã gratiæ concipere, quoties aut quandocunq; uult, sine peculiari dono dei. Et oĩs scriptura clamat, deũ timẽdum esse, q contemptũ sui tandẽ grauißime puniat. Lege quæ sunt Deut. 32. Et Ioannes euãgelista inquit 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Atq; idem cap. 3. Qui facit peccatũ ex diabolo est.

Itaq; quisquis salutis suæ rationem habet, studebit conscientiam recte factorum conseruare, & Deo in omnibus morem gerere, declinare à malo, & facere bonũ, operari iusticiam &c. Sic enim fiet, ut fiduciã recõciliationis, quæ est nostra cũ deo per Christum, retineat, tum augeat quoq; & confirmet fidem. Idq; est, quod Petrus iubet, ut bene operando studeamus certam efficere nostri uocationem & electionẽ apud Deum. 1. Pet. 2. Nã ipsa quoq; bona opa sunt signa remißionis peccati factæ corã deo, iuxta illud Lu. 6. Remittite, & remittetur uobis. Quapropter etiam necesse est, mala opa quoq; esse q̃dam signa irati dei in eos, q flagitiose uiuũt, nec mouẽtur, ut pœnitentiã agãt. Quid multis? Necesse est abesse spũm sanctum

*ubi uiuitur impie, scelerate, iniuste & intẽperanter, & ubi nulla dilectionis, pacis & cõcordiæ opera regnant, & tamen sine hoc spiritu nemo potest beatus esse, iuxta illud, Si quis autem spiritum Christi nõ habet, non est eius. Itaq; necesse est iusticia bonorũ operum præditos esse, qui Deo placere uolunt, conscientiam bonam tueri, & fidem sine desperatione retinere. Gal. 5. Nos enim spiritu ex fide, spem iusticiæ expectamus, nam in Christo Iesu neq; circuncisio aliqd ualet neq; præputium, sed fides quæ per charitatem est efficax. 1. Timot. 1. Finis autem præcepti est charitas, ex corde puro, conscientia bona, & fide non fi- cta. Prorsus itaq; abesse non potest iusticia bonorum operum ab his qui sunt fide iusti, quia sequi recõciliationem debet, ut testimonium fidei in credente. Quare & in facinoroso illo, qui in ultimo suæ uitæ conuersus est, de quo est Luc. 23. reperta est. Satis enim significabat, se prorsus mutatum & alium esse factum.*

*Hæc nos oportet diligenter exaggerare, & inculcare fidelibus Christi, ne quis existimet eam fidem nos docere Iesu Christi nomine, quæ est sine fructu operum bonorum, nam etsi doceamus, q̃ sola per Iesum Christum fide iustificemur & salui efficiamur, propterea, q̃ iustificatio nostri est gratuitũ beneficiũ misericordiæ Dei donatũ propter Christum, quam per solam fidem obtinemus, tamen ipsam quoq; poeni-*

tentiam & iusticiam bonorum operum Iesu Christi nomine prædicamus. Sed qua credentes & iusti & beati in Christo Iesu Deum pro gratia glorificemus. Testificantes omni homini mortuam esse, seu fictam & rem fabulosam, fidem, quæ iusticia bonorum morum & operum, quæ Deus præcipit, careat, non placere Deo, qui facinorosi sine pœnitentia uiuunt, nec fore regni Dei hæredes. Ac ne sic quidem, si omittant occasionem bene operandi per opera dilectionis. Lege 1. Corinth. 6. Gal. 5. Eph. 5. Matth. 25. Luc. 16.

Hæc habui, quæ in præsentiarum uolui annotare de iusticia bonorum operum in credẽtibus, & de necessitate eius, quam constat præterea habere multa præmia apud Deum, tum corporalia, tum etiam spiritualia & æterna in cœlis. Quemadmodũ & transgressio habet pœnas & sempiternam condemnationem, iuxta illud Rom. 2. Reddet unicuiq; secundum facta sua. Et 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ. Luc. 6. Date, & dabitur uobis. Et exemplum Cornelij act. 10. testatur & spiritualia præmia conferri his, q fiducia bonitatis Dei bene operantur. Et Mar. 10 dicitur: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ aut matrem, aut liberos, aut agros propter me & Euangelum, qui non acci-

piat centupla in tempore hoc, & in futuro seculo uitam æternam. Item Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiat uos in æterna tabernacula. Matth. 25. Cũ autem uenerit filius hominis &c. usq; ad cap. finem.

Sed illæ pollicitationes præmiorum nihil ad incredulos, quos fiducia merendi tenet, per sua facta peccati remißionem &c. pertinent, non magis, quàm ad eos, qui scelerate uiuũt, & mandata Dei penitus deserunt. Qui enim manet in incredulitate, ut nullam assequitur peccati remißionem, ita manet in morte et æterna condemnatione. Ioan. 3. Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Pergam nunc ad alia, in quibus uidelicet nonnihil de abrogatione legis dicam. Cum enim constet nos per Christum liberatos esse à lege, & prædicari tamen iusticiam operum, de qua lex præcipit. Item, necessariam esse illam iusticiam, quam iustificati præstent, quæri solet, quatenus sit lex abrogata, aut quid in illa cum obedientia boni operis necessario præstetur. Et pauci sane recte de illa abrogatione iudicant.

De legis abrogatione.

Potest igitur & ex his, quæ dixi de neceßitate bonorũ operũ in iustificatis, iudicari recte de legis abrogatione. Nam quia obediẽtia erga decalogũ necessaria

saria est, et semper manere debet, cærimonijs aũt & forẽsibus Mosi legibus nihil penitus debeamus Christiani, palam est coactionem abrogatã esse, quod ad cærimonias & forẽses leges attinet, hoc est, cogi nõ posse Christianos, ut cærimonias Mosi aut forenses leges seruent, sed liberos esse ad utrunque, ut uel seruẽt aliquot ex illis ritibus & ordinationibus, uel prorsus nihil seruent, ita ut utile & commodum esse Ecclesiis uidetur. Sed quantum attinet ad decalogi mãdata, quoniam obedientiam illius retinere oportet, nihil in illo abrogatum esse, nisi exactionem iustificationis et ius condemnandi homines pecccatores, hoc est, non potest decalogus me cogere, seu præcipere mihi, quatenus in Christum Iesum credo, ut iusticiam per opera legis & facta mea quæram, & quanquam perfectam obedientiam non habeam, non potest tamen me condemnare, nam per Christum Iesum, qui semetipsum dedit precium redemptionis pro peccatis meis, sum iustificatus, & liberatus à mortis æternæ condemnatione, quæ irrogatur alioqui per comminationes legis.

Hæc ratio abrogati decalogi colligi ex tota doctrina iustificationis & potest & debet. Nobis. n. impossibile fuit exactionibus legis satisfacere. Ro. 7. et 8. Eoq; & indiguimus iustificatore & seruatore Christo Iesu, qui nos suæ gratiæ beneficentia iustificaret,

ſine lege, id eſt, ſine meritis operũ noſtrorũ. Rom. 3. Galat. 2. Et iuſtificatos defenderet ab ira & æternis execratiõibus legis. Gal. 3. Et retineret tamẽ in obedientia mandatorum decalogi. Rom. 6. 8. quæ quanquam imperfecta eſt, tamen reprehendi à lege non poßit propter Chriſtum iuſtificatorem. Imò non poſſit non placere & grata eſſe Deo. Rom. 12. 1. Pet. 2. Col. 3. Nam etiam ornat gloriam gratiæ Dei & ſeruatoris Ieſu Chriſti. Tit. 2. Et glorificat deũ. Mat. 5.

Ita ergo cum loquimur de legis abrogatione, ſentire oportet & iudicare. Primum, cærimonias Moſi & forenſes leges nihil prorſus ad Chriſtianos pertinere, & tamen liberũ eſſe illis, ut quicquid libeat uel commodũ ſit, adplicent ex eis ad ſuas commoditates. Quemadmodum aliquot dies feſtos retinemus Chriſtiani ad imitationem Moſaicæ legis, ſed per merã libertatem, ut quos abrogare & penitus tollere poſſemus, ſed ordinis cauſa in eccleſia retinemus, ut plebs commodius de religione & fidei articulis doceatur. Alia eſt autem decalogi abrogati ratio, quia illius obedientia ſemper neceſſaria eſt. Pertinet enim ad pœnitẽtiæ doctrinam, nempe doctrina timoris, dilectionis & fidei in Deum. Item, præſtandæ dilectionis, pacis, cõcordiæ, obedientiæ & pœnitentiæ apud homines, & fugiendæ iræ, inuidentiæ, ſimultatis, odiorum, auariciæ, ambitionis & ſimilium, quæ omnia

Christus & apl'i in prædicatione & doctrina urgēt.

Abrogatus est ergo decalogus sicut dixi, ne recipiatur doctrina iustificationis esse, seu ius habere, exigendi à nobis iustificationem, quam præstemus per opera legis. Hoc enim si recipiatur, facit oībus nobis impoßibilem iusticiam & salutē, quia impoßibile est exactionibus legis satisfieri à nobis. Ideoq; & necessario sub legis æternis maledictionibus permaneremus, si eius debitores essemus, id est, exactionū mandatorum decalogi. Continēt enim spiritualem doctrinam præcepta decalogi, & præcipiunt de mundicie cordis, sicut Christus testatur Matth. 5. & Paulus Rom. 7. Ideo non potest decalogus, nisi reos agere et cōdemnare peccatores. Quin etiam contrarius est effectus eius, quàm iustificationis. 1. Corinth. 15. Virtus peccati lex. Rom. 7. longe copiosißime hæc explicantur.

Misit ergo filium suum Deus, qui nos sanguine suo purgatos iusticia & salute participes efficeret. Sine lege, id est, iusticia, quæ non est sita in meritis operum & factorum nostrorum, sed quæ tota est fidei gratuitæ remißionis peccati per Christum. Rom. 3. Nunc manifestata est iusticia Dei sine lege. Iusticia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, q credunt. Item, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Et

Rom. 8. quod impoßibile erat legi, (eò quòd infirmabatur per carnem) Deus filium suum mittens, damnauit peccatum &c. Galat. 2. Non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi.

Fuit ergo necesse abrogari totam legem. Imprimis autem decalogum & illius exactiones. Vere enim impoßibiles nobis fuerunt, quæ nisi abrogatæ essent, nemo posset saluus fieri. Illis autem abrogatis, & ira legis seu maledictiones illæ æternæ mortis quoque sunt obliteratæ. Aboleri autem per Christum debuerunt. Et huc faciunt illa Pauli Galat. tertio: Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut Gentibus contingeret benedictio Abrahæ per Christum Iesum, ut pollicitationem spiritus acciperemus per fidem, hoc est, ut utrique nostrum, tam Iudæi quàm Gentes acciperemus promissum spiritum sanctum, per quem intelligimus nos esse filios & hæredes Dei, & in quo clamamus: Abba pater, & decenter uiuimus, sicut docent mandata Dei; quia à spiritusancto gubernamur, quem accepimus per Christum Iesum, & per legem haud quaquam accipere potuimus, quia hæc augebat timorem cruciantem, & operabatur desperationem. Vtile igitur fuit, abrogari legem, quin etiam necessarium:

Et de illa abrogati decalogi neceßitate etiam hæc

intelligē

intelligi debent, quæ sunt scripta à Paulo Col. secundo: Et uos, cum mortui essetis in delictis & in præputio carnis uestræ, conuiuificauit cũ illo, condonans nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decretis constans, quod erat contrarium nobis, & sustulit illud è medio, affigens cruci, & expolians principatus & potestates, ostentauit palam, triumphãs illos per se. Quàm enim, obsecro, exiguum futurum fuisset beneficium Christi, imò penitus nullum, si à cærimonijs Mosaicæ legis aut à forensibus constitutionibus eius tantum nos liberauisset? Ac uere tunc non esset humani generis seruator, sed destructor potius bonarum ordinationum Mosi, sicut à Iudæis blasphematur.

Si enim nos per legis decalogi exactiones oporteat iustificari, quam incommoditatem habent cærimoniæ aut forenses leges, utræque certe bonæ, cur non simul in populo Dei relinquantur. Quòd uero Paulus in prius citato loco, ad Collossenses secundo, de legis abrogatione, solum exempla ponit abrogatarum cærimoniarum, ad eos respexit, qui illarum superstitiosam obseruationem & pharisaicam à Gentibus requirebant, & nihil penitus necessariam, quum interim loquutus esse intelligi debet de totius legis abrogatione, quod uel ex eo intelligi potest, quia, ut prius docui, exactiones

decalogi omnibus impoßibiles fuerunt, & quia Christus est iustificator & seruator noster, qui nos à maledictionibus legis redemit, & pro omnibus peccatis nostris satisfecit.

Igitur à decalogi exactionibus omnium maxime liberauit nos Christus, & rursus non ita liberauit, quasi nunc cuiuis, quicquid libet, liceat, sed soluendo factus pro nostris peccatis, exactionibus decalogi & totius legis p nobis satisfecit, & ipsum adeo spūmsanctū nobis promeruit, p quē ipsa decalogi præcepta melius facimus, quàm unquam potuimus antea præstare, Sic ergo retinet nos in obedientia mandatorum decalogi, quam scilicet oportet in iustificatis manere, quod suprà prolixe expositū est. Huc facit illud Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis concupiscentijs eius etc. Quanquam ibidē dicatur: Non estis sub lege, sed sub gratia, sed proxime præmißis his uerbis, Peccatum uobis non dominabitur, quo significatur iustificatos gubernari per spiritum sanctum, quoniā sunt in gratia, & habent placatum Deum. Sed qui ab hoc spiritu gubernantur, non possunt peccato frena uelle laxare Rom. 8. Debitores sumus nō carni, ut secundū carnē uiuamus. Si.n. secundū carnē uixeritis, moriemini: si aūt spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq;.n. spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei.

Quanquam ergo legi nihil debemus, quo ad eius impoßibiles exactiones, et liberati simus ab omni legis ira, tamen ita nihil debemus, quatenus credimus in Christum Iesum, & gloriæ eius studemus, cui oĩa debemus quæ decalogus docet. Quæ ut melius præstemus, ipse efficit, adiuuãs nos p spiritum sanctum. Et si quid minus perfecte facimus, tamen impetrat, intercedens pro nobis æternus gratiæ mediator, ne hoc, quicquid est imperfectionis seu uicij, imputetur nobis, sed misericorditer cõdonetur. Nos sumus enim mali seu uiciosi, & defectibus laborantes, sed secundũ infirmitatẽ & inuiti, & mallemus meliores esse.

In summa, abrogatio non tollit debitam obedientiam, sed mutat, & aliã facit, ut ex prisca, pharisaica & carnali fiat noua, Christiana & spiritualis, quia facit ex tristibus, inuitis & rebellibus uolentes, hilares & lubentes legis factores, qui spiritu & ueritate colant Deum. Et pro abrogata legis doctrina surrogatur Euãgelium, iustificationis & uitæ doctrina, & abolentur horribiles decalogi maledictiones. Opinio iustificationis quærendæ per legem tollitur, et datur iustificator Christus, in quẽ dum credimus, iusti & beati sumus. Itaq; fides non est quærere per opera decalogi iusticiam & salutẽ, sed gratia & misericordia Dei, & beneficentia iustificatoris & redemptoris Iesu Christi fidere ac niti. Et iusti sumus,

nō propter opa legis, sed p gratiā propter Christū, q̄ est preciū et pignus pro peccatis nostris, et pro æterna morte. Cæterū, in superiori loco de iustificatorum operibus bonis, abunde satis dictū est, quòd, quomodo & cur ipsa operum bonitas pendet à fide in Christū. Item, q per Christum placet & grata est Deo, tanq̄ sacrificium & cultus, ornans uerbum Euangelij, & Deum glorificans. Accingamur nūc ad ipsius textus epistolæ Pauli expositionem, quem præmissa hac copiosa tractatione doctrinæ de bonis operibus, uoluimus munire cōtra aduersarios, q̄ prædicationē Euangelij in oībus calumniantur, neq; quicquā intelligunt in doctrina legis seu bonorū operū. Ait itaq; Paulus:

ADPARVIT ENIM GRATIA DEI SALVTIFERA OMNIBVS HOMINIBVS.

Sed significationem græcæ uocis ἐπεφάνη magis proprie & significantius reddidit Erasmus p uerbum illuxit. Paulus ergo significat ortū Euāgelij & Christi conspicuū & illustrem esse factum, & cū magnifica quadam & optabili pompa spectatum esse in in mundo, quasi respexerit ad illud Esa. 60. Surge & splendesce, quoniā uenit lux tua, & gloria Domini super te orta est. Quod etiā in animo habuisse uidetur, cū ad Eph. 5. ex incerto aliquo prophetarū loco scriberet, propter qd dicit: Surge q dormis, & exurge à mortuis, et illuminabit te Christus. Et Ioā. 1. dicitur:

Vidimus

Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, (quasi diceret: Maxime illustrem & nobilem gloriam, ac uere diuinam gloriam, qualis decuit unigenitum filium Dei) plenum gratia & ueritate.

Cum igitur Paulo sit sermo de gratia Dei, quæ per Euangelium de Christo humani generis redemptore uulgata est, significat magnifice prædicatā esse omnibus in toto terrarum orbe, nec prædicatā solum, sed & signis & prodigijs & uarijs uirtutibus & spiritus sancti donis confirmatam. Nec aliud est gratia, quàm gratuita beneficentia misericordiæ Dei, qua peccato & morti eripimur per liberatorem Christum. Quæ recte ob id dicitur salutifera, & quia in omnes uulgatur & spargitur sine personarum respectu salutifera omnibus hominibus. Marc. ultimo: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Gal. tertio: Non est Iudæus neque Græcus &c. Rom. tertio: Nunc manifestata est iusticia Dei sine lege per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credūt. Et cap. 10. Non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem dominus est oīm, diues in omnes, qui inuocant illum: Omnis enim quicunq; inuocauerit eum, saluus erit.

Et illæ omnes uniuersales diligenter obseruandæ sunt, non ideo solū, quòd meritis operum nostrorum derogāt debitum remißionis peccati, (testantur. n. q, illa promiscue in oēs cōferantur, q̃ faciūt ad nostram

æternam salutem per gratuitam misericordiam Dei, & liberatorem Christum.) uerum etiam quia peccatores mirifice consolantur. Itaq; respexit Paulus ad eos scripturæ locos, quibus significabatur olim Christum fore lumen populi sui, quale paulo ante testimonium citaui ex Esaia, Solus enim illuminat omnes per cognitionem sui, noticia gratiæ, iusticiæ & æternæ uitæ. Imò est ipsissimum lumen, uia, ueritas & uita, atq; adeo æterna salus oĩbus q̃ in ipsum credunt.

Hæc de insigni ortu Christi & Euangelij, seu gratiæ salutiferæ uulgatione, q̃ facta est per Euangelium & Christum Iesum in toto terrarum orbe. Sed adijcitur à Paulo de illo effectu Euangelij, quo retrahimur ab operibus peccati, & in uiam iusticiæ, quæ est, bonorum operum, dirigimur.

ERVDIENS NOS, VT ABNEGANTES IMPIETATEM ET MVNDANA DESIDERIA, MODESTE, IVSTE ET PIE VIVAMVS IN PRAESENTI SECVLO.

Eò itaq; non inuitat solum nos gratia Dei per prædicationem & doctrinam, uerum etiam efficax est, nimirũ spiritus sancti uirtute, nouare scilicet animos nostros & corda nostra, ut impietati uitæ & desiderijs, quibus in hoc seculo pleriq; acquiescere solẽt, renunciemus, & cõtrà, modeste, iuste & pie uiuamus. Hoc cum gratiæ tribuat Paulus, meminisse debemus,

quòd

quòd idipsum efficaciæ legis detrahat. Quapropter nec legis opera quisquã præstare potest digna Deo, nisi p gratiam Iesu Christi, tantum abest, ut per sua facta quisquam coram Deo iustificari posset. Quod etiã docet ad Ephes. 2. ut suprà citaui, & ad Phil. 2. inquit: Deus est enim, qui operatur in uobis, & uelle & efficere pro beneplacito. Non est autem efficax Christus, nisi in solis illis, qui Euangelio crediderunt iam antea per gratiam iustis & beatis, ut nequeant uelle iusticiam ex lege quærere.

Cæterum, impietas est contemptus numinis, uicium, quo homo sine timore et sine fide in deum agit, tum sui & uirium suarum fiduciam concipit, aut præsidij aliarum creaturarum, contrà, quàm Deus ordinat ac statuit. Quæ in quibus durat, eos necesse est nunquam posse saluari, nisi tandem ab hac liberẽtur: Mundana uero desideria sunt carnales concupiscentiæ, ut ambitionis, auariciæ, libidinis, iræ, inuidẽtiæ, odiorum, & similium, quibus homines seculi huius dediti atq; addicti seruiunt, ut est uidere in illis, qui sine fide in Christum agunt, impijs scilicet. Rursus, uiuere modeste, iuste et pie, cõtingit in his, q in Christum Iesum credunt. Est aũt modestiæ, coërcere quælibet praua desideria carnis, sobrium esse, honeste et decenter se gerere. Iusticiæ uero, neminẽ fraudare, suũ cuiq; reddere, ac ne quidem malũ malo retaliare,

pacientiam præstare in malo, & bono uincere malū, ita ut iusticiæ species depingitur Matth. 5. Rom. 12. Sed pietas complectitur timorem & fidem, ideo est basis & fundamentum omniū consiliorum, conatuū, operum & studiorum rectorū, & omnia facta nostra grata efficit deo, ita ut suprà ꝓlixe demonstratū est.

EXPECTANTES BEATAM ILLAM SPEM ET ADPARITIONEM GLORIAE MAGNI DEI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI.

Hoc est, expectantes rem illam speratam, quæ adprehensa & possessa beatos efficit. Ea uero est ipsa adparitio gloriæ Christi, quæ erit eius regnantis, nō humilis, ut prior illa oppreßi sub cruce, quia tunc iudex aderit uiuorum & mortuorum, uindicaturus se de aduersarijs suis, & glorificaturus, quotquot liberationem per ipsum expectant.

Speratur autem illa adparitio gloriæ Christi, seu expectatur adhuc, quia per fidem cognita, nondum est exhibita clara & perfecta manifestatione glorificationis iustorum, & cōdemnationis reproborum. de qua ita scribitur 1. Ioan 3. Nunc filij Dei sumus, & nondum adparuit id, quod futuri sumus. Scimus autem, quòd cum adparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et Rom. 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Est aũt spei natura, fidere ac niti solis promißionibus Dei, & futura adparitione gloriæ redemptoris Iesu Christi, ideo & certos atque securos efficit animos nostros de immortalitatis gloria poßidenda. Neq; enim fallit aut fallere potest Deus suis promissis, ac certum est uẽturum Christum in gloria, ut per ipsum glorificemur. Phil. 3. Nostra autem conuersatio in cœlis est. Vnde & saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humile nostrum, configuratum corpori suo glorioso secundum efficatiam, qua potest subijcere sibi omnia. De spei natura.

Huc pertinent ergo contiones de resurrectione mortuorũ, quales sunt Mat. 19. 25. Io. 5. 11. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. & Act. 3. uocantur tempora refrigerij, quæ his locis scripturæ de futura gloria iustorum per Christum scribuntur, et restitutionis omnium rerum.

Est autem hoc loco manifestum testimonium, maximeq; clarum, deitatis Iesu Christi. Cum enim Paulus describat adparitionem gloriæ Iesu Christi, mox adpellat eum magnum Deum, qui idem est uerus homo, una persona, constans duabus naturis & seruator noster. Magnum uero dicit, non ad differentiã alicuius alterius Dei, quàm si sint Dij plures, & alij quidam parui. Non est enim nisi unus Deus, & si filius est alia persona à patris persona, non tamen alius, sed idem Deus. Proinde magni adpellatio,

*non est comparatiuũ nomen hoc loco, sed quædam peculiaris nota potentiæ & maiestatis Iesu Christi, quam æqualem & eandem habet cum Deo patre.*

QVI DEDIT SEMETIPSVM PRO NOBIS, VT NOS REDIMERET AB OMNI INIQVITATE, ET MVNDARET SIBI POPVLVM PECVLIAREM, SECTATOREM BONORVM OPERVM.

*His uerbis elegantißime complexus est Paulus illud Christi, quo uniuersam gratiæ & bonorum operum prædicationem & doctrinam, tum caußam suæ mortis & glorificationis, una quoq; & breui sententia comprehendit. Luc. ult. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem in oẽs Gentes. Pœnitentiæ enim prædicatio & doctrina sita est in his duabus partibus, in contritione uidelicet, quæ est interna pœnitentia, & fidem præcedit. Et rursus in externa nouitate, quæ fidem sequitur, & nulla potest nisi per fidem in Christum præstari. Fides autem sanat contritionem, quæ in quibuscunq; uera est, eos efficit præcellenter studere operibus bonis, ut hæc omnia copiose exposita sunt ab initio secundi capitis de pœnitentia, & proxime de neceßitate bonorum operum in iustificatis, & legis abrogatione.*

*Testatur itaq; hic locus Christum esse precium redemptionis*

demptionis pro nostris peccatis. Fac ergo ualidißimam exclusiuam, hanc uidelicet, iusticiam operum legis seu rationis, aut cærimoniarum Papæ uel monachorum, aut deniq; rerum omnium, quæ sub cœlo nominari possunt, non esse precium pro peccato, ut possis statuere firmus in corde tuo, & concludere te per solam in Iesum Christum fidem iustificari à peccato, & saluari à morte. Neq; enim aliud nomen datum est hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 4 Et ipsi Domino Christo Iesu testimonium perhibent omnes prophetæ, q remißionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eũ. Act. 10. Et Paulus inquit 1. Timoth. 2. Vnus autem Deus, unus & mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, q dedit redemptionẽ semetipsum pro omnibus. 1. Pet. 1. Non auro uel argento redempti estis, sed precioso sanguine, quasi agni inculpati & immaculati Christi. Porro hanc salutem aliter non posse à nobis adprehendi, quàm per solam in Iesum Christum fidem, aliàs sæpe docui, & probatur ex his locis, qui testantur iustificationem nostri gratuitam esse, & huius gratuitæ gratiæ Dei fidem à nobis requirunt, ut Rom. 3. 4. &c. Recte itaq; affirmamus, nos sola in Iesum Christum fide iustificari & saluos fieri.

Illud, ut redimeret nos ab omni iniquitate, perinde est, quasi dicas à quouis peccato. Græce enim est

ἀνομία, uicium, quod complectitur quaslibet legis transgreßiones, tum internas, tū etiam externas. Ac testatur hic locus nos omnes esse peccatores & legis transgressores, peccatum damnabile, & transgreßiones morte & condemnatione æterna dignas habere, nisi nō simus redempti per Christū. Si enim redemit, ut redemit certe totum hominum genus, ab his uicijs & peccatis redemit, & à tantis transgreßionibus dignis æterna morte. Quæ omnia testantur nos habere peccatum in natura, uarijs transgreßionibus fructificans ad mortem. Redemit ergo peccatores filios iræ & mortis, ut qui credunt in ipsum, condemnari nequeant. Ro. 2. Nihil nunc dānationis est his, q sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.

Nam & à carnalibus affectionibus retrahimur per Christum, ne scilicet illæ usurpent sibi regnum et imperium, siue potius tyrannidem in nobis. Idcirco enim præmemoratis continuo adiectum est, Et purificaret sibiipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum, ut intelligas hanc alteram caußam fuisse, cur Christus sit traditus pro nobis. Ipse enim uoluit ac debuit pro officio Christi spiritumsanctum nobis mereri, qui nos ab interioribus inquinamentis uiciorum, peccati & transgreßionum emundaret, efficeretq; bonorum operum ex animo studiosos, id est, sectatores bonorum operum iu spiritu & ueritate,

te, ita, ut nemo studere bonis opibus potest, nisi cuius cor est accensum spiritu sancto, quem nobis Christus Dominus & seruator noster meretur atq; largitur. Hinc enim sunt illa ad Roman. octauo: Lex enim spiritus uitæ, (id est, gubernatio, quæ fit per spiritum sanctum uiuificantem interna cordium nostrorum,) in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati & mortis, propterea, quòd in intimis nostris ueram cordis pietatem format, & facit obedire legi.

Et hunc talem populum dicit Paulus peculiarem Christo esse, q.d. ꝓpriū, suū, hæreditariū, ut quē sanguine suo redemit, in quo rex esse uoluit, & regnare à mari usq; ad mare, uidelicet nō inter flagitiosos & scelerate uiuētes, nō magis certe q̃ inter incredulos. Et tales uelle Christū, pauloante copiose declaratum est, & ex illo 1. Cor. 6. pulchre colligere est: Nō estis ipsi uestri iuris, nā empti estis precio. Glorificate iā deū in corpore uestro, & in spū uestro, quæ sunt dei.

HAEC LOQVERE, ET EXHORTARE, ET ARGVE CVM OMNI IMPERIO. NEMO TE CONTEMNAT.

Hanc formam doctrinæ retineto, & flagitans exhortare, puta, si q cessent officiū Christianorū facere, ac uolēt tamē Ecclesiæ Iesu Christi mēbra esse: sin fuerit aduersarius doctrinæ Christianæ, seueriter redarguito illū. Ita.n. meo iudicio cōplexus ē hoc loco

tria illa, de qbus cap. 1. præcepit, q Episcopo adesse debeant, & q oporteat illũ in eis ualere & potẽtem esse, ut cum grauitate agat oĩa, nec patiatur se à quo quam contemni. Et talia precipit 1. Timoth. 4. &c.

## IN TERTIVM CAPVT.

ARgumentum tertij capitis non multum dißimile est argumento secundi capitis. Pergit enim dehortari nos Paulus ab ijs uicijs, quæ pugnant cum religione & profeßione uitæ Christianæ, monere etiam & hortari, ut contraria recte, iuste & decenter facta, quæ pietatem ornant, facere & operari instituamus & cõnitamur. Deinde, similibus omnino rationibus dehortandi à uicijs & pertrahendi ad officium utitur, qualibus usus est in secundo capite. Retinet enim apostoli & euangelistæ morem, non cõminatur horribiliter, sed per fidem gratiæ Domini nostri Iesu Christi inuitat nos ad debitam obedientiam. Quanquam nihil obscure significet condemnari, si qui manserint rebelles, cum ad eos gratia redemptoris Iesu Christi penitus nihil pertineat.

Sic ergo præscribit Tito rationes ac formas, & sub Titi persona omnibus Ecclesiæ doctoribus, qbus uti illos conueniat in prædicatione & doctrina bonorum operum, apud eos omnes, qui in Iesum Christum crediderunt. Eas igitur & nos, quos habet Ecclesia

ministros & concionatores retinere conuenit & imitari, & ne latum quidem digitum ab illis discedere.

Vt uero in secundo capite de officijs singularum personarum egit, ita in hoc tertio capite docet, quæ communi lege omnes Christiani præstare debemus, uidelicet ciuilibus magistratibus subditi esse, parere imperio & legibus eorum, & promptam atq; paratam obedientiam in omnibus exhibere, hoc est enim principibus & potestatibus subditum esse, & dicto magistratus obedire. Deinde alia addit, ut quod iubet docere, ut ad quodlibet bonũ opus parati simus, nulli conuicium dicamus, nõ simus litigiosi, sed commodi potius, seu benigni & suaues, exhibẽtes omnẽ mansuetudinem erga omnes homines: Postea subijcit in quibus & quantis uicijs hæserimus aliquãdo, utiq; natura, id est, uicio originalis culpæ, insipientes, immorigeri, errantes, & seruiẽtes desiderijs noxijs & uoluptatibus carnis &c. A qbus omnibus malis tandem docet nos per gratiã liberatos esse, et ablutos baptismate Christi, nunc gubernari à spũsancto, ut hoc modo iustificati, hæredes æternæ uitæ efficiamur.

Hanc formam doctrinæ Paulus Tito præscribẽs, præcipit, ut de illis affirmet tanquam certis & indubitatis, quibus fides habenda est, & mos gerendus, ideo mox attexit, ut qui credunt Deo, solliciti sint bonis operibus præcellere, quo & contemptum Dei de

precatur, et significat decere, quin potius necessariũ esse, ne sint ingrati per contemptum & rebellionem Deo suo Christiani. Huc itaq; pertinẽt ea omnia, quæ suprà cap. 2. exposita sunt, uel de tota pœnitẽtia, uel de traditionibus hominum in ecclesia, ubi scilicet regnare minimum debent, uel quæ scripsimus de necessitate bonorum operum in iustificatis & legis abrogatione, ut sine quibus nemo potest recte in doctrina & prædicatione Christiana uersari. Et hoc tempore magis, in quo uniuersa doctrina Christiana tam iacuit obscurata & oppressa, & ab aduersarijs papistis adhuc obscuratur & opprimitur.

ADMONETO ILLOS, PRINCIPIBVS ET POTESTATIBVS SVBDITOS ESSE, ET DICTO OBEDIRE.

Proinde hoc primo loco tertij capitis insigniter notabimus functionem ciuilis magistratus, imperiorum ordinationem & principatuum sublimitatem, esse iustissimam, sanctissimam, utilissimam & rebuspublicis ita necessariam, ut illa in terris omnino nequeamus carere. Quæ si recte intellexerimus, magis efficient, ut illum ordinem, sicut conuenit, & iustum, pium ac Christianum est, amemus, honoremus, & ordinationibus eius pareamus, contra furorem Anabaptistarum & aliorum, quos similes hac in re habent, ut qui imperiorum constitutionẽ damnant ac negant Christianum

stianum esse, qui principem huius seculi agat, nec licere Christianis, ut suam fidem iuramento illis astringant, qui regna & imperia in hoc mundo tenent. Libet igitur hoc loco paulum digredi propter istas impietates, & nonnulla seorsim contra eas scribere.

De necessitate & commoditatibus imperiorum & ciuilis magistratus.

Vt ergo parentum autoritas est sacrosancta, honorabilis, iusta, pia, utilis & necessaria, ita autoritas regum in his terris, & principum seu ciuilis magistratus, nam etiam succedunt in locum parentum, & uicem Dei in terris gerunt. Ideo sunt ordinata & legitima potestas, quibus propter Deum oportebit obedire. Qua etiã causa ipsis nec licet pro cupiditatibus suis imperare, sed certis legibus moderari respublicas debent, et commoditatibus illarum seruire, nec conari aliud, nisi quod iustum, rectum & pium est, adeóque gloriæ Dei seruit, cuius agunt ministros, in quo est summa laus magistratus, uidelicet ita ministrum diuinæ uoluntatis esse, ut dixi. Quomodo igitur non essent iusti, utiles, optabiles & rebuspublicis necessarij, & quis bonus uir imperijs & constitutionibus eorum, qui agunt ciuiles magistratus, non libenter obsequeretur?

Ordinatio itaq; imperiorũ, res bona est & necessaria, & principes debent amari à nobis. Quòd etiam

merentur multis beneficijs, quæ præstant in Remp. Debent etiam timeri, ne constitutiones eorum uiolemus. Quicquid enim huius fit, id redundat tandem in Deum, qui sui contemptum non feret. Et ipsi quoque magistratus sui & legum suarum contemptum ulcisci debent propter ordinationem Dei, quæ uiolari non debet. Itaq; honorabimus Christiani ciuiles magistratus promptißima obedientia & summa gratitudine. Peccant enim grauißime, qui hoc non faciunt, effrenes & rebelles, & gloriam magistratus deformantes. Nec possunt, qui tales sunt, salui fieri coram Deo, nisi ualde pœnitentiam agãt, & conuertantur ab hac sua iniquitate, facientes deinceps officium bonorum ciuium.

Nam rebellem esse magistratibus, est Deo repugnare, quod nemo qui facit uel adprobat, excusabit aut defendet coram Deo à mortali delicto. Quod aut relinquẽdum est & mutandum meliore instituto, aut faciet reum æternæ mortis. Quod etiam Paulus intelligit, ubi iubet obedire magistratibus ex neceßitate, non solum propter iram & ultionem, quam exercẽt magistratus in cõtumaces & rebelles, sed & propter conscientiam erga Deum. Res enim conscientiæ spectant ad solum Deum. Nec potest quisquam retinere aut tueri bonam erga Deum conscientiam, teste Paulo, qui potestati resistit, nam Dei ordinationi resistit,

ſiſtit, ut idem apoſtolus inquit. Igitur Deum ipſum in magiſtratibus honoremus & timeamus, idq́; ex illa tanta neceſsitate, propter retinendam bonam conſcientiam erga Deum, ne ipſimet Deo repugnare uideamur. Quod quiſquis facit ſine pœnitentia et ſine correctione ſui, quomodo ſaluus fiet? Et puniendos eſſe tales etiā hic in terris à magiſtratibus uoluntate dei, iam ex ipſiuſmet Pauli & Petri apoſtolorum Ieſu Chriſti uerbis diſcemus.

Paulus itaq; ad Rom. 13. hæc ſcribit. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Quæ uero ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Itaq; quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt terrori bene agentibus, ſed male. Vis autem non timere poteſtatem, quod bonum eſt facito, et feres laudem ab illa Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum. Quòd ſi feceris id quod malum eſt, time. Nō enim fruſtra gladium geſtat, nam Dei miniſter eſt, ultor ad irā ei, qui quod malū eſt, fecerit. Quapropter oportet eſſe ſubditos, non ſolum propter iram, uerum etiam propter conſcientiam, propter quod & uectigalia ſoluitis. Siquidē miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incumbentes.

Petrus uero 1. Pet. 2. de eadem obedientiæ noſtræ neceſsitate, & utilitatibus magiſtratus in hunc modū

ſcribit: Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue regi, tanquam præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſsis. Ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentiũ, quia ſic eſt uolũtas dei, ut benefaciẽtes obmuteſcere faciatis imprudẽtiũ hoĩm ignorantiã, quaſi liberi, & nõ uelamen habentes maliciæ libertatẽ, ſed ſicut ſerui Dei.

Satis, opinor, liquet ex his teſtimonijs apoſtolorum Ieſu Chriſti, ordinationem ciuilis magiſtratus & imperiorũ in terris eſſe ſanctam, iuſtã, utilẽ ac neceſſariam, quia eſt à Deo in hunc bonum finem conſtituta, ut homines noxij puniantur & coërceantur, & boni defendãtur, pax & rerumpublicarum tranquillitas conſeruetur. Hæc uero perturbantes arceãt, bellis & alijs pœnis. Quos idcirco & propter hanc uoluntatem Dei honorare debemus, & timere, imperijs & legibus eorum ſubditi eſſe, non deeſſe illis auxilio noſtro, ſiue belli, ſiue pacis temporibus, quia per tributorum ſolutionẽ miniſtrare illis debemus, & in ſubſidijs armorum.

Hunc uero honorem et reuerentiam nos deo debere, Petrus clare ſignificat, ut ex ſuprà citato teſtimonio patet. Cum enim imperiorum conſtitutio ſit ordinata à Deo poteſtas, ut Paulus docet, manifeſta ratio eſt, quòd dicto magiſtratus obedientes Deum ipſum honorant, & hunc noſtrum honorem erga ciuiles magiſtratus

gistratus, nos ipsi met Domino Deo nostro debere, qa ipsa ordinata potestas magis est Dei, quàm homi num potestas, sicut dicitur 2. Paral. 19. Non enim ho minis exercetis iudicium, sed Dei. Et quoniam prin= cipes sunt ministri à Deo ordinatæ potestatis, etiam Dij adpellãtur, ut psal. 8. Ego dixi, Dij estis. Quapro pter obedientiam & honorẽ, quem poterimus, maxi mum illis præstemus, honorantes in eo Deũ nostrum. Nec alia erit pia aut Christiana obediẽtia, nisi quam præstiterimus ex horum omnium fide & timore dei.

Atq; utinam homines intelligerent, quæ hic loquor, & imprimis ipsi ciuiles magistratus suã dignitatem diligenter considerarẽt, nam in tantis negocijs & re rum difficultatibus, quibus obruũtur, qui gubernant respublicas, maiorem diligentiam, fidelitatem & pa cientiam præstarent. Viderent enim sibi maxima & splendidißima fidei exercitia & timoris erga Deum proposita esse, & se posse multipliciter deum honora re & colere, nempe seruire proximo, ut more scri= pturæ loquar, et de tota republica bene mereri, pa= tres patriæ esse, et præcellenter Christiani, si fidem in dominum Iesum simul retinerent. Nec enim omni bus tanta fidei exercitia sunt obiecta. Ipse uero po pulus timens Dominum, & magistratus honorans, multas cõmoditates deriuaret in rempublicam, quia DEVS uicißim honoraret illam multis corporali= bus fœlicitatibus, & à calamitatibus & plagis

contrarijs liberaret eã, sicut dicit dominus 1. Reg. 2. Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, confundentur.

Ipsi igitur magistratus, cum officium suum faciunt, caute obseruent, ut omnia dirigant ad gloriam Dei, & ad utilitatem publicam. Quærant profectum rerum publicarum & communis utilitatis, nec chariorem ducant hanc suam uitam, quàm illam dei uoluntatem facere, diligere proximũ, eiq́; seruire per rerum publicarũ custodiã illam & conseruationẽ. Cogitent q; suorum consiliorum & factorum sint aliquando rationem reddituri deo. Rursus populus, cui necessitas incumbit obedientiæ, uideat, ne conscientiam oneret multis grauibus delictis coram Deo, si fuerit rebellis ordinatæ à deo potestati, q̃a ista peccata & terrores, quos hæc excitant in conscientia, oĩm difficillimũ est uincere sine desperatione æternæ salutis. Videndum etiam magistratibus, ne licenter aut tyrannice imperent, & sua culpa faciant rebellem, leuem & inconstantem populum, quod dolemus factum sæpe. Non tribuant sibi infinitam potestatem, qua, quiduis homini libet liceat, sed quod iustum est & rectum coram Deo, reipublicæ utile & necessarium.

Vindictã magistratus esse præceptam.

Quanquam autem ex his, quæ supra citauimus, testimonijs Petri et Pauli abunde patuit magistratus uindictam esse à Deo præceptam, tamen cũ quidam damnent

damnent magistratus, quasi exerceant uim iniustam, uidendum est, ut nostra copiosius muniamus & confirmemus, quæ probent illam magistratus uindictam iustam coram Deo & rectam esse, atq; adeo præceptā à Deo. Itaq; præceptā esse, probat illud Gen. 9. Quicunq; effuderit humanum sanguinem, & per hominem fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Sed oportet hāc ultionem fieri per legitimam potestatem, ut intelligamus magistratus uindictam probari tantum, quia alioqui & priuata uindicta licita esset, quā constat tamen prohibitam esse. Non ergo cuiuis quiduis licet in hominem, ac ne magistratibus quidem, nisi quatenus noxios puniūt, quod faciunt iubente Deo.

Rursus alia scriptura dicit: Mea est ultio, & ego retribuā. Deut. 32. Sed cum Deus adprobet aliquam uindictam, quæ per homines exerceatur, quod prius demonstratum est, necesse est eam uindictam & ultionem esse, quam exercent legitimi magistratus, ad hoc uidelicet ordinati atq; constituti à deo, ut illam exerceant. Eoq; & magistratus uindictam, proprie Dei uindictam esse, quam illi scilicet ut ministri exercēt, reddentes scilicet malis debitam mercedem, hoc est, dignas & promeritas pœnas, & defendentes innocentiam iustorum. Tyrannidem tamen & uim iniustam, id est, quæ exercetur in innoxios, hæc nihil ex

cusant, sed damnant magis. Et nos loquimur cũ scriptura de iusta & legitima magistratus uindicta.

Nec licet somniare, hanc legitimam et iustam uindictam, & has sontiũ pœnas per Euangeliũ abrogatas esse, nam etiamsi Mosaicæ constitutiones oẽs sint abrogatæ, tamẽ in Euangelio docetur sontiũ pœnas oportere durare, sicut liquet ex illo Christi Mat. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribũt. Hoc enim de iure dixit Christus, tametsi ꝑ clementiam misericordiæ dei defensus sit Petrus. Et Paulus inquit: Lex est iniustis posita. Nam cũ isti oẽs leges contemnant, sentit coërcendos esse sic iniustos, & certis ac debitis pœnis retaliandos, quales & lex Mosi in sontes cũstituerat in hac talionis lege. Exod. 21. Reddet animam pro anima, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionẽ pro adustione, uulnus pro uulnere, liuorẽ pro liuore. Et hæc oĩa hi loci, quos suprà citaui ex epistola ad Ro. cap. 13. & ex priore Petri cap. 2. confirmant.

Et Ioannes baptista in prædicatione pœnitentiæ militibus loquẽs, & iubens illos cõtentos esse stipendijs suis, significat militum officium non impium esse, sed adprobari à Deo, nam alioqui damnare debuisse, sed relinquit illos in officio. Nec deprecatur, nisi uim iniustam, & insidiosam circunuentionem. Sequitur itaq; totius ciuilis magistratus ordinationẽ Deo

probari

probari, & sontium pœnas, & bella, per quæ uis in iusta coërcetur. Erant enim milites Romani illi, quibus locutus est Ioannes, qui in ciuitatibus Iudææ iudicia exercebant, & foris bella gerebant.

Sed obijci solet multos potestate abuti, et latrocinia uerius exercere quàm iudicia Domini, esse crudeles, officij negligentes, sæuire plerunque in innoxios, & noxios relinquere impunitos, fraude ac scelere occupare imperia, & huiusmodi alia, quæ solent exaggerare multi. Quibus respondemus, nos de ipsa potestate loqui, non de uicijs hominum, nec probare tyrannides. Potestatem iniuria damnari, etiam si sint, q abutātur ea, nam alioqui ipsam quoq; Euangelij administrationē damnabis, consideratis uicijs auariciæ & ambitionis Pontificum, episcoporum, & aliter præsidentiū in Ecclesia. Remoue igitur hæc personalia uicia principum, quæ plerunq; euenire sinit Deus in pœnā propter ingratitudinē & peccata nostra, & inspice ipsam ordinationem, quam oportet cōfitearis à deo esse, esse itē sanctā, iustā, bonā, utilē & rebuspublicis necessariā, ut antea docui. Peccant igitur, q hoc modo responsant. Nec sane nisi ipsi Deo obloquūtur, reprehēdentes eius bonas ordinatiões.

Comminatur deus operationes erroris & impietatis in pœnam nostri peccati, ut uidere est ex illo 2. Thess. 2. Ideo mittet illis Deus efficacē imposturā, ut credant mendacio, ut iudicentur oēs q nō credide

runt ueritati, sed consenserũt iniquitati. Ita etiam euenire pmittit Deus, ut ciuiles magistratus sæpius peccent, & plurima non legitime faciant, neq; utiliter, sed crudeliter, iniuste &c. sed in pœnam nostri peccati & ingratitudinis. Igitur emendemus nos omniũ primo, & corrigamus uicia & peccata nostra, & erit Dominus nobiscum. Et in ipsis magistratibus timeamus Deum, siue boni fuerint, siue mali. Cui etiam relinquendi sunt & iudicãdi, si mali fuerint. Hæc qui serio expendũt, mitius iudicabunt de quorundam tyrannide, & nunquam resistent potestati, neq; aliter sentient, quàm permißione Dei fieri, si quid peccent magistratus, & quidem in nostri admonitionem & correptionem.

Solet etiam obijci, q̃ Christus prohibeat se ulcisci de iniuria, dicens: Ego dico uobis, ne resistatis malo &c. Matth. 5. Recte, sed magistratus est officij, & publica uindicta non se ulciscuntur, sed respublicas. Et quidem propter hanc maximam caußam, ut pacem horum temporum, & alia corporalia commoda alijs conseruent. Christus autem priuatis loquitur, et priuatam illam uindictam damnat, quam suadet ira, odium, auaricia, & similes noxiæ cupiditates. Publicam illam magistratus uindictam, quæ legitime exercetur, non prohibet, imò præcipit, ut alia q̃ ad promouenda publica cõmoda, per dilectionis legẽ fiunt,

aut sunt facienda. In summa, has necessarias ordinationes Dei adprobat & confirmat, sed tyrannides non adprobat, & si suadeat ferendas. Quapropter et timenda est magistratibus illa uox Pauli Col. 3. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit, et non est personarum acceptio. Timenda, inquam, ne cui uim cũ iniuria faciant. Et boni magistratus hãc uiolentiam omnibus modis cauebunt, fugient et declinabunt. Nihil enim licet magistratui contra mandata Dei, nihil in fortunas ciuium contra charitatem, et præter necessitatẽ, sed oĩa pro gloria Dei, & rerum publicarũ cõmoditatibus incremẽto & cõseruatiõe.

Breuiter, finis ultimus magistratus constituti in his terris, qui etiam potest nobis reuerentiam & amorem erga illum augere, est defensio bonorum ciuium, ut cum pace illi & tranquille uiuere possint. Et hunc finem attingit Paulus 1. Timoth. 2. ubi iubet precari pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus cum omni pietate et grauitate. Item Hieremias, Hier. 29. Quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare uos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax uobis. Sub hoc fine cõprehendi defensionem omnium corporalium facultatum & bonorum, domus, agrorum, pecoris & similium ad hanc corporalem uitam necessariorum. Ad hæc, pu-

*dicitiæ coniugum, & honestatis liberorum. Item bonam famã, ut quæ oĩa illi ex officio nobis defendunt, quibus propterea honorẽ debemus & gratitudinẽ.*

*Honorem autem hunc præcipuum, quo agnoscamus magistratus à Deo ordinatos esse, & mentes eorum diuina sapientia gubernari. Similiter defendi illos à Deo, ut utrunq; præstare poßint, & sapientia gubernare respublicas, & potentia tueri contra latrocinia, & quæuis alia mala. Hic honos efficiet nos precari pro magistratibus, & petere, ut Deus pacem concedat per illos, seruet bonos principes, et dirigat eorum corda in gloriam suã, & publicæ utilitatis defensionem. Hinc etiam libenter nos consilijs & imperijs eorum committemus, eò, q, nos gubernant, ut dictum est, diuina sapientia, & diuina potentia protegunt, ita ut sapientia Dei de se prædicat Prouerb. 8. Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iusticiam &c.*

*Ita ergo Deus officia magistratus nobis commendat, & ostẽdit sua esse, quo magis amemus, timeamus & reuereamur. Abstineamus à contemptu, à seditionibus & similibus malis. Hæc enim accelerant uindictam & ultionem, iuuante magistratus Deo, & urgente pœnas. Quapropter etiam existimandum est,*

iram

iram iustam magistratus, esse Dei iram, de qua nimirum oportet intelligere illud Prouerb. 20. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis. Qui pruocoat eũ, peccat in animam suam. Sed est reliqua quædam & summa laus alia magistratus, tueri uidelicet religionem, & gloriam Euangelij & Christi propagare, nam hoc quoque officium regum esse, testatur illud Esaiæ 49. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Hic enim locus significat semper fore principes & reges, qui Euangelij gloriam in Ecclesia promoueant & propagent, & quantũ in ipsis est, defendant. Et scriptura præterea laudat aliquot bonorum principum exempla, q̃ religionem defendissent, & instituerant, qui pietatem docerent.

Et hæc hactenus de magistratibus, commoditatibus & necessitate illorum, quæ libuit copiosius prosequi, ut in omnibus nobis augeãt præceptam reuerentiam erga magistratus, & ut fidem illis diligenter et religiose obseruemus, necessario & pio iuramento promissam. Non iuratur enim, nisi pro conseruatiõe impiorum contra latrocinia, seditiones & huiusmodi alia mala. Ac constat Deum requirere, ut conferamus omnia studia nostra ad conseruationem impiorum et suarum ordinationum, atq; idem odit latrocinia, seditiones &c. Quapropter etiam amat illa promissa & iuramenta, quæ per eius nomen præstãmus, ut impe

ria & magistratus conseruentur, & aduersantia mala distruantur. Licet ergo uti iuraměto, quod defert magistratus, nec licet solum, uerum etiam pium est, & iustum uti.

AD OMNE OPVS BONVM PARATOS ESSE.

Hoc quorsum dictum sit, tum quibus operibus, et quō bonis coli à nobis Deus mereatur, hactenus frequenter expositum est, & in illius expositione adhuc uersor. Curabunt itaq; episcopi, ut Ecclesias admoneant sedulo, ne unquam uacět ab operibus bonis. Nullo enim tempore desunt occasiones bene operandi, et qui frigent ac cessant in bene operando, nō minus periculoso loco sunt atq; q facinoribus indulgent. Lex enim utrunq; agit, prohibet facinora, & præcipit de recte factis. Hinc est, quòd neglectus officiorum charitatis & aliorū operum præceptorum, tam est peccatum coram Deo, quàm sunt peccata damnabilia, latrocinia, cædes, adulteria, furta, rapinæ, mendacia, proditiones & conuicia in proximum dicta. Lege autem de neceßitate dilectionis Matth. 25. Luc. 10. & eam, quæ est Ioannis inter canonicas prima, per totum. Item Esa. 1. 58. Oseæ 6. &c.

NEMINI CONVITIVM FACERE, NON LITIGIOSOS ESSE.

Duo uicia hic connectit paci & humanæ societati

imprimis infesta, & pugnantia cum dilectione, nec rara in uulgo, imò ita uulgata, ut uix aliud æque uulgatum & commune, cum tamen sint talia, ut nisi derelinquantur, & per pœnitentiam corrigantur, reos efficiant æternæ condemnationis, quot quot ea habent: Ac satis intelligi ex hoc loco potest, quod in ipsis quoque primis Christianis, iam nascentis Ecclesiæ, Paulus hæc uicia persenserit. Ita enim sumus carnales, et nunquam omni ex parte perfecti, et sæpe præoccupamur à Diabolo. Sed nostris his temporibus uidentur plenum imperium in plerisque obtinere, atque ita, ut à plurimis, ne quidem pro peccatis habeantur, cum sint reuera mortalia delicta, & excludant noxios his uicijs regno gratiæ Dei & hæreditate æternæ uitæ.

Quapropter cautius fuerit agendum nobis, si sapimus, & si uerbum Domini apud nos locum habet, Et cauenda erunt tanta peccata, in quibus tam displicemus deo, ut etiam manentes in eis, sine pœnitudine et correctione, atque emendatione sui nunquam queant saluari. Prius est maledicentia, alterum complectitur lites, iurgia, rixas & contentiones, quæ in idem ferè recidunt. Dicamus autem seorsim de singulis horum:

De maledicentia.

Est ergo maledicentia uicium eorum, qui spargunt de alijs sermones, quibus famam illorum lædunt, aut detrahunt aliorum existimationi, plerunque ex so

lo animi morbo, quo acerbitate criminationis delectatur, et uanitate conuiciorum. Ita sunt enim multi, in quibus nascitur hoc uicium ex sola naturæ malicia & uanitate, cum nullam prorsus habeant caußam maledicendi, sed tantum delectet eos alijs detrahere, & male loqui de alijs. In alijs habet caußā nonnunquam ipsam inuidentiam & dolorem ob successum & prosperitatem in alienis fortunis, uel ambitionem, in qua certatur de eodem honoris gradu. Sunt deniq;, q per adulationem in quorundam gratiam, in alios cōuicia dicant, aut quibusdam alijs de caußis.

Vitium autem est tetrum & noxium, & multis modis indignū his qui profitentur fidem in Christum Iesum. Quid enim pinde aduersatur dilectioni, quam Christiani inuicem debemus per dominū Iesum Christum? Exponit autē beatus Iacobus prolixe, quæ mala frequenter alijs conflet conuiciatrix lingua. Inter alia enim scribit Iacob. 3. Omnis enim natura bestiarum, & uolucrium, & serpentium, & cæterorum domatur, & domita est à natura humana. Linguā autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum, plena ueneno mortifero. Significat itaq; multis noxiam esse maledicentiam, in morem mortiferi ueneni:

Ac fit ferè, ut quæ reprehendunt in alijs maledici, ijs intra se ipsi abundent præ alijs, ut sit grandis cæcitas, & deplorata quædam & incorrigibilis impietas

in

in hoc uicio, ſcilicet non uidere crimen, quod in te habes, aut diſsimulare & nolle uidere, & idipſum in alijs carpere & cauillari. Siue potius mendacia de alijs ſpargere, ubi non habes uicia, quæ in illis traducas. Deteſtabile hoc eſt adeo, ut omnes boni merito oderint, quod deus omnibus modis execratur & damnat, iuxta illud Chriſti Matth. 7. Quid autem uides feſtucam in oculo fratris tui, et trabem, quæ eſt in oculo tuo, nõ uides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam de oculo tuo? & ecce trabs eſt in oculo tuo. Hypocrita, eijce primũ trabem de oculo tuo &c. Exemplum autem huius petulãtiæ habes in hypocrita quodam phariſæo. Luc. 18

Et quoniam iſtius uicij præcipua cauſa eſt ignorantia ſui, & odium proximi fratris, attendere debemus, ne nimium placeamus nobis, & innocentiã tribuamus, ubi habemus nullam. Vere enim beatus Iacobus dixit: In multis offendimus omnes. Iacob. 3. Sciamus etiam odium & inuidentiã eſſe præcipuã quandam peſtem pietatis, nam ueri iudicium et intelligentiam peruertit. Imò ex odio fit, ut homines data opera diſsimulent aliorum recte facta, & ea ſolum retrahant, accuſent, exaggerẽt, reprehendant ac damnẽt, quæ aliqd uicij habere uidẽtur, cũ ea tegere deberent p charitatẽ Chriſtianã et alia facta bona prædicare in excuſationẽ fratris, ſiue ad ædificationẽ aliorum.

Tales igitur ingenium & naturam Diaboli pro priissime referunt calumniatoris omnium primi & praecipui, & certo signo & testimonio declarant, se in oibus aliis quoq; nō agi, nisi Diaboli spiritu, à quo scilicet captiui tenentur. Nec possunt utiq; salui fieri coram Deo, ut etiam Paulus inquit 1. Cor. 6. Male dici regnum Dei non poßidebunt. Et Ioannes ita scribit 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quòd omnis homicida non habet in se uitam aeternam manentem. Mature igitur corrigi haec impietas debet ab omnibus, qui suae salutis rationem habent, sicut inquit Christus: Nolite iudicare, ne iudicemini.

Modum uero corripiendi & castigandi aliorum uicia & errata tradit Christus Matth. 18. & Paulus Galat. 6. Quos locos etiam huc facerē transcribi, nisi prolixiores essent, & omnibus satis cogniti. Meminisse tamen debemus, non esse maledicentiae uicio tribuendum, si qui ex officio aliorum errata, uitia et peccata reprehendant, & acerbius quoq; carpant, ut contionatores uerbi Dei, si tamen modum exempli Christi & apostolorum seu prophetarum retineant. Nihil ex odio dicant, sed uel studio gloriae Dei, uel ut castigatos emendent. Similiter, si iudices officium facturi, retrahant aliorum crimina, & accusari faciant atque damnari.

In summa, damnabilis maledicentia est, uel extra iudicium ordinatum & præceptum à Deo, aut extra contionem, qua agitur à doctore Ecclesiæ de necessitate pœnitentiæ, aut deniq; extra castigationem familiarem & amicam, qua per dilectionem aliorum errata emendantur, male de alijs loqui, acerbius interpretari quædam aliena uicia, uel ex solo animi morbo et uanitate conuicijs insectari alios.

De litibus & contentione:

Porrò lites & contentiones coniunctæ sunt priori uicio. Feruent enim cõtentiones, ubi præualuerũt liuidorum morsus & criminationes, & ubi regnant æmulationes, inuidentia, odium, ambitio, auaricia et similes morbi, à quibus abesse nequeũt maledici, qui ferè & aliorum animos incendunt, ut cum alijs rixentur & contendant.

Et ut lites seu contentiones alicubi nullam talem caußam habeant, ut cum uidentur quidam se per lites iure & neceßitate ipsa coactos tueri, tamen cõtentio ita habet, ut semper plus damni adferat quàm lucri retineat: Mansuetudo uero & pacis atq; concordiæ sarciendæ studium utilißimum est, etiam ad corporales facultates retinendas et augendas, sicut Christus inquit Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi hæreditate accipient terram.

In contentione uero, præterquam quod est per se

mortale peccatum, & multa alia uicia mortalia eam sequantur, sunt præterea multa grauia damna & amißiones corporalium facultatum plurimarum ex ea sequuntur, quod experientia testis omnes docet, & rerum usus quotidianus. Hinc etiam inimicitiæ tales frequenter nascuntur, ut desperandum sit de sarcienda concordia, quod quàm periculosum sit apud Christianos non ignaros uoluntatis Dei, quid attinet dicere? Oriuntur nonnunquam & cædes inde, quòd quidam nimis indulgent uicio contentionis. Et hæc mala omnia significat Paulus illo ad Galat. 5. Quod si alius alium uicißim mordetis & deuoratis, uidete ne uicißim alius ab alio consumamini.

Magis autem noxia est contentio, cum feruet inter eos, qui gubernandis Ecclesiis præfecti sunt. Quod multis horrendis exemplis didicimus nostro seculo, quibus litigatur à doctoribus adeo, ut multi ꝑ importunitatem contentionum alienentur à studio Euangelij discēdi. Docui uero suprà, q̄d liceat his, qui causæ Euangelij uere & ex animo patrocinantur contra illius aduersarios, quibus oportet os obturare. Quod & Christus & prophetæ & apostoli sibi sumpserūt facere, et fit necessario à pijs & uocatis doctoribus, ubi sunt sunt, qui sanæ doctrinæ Domini nostri Iesu Christi contradicunt.

De alijs itaq; quibusdam loquimur, quos sola ani

mi

mi libido incitat, & priuatum odium, priuata caußa auariciæ & honoris cupiditas, ut in alios sæuiant, contentiones & rixas augeant, & hæc peßima scandala Ecclesiæ Christi obijciant. Quos illa uox Christi absterrere & retrahere debuit, quæ est Matt. 18. Qui offenderit unũ de pusillis istis, qui in me credũt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.

Caute igitur obseruemus omnes, ne cui Satan imponat, concordiæ & pacis hostis, & per contentiones, lites & iurgia auferat à nobis & fidem noticiæ Christi, timorem Dei, dilectionem proximi, & per consequens æternam uitam. Vbi enim contentiones feruent, ibi necesse est abesse timorem Dei, & charitatem amitti, quibus amißis & fides extinguitur, ac perit contentiosis promißio æternæ uitæ. Non enim odium cum charitate simul existere potest, et ubi odiunt inter se homines, euidẽs signum est spiritus fidei in Christum & timoris Dei amißi, quia est pacis & mansuetudinis spiritus, & omnium piarum actionũ. Infidelitas autem & contemptus Dei punitur æterna morte, etsi ipsa quoq; uicia, de quibus loquor, per se illam mereantur, grauius tamen punientur, qui occasionem salutis, quæ præbita est eis, per incredulitatem ex uicio morborum animi spreuerunt.

Facit autem & Paulus catalogum quendam uicio

rum carnis in epistola ad Gal. cap. 5. in quo & hæc sequentia numerat, uidelicet inimicitias, contentiones, æmulatiões, rixas, iras, dißẽsiões, inuidẽtias et sectas, & dicit, ꝙ qui in illis sunt, nequeant fieri hæredes regni Dei. Hæc autem ferè sunt coniuncta, & contentiosis omnia adhærent. Sunt autem inimicitiæ, uel operta uel manifesta odia & insidiæ. Contentio autem, est litigium, uel auariciæ, uel ambitionis, siue alterius morbi uicio & culpa. Aemulationes autem sunt contentiones, quibus certatur in honoris ambitu, siue cum aliter efferri alius supra alium affectat & quærit. Iræ uero, sunt animi commotiones, & uehementes concitationes uersæ in furorem, ex cupiditate uindictæ. Rixæ autem sunt ex actionibus cõtentiosorum, in quibus nemo contentiosorum alij cedit, ne ad latum quidem digitum. Ideo inter tales difficillimum est, pacem & concordiam restituere. Dissensiones quoque nihil absunt à rixis, & sunt eorum, qui amarulẽtis iurgijs inter se concitati, alius in alium debacchatur. Inde autem existunt sectæ, nusquam perniciosiores, quàm in Ecclesia: Videmus autem in his omnibus uicijs multos immodice laborare, quæ excludunt tamẽ illis obnoxios ab hæreditate æternæ uitæ.

SED COMMODOS, OMNEM MANSVETVDINEM EXHIBENTES ERGA OMNES HOMINES.

Prioribus duobus uicijs duas contrarias uirtutes opponit. Prior est, ἐπιείκεια, æquitas, uirtus, qua omnia benigne & commode interpretamur, hoc est, aliorum dicta et facta etiam in speciem mala commoda interpretatione lenimus, & plurimum cõcedimus aliorũ affectibus, multa ignoscentes, nec ubiq; ius nostrum uiolenter tuemur, quin etiam cedimus de iure, tranquillitatis publicæ caussa. Igitur maledicẽtiæ opponitur & contentioni. Vtraque enim uicia hæc corrigit & emendat.

Eodem facit & mansuetudo, cuius nos significat debitores esse erga omnes homines. Dilectio enim debitores facit, quam præceptam esse, nemo ignorat. Dilectionem etiam nos debere omnibus, sine discrimine, bonis, malis, amicis, inimicis, gratis, & ingratis, liquidißimum est, ex his, quæ Christus præcipit Matth. 5. & Paulus Roman. 12. de dilectione. Mansuetudo autem, species dilectionis, quæ græce à Paulo dicitur πραότης, cõmoditas quædam est & dulcedo in omni nostra cõuersatione, quæ facit, ne simus duri, inclemẽtes, asperi, morosi & intractabiles, sed humani, qui facile aliorum erratis ignoscamus & condonemus, si qua in re nos læserũt. Item, toleremus iracundos, & cedamus eis.

Aduersatur itaq; & hæc ipsa mansuetudo criminι maledicentiæ, tum contentionibus & rixis. Hanc

uero mansuetudinem & lenitatem ita prædicat nobis Paulus Col. 3. Supportātes inuicem, & donātes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Christus donauit nobis, ita & nos. Itē ad Rom. cap. 12. Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et Dominus ipse in Euangelio, ut est Matth. 5. Ego dico uobis, ne resistatis malo, sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicunque te angariauerit mille passus, abito cum illo & alia duo.

Vtrum liceat in iudicio caußam dicere, & se ab iniuria defendere.

Videmus itaq; non damnari solū maledicentiam, contentiones & lites, uerum etiā præcipi æquitatem & mansuetudīnē, quo aliorum iniurias nobis illatas etiā toleremus pacienter, & quasi dißimulemus, tum his similia alia officia dilectionis faciamus, ut iam dictū est. Sed quæritur huius doctrinæ occasione, utrū liceat Christiano contendere in foro, & quicquid ablatum est ei, siue debitum, iure politico repetere, & ulcisci & uindicare de iniuria. In summa, contra uim iniustā caußam dicere, accusare aliquem, & se ab iniuria defendere.

Sane ex his, quæ proxime citaui, testimonijs Christi & Pauli abunde claret, requiri à Christianis, ut sint prompti atq; parati ad tolerandum quamuis iniuriam, atque ut malint duplicatam ferre & pati, quàm uel minimã regerere, aut se ulcisci de iniuria. Et tamen oportet huius sententiæ aliquam mitigationem quærere, qua constet, q ordinata uindicta posit Christianus uti, & auxilium magistratus contra uim iniustam implorare, quia ipse quoque Christus caußam coram Pilato dixit, ut se illi innocentem probaret, ut liquet ex his, quæ sunt Ioan. decimo octauo. Declarauit enim se ex improba calumnia põtificum accusari, confessus præterea ac protestatus, regnum suum non esse ex hoc mundo. Et Paulus Cæsarem ad pellauit, quum uideret ex quorundam fraudulentia, & cum iniuria secum agi. Sed hæc exempla uidentur hoc solũ probare, quòd ille, qui reus agitur, iam protractus in iudicium, posit respondere, & iniquam accusationem depellere. Difficilior itaq; quæstio est, utrum liceat accusare & queri de iniuria, & auxilio magistratus illi resistere.

Mea hæc responsio et sentẽtia est, posse Christianũ hoc auxilio magistratus & ordinatæ uindictæ uti. Quia licet nimirũ ordinationibus dei bonis, sanctis, iustis, utilibus & rectis, qualis est illa ordinata potestas ciuilis magistratus, uti. Suprà enim prolixe do

cui, quòd magistratus secularis, & ciuiles cõstitutiones illæ legitimæ, sunt bonæ ordinationes Dei, honestæ & utiles Reipub. nihil uicij habentes. Quin etiam neeessariæ, non tantum ut facinorosi puniantur, uerum etiam ut boni defendantur, quod est, ut pio & iusto auxilio magistratus utãtur. Ac nisi liceret illius auxilio & protectione uti, nec magistratus solum, quanquam bonus & necessarius, uerum etiam ipsemet Deus per suas ordinationes, tametsi sanctas, bonas, utiles et necessarias, deseruiret homini ad peccandum. Sed hoc blasphemum est, uel cogitare de Deo, & ordinationibus eius. Oportet igitur, ut grauißime errent, & iniurij sint in magistratus & bonas ordinationes Dei, qui negant, q homo poßit auxilio illo legitimo ordinatæ potestatis uti. Cũ aũt sit res prorsus libera, hoc auxilio magistratus uti, et Christus præcipiat, ut perferãt Christiani quaslibet iniurias, idq; contra priuatam uindictam, quam et apostoli deprecantur, Paulus Rom. 12. et Petrus, 1. Pet. 2. Melius faciunt ac tutius, qui quaslibet iniurias tolerant cum pacientia Christiana, ac prorsus dißimulant, et malum bono uincunt. Sed rursus melius faciunt, qui se defendũt auxilio magistratus contra uim iniustam, quàm si priuatim de iniuria sese ulciscantur. Quin etiam tunc præceptum est, auxilio magistratus potius uti, quàm recurrere ad uindictam priuatam. Si

perferre

*perferre ac tolerare alioqui nequeas, aut non debeas uim iniustam, ut, si pudicitiam uxoris defendas, aut liberorum, uel aliud honestatis & rerum necessariarum. Quemadmodum praeceptum est, ut ducas uxorem, si aliter continens nequeas esse, cum per se alioqui res libera sit, ducere aut nō ducere uxorem. Praeceptum est tamen coniugium ei, qui cōtinentiae dono non est praeditus, quia scortationes semper sunt prohibitae & damnatae. Nec melior est priuata uindicta coram Deo, quàm scortatio, res foeda, iniqua & impia. Sed uti tamen magistratus ordinata uindicta non est malum, quin etiam rectum est & bonū, illius auxilio uti, & depellere uim iniustam in comparatione priuatae uindictae.*

*Sic ergo existimandum est, melius & tutius agere, qui prorsus non requirunt se ulcisci & uindicare de iniuria, ne quidem ordinatae potestatis auxilio & protectione, quàm qui qualibet de caußa ueniunt ad iudiciū magistratus, & rogant retalionē uindictae, si tamē talis est iniuriae species, ut citra honestatis laesionem perferri queat. Non est. n. mußitanda iniuria, si quis stuprum inferat uxori aut filiae, aut matri aut sorori &c. & si uapulatio & rapina poßint tolerari cum pietate. Sed priuatim se ulcisci, nunquam licitum est, non solum, quia priuata uindicta est contraria ordinationi Dei, de ordinata magistratus uindi-*

cta, sed etiam, quia est mixta odio, ira, & similibus damnatis morbis. Nec exerceri tandem posset, quin fieret ex ea uis iniusta, quæ etiam si cōcessa esset, non faceret, nisi ad euersionem ordinis rerum in omni humana societate. Si ergo utendum sit ultione & uindicta, siue potius auxilio contra uim iniustam, adi potestatem, & roga legitimum auxilium, & utere illius protectione.

Non peccas itaq;, si implores hoc auxilium & hanc defensionem ciuilis magistratus contra uim iniustam, sed melius tamen facturus, si iuxta uerbum Christi perferas & dißimules in totum irrogatas iniurias. Quæ dißimulari cum honestate possunt, ut dictum est, & sine charitatis læsione. Peccares autem, si priuatim expeteres uindictam cōtempta magistratus autoritate & ordinatione Dei: Etsi pater uapulet, filius, uxor, aut quomodocunq; aliter proximus tuus, iam urget charitas, ut roges defensionem à magistratu. Extra quam neceßitatem uel similem aliam ferre ac pati priuatam iniuriam, & aduersarijs condonare quamuis læsionem propter Deum, & ultioni atque uindictæ dei cedere, est excellens quid, adeoq; melius, quàm auxilio & protectiōe magistratus uti. Etsi non est malum hoc auxilio uti, quin etiam præceptum in comparatione ad uindictam priuatā, nam priuata uindicta nunquam licita est. Ideoq; peccant mortaliter,

mortaliter, qui priuatim se ulcisci malunt quàm magistratus uindicta uti, ita ut peccãt, qui neglecto seu potius contempto matrimonio & coniugiorum statu & usu legitimæ uxoris conferunt se incontinentes ad stupra uirginum aut uiolationes matronarum, siue aliter prohibitas & damnatas libidines.

Quia ergo Christus & apostoli docent nos mansuetudinem, clementiam, misericordiam, studium pacis & concordiæ, ignoscentiam, & dehortantur nos à uindictæ cupiditate & ultione, ac uetant, ne illam expetamus, litigemus uel contendamus, uidendum est Christiano, ne quo modo in negocio priuato cõtra hæc præcepta delinquat, ut priuatæ utilitatis caußa propter auariciam, inuidentiam, iram, ambitionem, aut similes morbos, quos per se lex reprehendit ac damnat. Sic enim Paulus scribit & ad Philip. 2. Nihil per cõtentionem, neq; per inanem gloriam, uidelicet agatis. Item, Non quæ sua sunt singuli considerate, sed ea quæ aliorum. Itaq; perferamus potius iniurias, quàm ultionem & uindictam quæramus, ne quidem coram magistratu. Et ignoscamus omnibus, ac toleremus omnia, respondentes professioni, nempe qui Deo quotidie ita loquimur, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sed licet hæc sic habeant, non peccant tamen, qui in priuata causa auxilium magistratus implorant, et

melius faciunt, q̄ si ad priuatā uindictam sese conuerterent. Imò in hoc casu grauißime peccarēt, q̄ magistratus ordinata uindicta uti nollent, & suā priuatā expeterent. Quod me oportet hoc diligentius inculcare, quo plures sunt ex fanaticis spiritibus, qui oēs damnant, & Christianos esse negant, qui hoc auxilio magistratus implorato, pro defensione sui & rerum suarum utuntur. Quo etiam uti oportet proximi caußa, & turpitudinis depellendæ, ut suprà docui. Et officij Christiani est, auxilio ciuilis magistratus illa turpitudinis mala arcere & depellere à proximo. Aut si quauis alia non ferenda iniuria ab iniquis prematur. Sed uidendum est, ne qui ueniunt ad auxilium magistratus, aliquid ex morbis priuatis secum in illorum iudicium adferant, hoc est, caueant sibi & abstineant se ab æmulationibus, auaricia, inuidentia, ira, dolo, fraude & similibus, & caußam puri ab his affectionibus & liberi in iudicio dicant. Solo defensionis studio uel repetant ablata, uel accusent uiolentos & iniquos. Et illa ordinata defensione utantur ex fide, tanquam sibi licita, libera & concessa à Deo, & utantur cum gratiarum actione.

Hæc nimirum est recta, pia & iusta sententia in hac controuersia, nam ordinationibus Dei bonis, iustis & sanctis possumus utiq; Christiani bene, recte, iuste, pie & sancte uti. Et q̄a Paulus inquit, magistra

tum esse honori bonis. Et quia Petrus testatur, magistratus mitti ad laudem bonorum, quibus tamen omnino uiciosi essent, si qui uterentur illorum protectione peccarent. Nec est existimandum, quòd hæc ordinata iudicia magistratus, quæ ipsemet Deus adprobat, imò & ordinat, & est autor illarum, seruiant ad peccandũ ei qui illis uti uolet. Quanquam difficillimum est uenire in hoc iudicium, & recte ac pie illo uti, hoc est, uacare his omnibus morbis, à quibus debere alienum esse antea docui eum, qui in iudicio uolet cõtendere, ut uidelicet nihil agat ex cupiditate uindictæ, nihil ex odio, æmulatione, inuidẽtia, ira, & nihil per auariciam, sed tantum propter necessariam defensionẽ causam dicat, ut nulli noxius esse quærat, ne aduersario quidem & inimico. In summu, nihil ex fraude aut insidijs agat.

Non tamen est impoßibile, hac puritate & pietate Christiana caußam in iudicio dicere, & si rarum omnino & difficile. Ideo consultius multo ac tutius agunt, qui propter difficultatem periculosæ actionis & ab his accusationibus iniquorũ & iniuriosorum in totum abstinent, & suas omnes uindictas, etiam legitimas illas iudiciorum & sententiæ magistratus Deo condonant, ignoscentes aduersarijs, & deprecantes pro eis, si quo modo cõuertantur & salui fiãt, & si adhuc sentiant se affectionibus prauis nonnihil

commoueri, tametsi abstineant se ab accusando, illas deprecentur, ac confidant sibi ignosci eas propter Christum. Peccant enim, uel qui aduersarijs & inimicis irascuntur. Prorsus enim non licet irasci aut odisse, nisi uicijs & peccato. Viciosis autem & peccatoribus & lædentibus nos ignoscere debemus, & precari pro eis, ac benefacere ipsis, sicut docetur Matth. 5. Multo magis peccant, qui iracundiæ et alijs uiciosis morbis obtemperantes, ueniunt ad magistratus, ut alios accusent, quanquam uiolentos & iniuriosos, nisi sine ira ueniant & accusent, & propter necessariam defensionem.

Proinde ad locum Pauli 1. Cor. 6. Iam quidem omnino delictũ est in uobis, quia litigatis inter uos, idipsum respõdero, quod uir clarißimus, & summus theologus Philippus Melanthon prudẽtißime & rectißime respondet, dicens: Reprehendit non ipsas lites seu disputationem forensem, cum Paulus concedat eã coram arbitris, sed obiurgat partẽ iniustam. Solet enim altera pars esse iniusta. Aut certe odium & auariciam reprehendit: Sed uide reliqua eius scripti in eam sententiam in 13. caput commentariorum epistolæ ad Rom. Anno 1532. æditorũ. Opinor itaq; ex iam dictis clare intelligi, quatenus Christiano liceat caußã in iudicio dicere, & cur tutius sit à repetendo ablato seu debito, uel accusando in totum abstinere. Pergo igitur ad alia.

Eramus

ERAMVS ENIM ALIQVANDO ET NOS INSIPIENTES, INOBEDIENTES, ERRANTES, SERVIENTES DESIDERIIS ET VOLVPTATIBVS VARIIS, IN MALICIA ET INVIDIA VERSANTES, ODIOSI, ODIENTES INVICEM.

*Rationem hic dicit Paulus, cur oporteat Christianos ad omne bonū opus paratos esse, & sibi ab omnibus uicijs temperare, commodos, benignos, mansuetos erga omnes esse, quia hoc gratiæ tempus, in quo nunc agimus liberati per Christum Iesum & salui facti, alios mores postulat, quàm illi ueteres fuerūt, in quibus egimus & conuersabamur, nihil iusticiæ habentes aut intelligentes, uidelicet nondum redempti à peccato, necdum filij Dei & hæredes æternæ uitæ per Christum. Nam & suprà cap. 2. docuit, q̄ gratia Dei nos erudiat, ut abnegātes impietatē & mundana desideria, modeste, iuste & pie uiuamus.*

*Quoniam autem hic se offert occasio dicendi copiose de toto genere peccati, uidelicet de origine, caußis, incremento & damnis eius, immorabor paulisper huic loco, & nonnulla de peccato originis, & alijs quæ ex illo dependent, seorsim scribam, priusq̄ ad textus expositionem perueniam. Et ut melius de peccato iudicare discant nouitij theologi, quàm scholastici potuerunt, atq; ut beneficium Christi rectius*

intelligamus. Quod oportet ignorare, ubi non intelligitur exacte quid est peccatum. Ideo necessarium est, ut prudenter de hoc loco & utiliter in Ecclesia respondere concionatores & disserere poßint.

De peccato originali.

Vt igitur clare & sine sophistica fraude locum de peccato exponam, iubeo omnes obseruare nos adpellatione peccati originalis complecti simul duo praecipua uicia carnalis naturae, nempe ignorantiam Dei, & concupiscentiam. Ad haec, ex his, ceu fontibus malorum, omnia alia uicia & peccata, omnes calamitates & poenas peccatorum promanare, propagari & existere. Et ignorantiam quidem Dei esse priuationem boni debiti, & ex illa sequi Dei contemptũ, & regnare in eis, in quibus illa ignorantia adhuc durat. Nec liberari unquam uere ab illo cõtemptu, praeterquam eos, quibus reuelatus fuerit Deus, & cognitus per Euangelij annunciationẽ de Christo. Est aũt cõtemptus iste praecipuus et summus, cũ praedicatio & doctrina uerbi dei, cũ legis tum gratiae irridetur, aut reputatur res esse nõ ualde necessaria, sicut fit ab incredulis & impijs istis, qui dicunt in corde suo: Non est Deus, hoc est, Deum & diuina nihil curant, nec existimãt, ꝙ Deus illa q̃ sunt & fiunt apud hoĩes curet, quemadmodum Epicurus et ei similes: Vnde uere est q̄dã fons oĩm malorũ in hoc uicio et peccato.

Rursus

Rursus, in concupiscentia sunt ac dominantur quidam uiolenti motus & uiciati habitus carnalis naturæ, quibus nemo unquam satis resistere potuit, uel poterit aliquando, ita sunt uidelicet intrinsecus in natura, & hærent in carne, congeniti omnibus, ut etiam necesse sit hanc carnalem naturam prius incinerari, quàm prorsus sanari ab eis poßit, & sanata ac repurgata restitui in nouam uitam ad poßidendum immortalitatem & æternam gloriam, nam & in sanctis per Christum Iesum iustificatis isti uiciosi motus adhuc uigent, & si nō regnent in eis. Sed tamen omniū difficillime resistitur eis, etiam per eos, qui à spiritu sancto gubernantur, sicut testatur illud Pauli ad Gal. 5. Caro enim concupiscit aduersus spiritū, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque uultis, ea faciatis.

Porrò ignorantia Dei illa, quæ habet cognatum Dei contemptum, de quo dixi, priuat hominem uero timore Dei, uera fide, dilectione & spe in Deū. Quo modo enim timeat homo Deum, quē ignorat, et cuius uoluntatem discere ex uerbo illius contemnit? Ac ne credit quidem, ꝙ deus suo uerbo nobis loquatur, nec plus tribuit prædicationi diuinæ legis aut Euangelij quàm prædicationi & doctrinæ mandatorum hominum. Et quomodo, obsecro, diligat talis Deū, aut confidat illi, seu speret in eum, cuius est natura ignorans

& audacißimus contemptor? Esse autem hominem talem, multis scripturæ testimonijs probari potest, & ipsa omnium rerum magistra ac teste experientia & usu. Sic enim est mundus quoddã quasi amplißimum impietatis theatrum, in quo spectare licet, quomodo hæc grauißima uicia regnent in homine. Seu priuatio uirtutum maximarum, & habitet in eo, loco uirtutum illarum, quædam impia ignorantia & horribilis contemptus Dei, ut ipse quoque euangelista Ioan. dicat: Et mũdus totus in maligno positus est. 1. Ioan. 5. Paulus uero in descriptione huius mali utitur hac sententiarum congerie Rom. 3. Nõ est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerũt & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Item, Non est timor Dei coram oculis eorum. Hæc ille de his summis uicijs scribit, quæ comitantur ignorantiam & contemptũ Dei, siue potius de priuatione maximarũ uirtutũ, scilicet, q̃ hoĩes natura uacant uero timore Dei, item uera fiducia, spe & dilectione erga deum. Inde autem ruit & euertitur totus homo, & omnis reliqua obedientia perit, nõ solum primæ tabulæ, sed & posterioris. Maxime tamen primæ, id est, confeßionis, inuocationis, laudis & gratiarum actionis, & similium exercitiorum pietatis. Et ut præstent homines aliqua opera secundæ tabulæ, tamen longe manent ab operibus

perfecte

perfectæ bonis, quia retinēt in corde immundiciē carnalis concupiscentiæ, & sine uera in proximum dilectione uiuunt.

Rursus, ipsa carnalis concupiscentia complectitur in se multos uiciosos habitus & indomabiles motus, sicut sunt, fremitus & indignatio contra eos, quorum regimini & imperio subiectum esse conuenit hominem, hoc contra parentes et magistratus. Vnde nascitur inobedientia, rebellio, seditiones & alia innumera mala peccati, ut sunt, contumeliæ, probra, maledicta, & id genus alia in parentes & magistratus regesta, quorum imperium dedignamur & contemnimus. Sic ergo dominantur in homine multa grauia uicia & peccata, ut sunt, contemptus diuinæ autoritatis in parentibus & magistratibus. Atq; ita de alijs affectibus prauis oportet pronunciare, qui natura in carnalibus hærent. Vt de iracundia & uindictæ cupiditate, quam sequuntur contumeliæ, & probra in proximum dicta. Item, iurgia, uapulationes, cædes. De libidine, quæ caußa est fornicationum, adulteriorum, & similium infandorum concubituum. De auaricia & habendi cupiditate, atq; adeo curis huius uitæ, quæ efficiunt homines furari & rapere aliena, et in negocio & contractibus infideles & iniustos esse. De odio, inuidentia, animi malignitate & uanitate, & his similibus alijs, unde extstunt mendacia, periu

iuria, pactorum uiolationes, perfidia in promißis, et falsa testimonia, quæ in iudicijs dicuntur, contentiones & lites, cum in foro iudiciario improborum, tum extra forum. Item maledicentia, calumniæ, proditiones. Deniq; & concupiscentia omnis doli, fraudis et iniquitatis in proximū, principalis caußa & caput, in qua regnat illa ἀστοργία, quæ est immisericordia, inclementia, & carētia oīm piorū motuū internorū.

Sic sunt uidelicet in peccato originis siue in natura nondū renouata per spiritum sanctum, nō tantum uiciati motus, sed & priuatio iusticiæ spiritus, hoc est, timoris, fiduciæ, spei & dilectionis in Deum, dilectionis in proximum. Atq; adeo quædam impoßibilitas naturalis ad efficiendum has spirituales uirtutes, scilicet ueri timoris Dei &c. Nam qui tribuunt homini, q; poßit eas uirtutes efficere, simul tribuunt ei naturam integre & perfecte sanam à peccato, & contra communē sensum sentiūt, streben uuider synn und uernunfft. Et maiestati spiritus sancti detrahūt, cuius est, corda nostra repurgare à carnalibus uicijs concupiscentiæ, & nouos alios motus in cordibus nostris creare, spirituales uidelicet, bonos & sanctos. Sicut etiam ex testimonijs sanctorum prophetarum liquet, ut Hierem. 31. Ezech. 36. Et scholastici theologi, qui fingunt, q; homo diuinis legibus poßit satisfacere, & mereri gratiam de cōgruo, pelagianizāt,

& peccatũ originale negant, uel potius in totũ igno rant. Si. n. intelligerent, quale est, & quanta uis eius in carnali natura, nunquã tribuerẽt homini, q̃ legi sa tis facere posset, aut gratiam per opera & facta sua mereri. Cum itaq; quidam istorum dicãt, quòd homo proprijs uiribus poßit Deum supra omnia diligere, & legem Dei facere, isti somniant naturam liberam à peccato, etiam sine Christo, ac nesciũt se peccatum originis negare. Deniq; non uident, quòd Christi offi cia faciunt ociosa.

Iam non opus est prolixe dicere de caußis, incre mento & damnis peccati. Constat enim, sicut Paulus docet ad Romanos 5. peccatum ab uno propagatum esse in omnes. Atq; idem confitetur & propheta Da uid psal. 50. Nam in se agnoscit hoc uicium, cum ita scribat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Nec aliud sentit Christus, quàm carnalem hominis naturam totam es se sub peccato, ubi dicit: Nisi quis natus fuerit denuo, non potest uidere regnum Dei. Tum neq; quenquam posse seluari nõ renatum statuit, id est, non receptum in gratiam filiorum Dei. In alijs autem docet hanc re generationem fieri aqua & spiritu sancto, loquẽs de baptismo, quo abluimur à peccato, et incorporamur Ecclesiæ filiorum Dei. Et de efficatia spiritus sancti in nobis, qua intus in cordibus nostris repurgamur à

peccato. Nec.n.p nostras uires potest aliquãdo huic incurabili morbo peccati resisti satis, multo minus potest tolli nostris uiribus ex natura. Ac constat hoc peccatũ semper uigere, semper ferax esse uiciorũ, et semper fructificare ad mortem: Huc enim facit illud Gen. 6. Cuncta intentio & cogitatio cordis mala est omni tempore. Item illud Gen. 8. Intentio humani cordis mala est ab adolescentia sua. Adde illa Pauli testimonia Roman. 5. Per unum hominem peccatũ in hũc mundum intrauit, & per peccatum mors. Item illud eiusdem capite 6. Serui peccati ad mortem. Et capite 7. inquit: Cũ essemus in carne, affectus peccatorũ, qui sunt per legem, uigebant in membris nostris ad fructificandum morti.

Sed hæc hactenus in doctrina de peccato, ex quibus intelligi potest, quale sit, & quanta uis eius, quale & quantum incrementum, damnum & pœnæ peccati. Nam horribilißima omniũ pœna mors est æterna illa, quæ priuat hominem fœlicitate æternæ uitæ, de qua potißimum docendi sumus inter alias pœnas, qbus annumerari debet ipsa quoq; cõcupiscentia, & ignorãtia illa, quæ in nobis est dei. His.n. talibus malis punit Deus totam Adæ posteritatẽ, priuans illam luce gratiæ suæ, & uiuificatione spiritus, & dono æternæ uitæ. Ac punit præterea alijs calamitatibus corporalibus & spiritualibus mundum, uelut bellis,

seditionibus,

seditionibus, gladio, peste, fame. Deniq; est alia quædam pœna, quæ dicitur excæcatio & induratio, in illis, qui Euangelio nõ credunt, & sine pœnitentia manent, de qua est Matth. 11. Luc. 13. Rom. 1. 9. &c. Quanquam autem calamitates corporales sunt pœnæ in incredulis, tamen in his qui Euangelio credũt, non sunt pœnæ neq; signa iræ, sed sunt optabiles & salutiferæ monitiones & correptiones, quibus castigati uocamur ad pœnitentiam, ne cum impijs & incorrigibilibus condemnemur, sicut est 1. Corinth. 11. Heb. 12. &c. Conferamus itaq; cum iam dictis de peccato scriptum Pauli ita dicentis:

ERAMVS ENIM ET NOS ALIQANDO INSIPIENTES.

Nam hæc scribit Paulus de ignorantia illa Dei, quæ est omnibus nobis agnata, uicio originalis noxæ, & præcipuum malum in originali peccato, siue priuationem, seu aliter uocare uoles. Certum est enim priuationem esse, seu carentiam ueræ iusticiæ & pietatis in Deum, adeoq; omnis boni coram Deo. Nec potest aliter tolli, quàm per promißionum Euangelij fidem de Christo iustificatore luce & æterna uita nostra. Ac fuit hæc ignorantia peccati non tantum in Gentibus, uerum etiam in Iudæis, solis exceptis, qui tandem uindicati sunt ab illa per promißionum gratiæ fidem, siue Iudæi, siue Gentes, ut Cornelius iste,

de quo Act. 10. & eius similes alij. Loquitur enim Paulus de uicio omnibus congenito, siue quod natura in oĩbus hæret. Nec perpetratur actibus malis, sed uiuitur in eo, in quo est caußa omniũ trangreßionũ, & oĩs iniquitatis, ut suprà explicatũ est. Seqtur:

INOBEDIENTES, ERRANTES,

Ignorantiam enim illã Dei, quæ est natura in omnibus nobis, sequitur quædam contumacia seu rebellio, quæ est illa inobedientia, nobilitata insigni contẽptu Dei, & omniũ mandatorum eius. Ideo coniunxi eam suprà cum ignorantia dei in descriptione peccati originalis. Et in illa contumacia, rebellione & inobedientia insunt omnes nostri errores, & omnia nostra peccata & delicta, q̃ nemo admitteret, si cognosceret Deum uere, aut per ullam prædicationem & doctrinam illi de Deo & rebus diuinis persuaderi posset. Vnde etiam, q̃ tales sunt, uocantur à Paulo ἀπειθεῖς, quod perinde sonat, quasi dicas, impersuasibiles, hoc est, quibus persuaderi non potest, & qui nulla sana consilia admittunt. Vetus interpres hanc uocem conuertit increduli, significans rebelles & contumaces esse. Cæterum, hanc inobedientiam & istos errores, propheta Esaias in hunc modum describit capite 53. Omnes nos, quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam. Verum Dominus omnium nostrûm peccata in illum (Christum) reiecit. Peccata

nanq;

*namq; nostra non potuerunt tolli, nisi per solam bene ficentiam* Domini *& seruatoris nostri* Iesu Christi, *id est, naturæ morbus sanari nisi per gratiam non potuit, nec tolli nostra peccata, nisi potentia* Dei.

SERVIENTES DESIDERIIS ET VOLVPTATIBVS VARIIS.

*Hæc sunt dicta à* Paulo *de concupiscentia carnali altera specie seu parte peccati originalis.* ἐπιθυμίαι *enim sunt concupiscentiæ carnales, & desideria illa praua, pugnantia cum lege dei, nam sic etiam uocantur à* Paulo *ad Romanos 7. Et illæ quidem allectos sua dulcedine trahunt, quæ tamen amarior est ipsa morte, si qs serio attēdat in uarias ac multiplices delicias et uoluptates carnis. Atq; idcirco dicit, nos non tantum in illis desiderijs egisse, sed etiā seruijsse eis, quasi dicat, pleno impio nos illis subiectos fuisse. Quod quale, quātum & quàm horribile sit, disce ex his, quæ* Paulus *scribit copiosa disputatione* Rom. 7.

*Describit itaq;* Paulus *uicium originis his duabus partibus, quas dixi, ignorantia scilicet dei, in qua est inobedientia seu rebellio & contemptus rerum diuinarum, tum errores, insidijs & astucia diaboli excæcatorum. Item concupiscentia, in qua sunt uiolenti quidam & impuri motus cordis seu animi affectantis quæcunq; pugnāt cum mandatis* Dei. *Sunt autem carnali naturæ uoluptates, sed tales, ut earum neminem*

non pudeat. Ideo non sunt ueræ uoluptates, & in incredulis accersant æternam mortẽ. Et in hoc tempore plus tristiciæ adferunt & doloris, quàm gaudij aut uoluptatis, sicut intelligere est ex usu auariciæ, libidinis, crapulæ & ebrietatis, ac similium.

IN MALICIA ET INVIDIA VERSANTES, ODIOSI ET ODIENTES INVICEM.

Iam prædictis, in quibus egit de peccato nobis congenito, subijcit quædã de operibus seu effectibus carnis, hoc est, peccati in carnali natura, nam de illis loquitur, in quibus peccatum pleno imperio regnabat, aut etiam num regnat, ac numerat quædam copiosius de his uiciosis operibus peccati Galat. 5. Rom. 1. 2. 1. Corinth. 6. 2. Timoth. 3. Quæ quisquis uolet, legat suis locis apud eundẽ ap'lum, & addat eis similia alia ex scriptis aliorũ apostolorũ & euãgelistarum.

Proinde malicia, quo nomine hic usus est, generale est, & significabat quamuis trangreßionem & uiolationem mandatorũ Dei. Inuidia autem, affectio est, qua fœlicitati aliorum irascimur, ac mallemus male eis esse quàm bene. Idq; agimus consilio & factis, ut prosperitates eorũ in malũ cõuertamus, nec qescimus antea, quàm perficiamus. Id quod etiam inhumanum est, nedum damnabile coram deo. Ac sic interpretor inuidentiam, non tantum ut morbus est, sed etiam, ut in impio uiolenter regnat.

συγκτοὶ

συγητοὶ, odibiles, hoc est, odio digni, Vueste freche leute, des hasses uuerd, nam & qui tales sunt, eos odit & execratur Deus, & ipsi quoq; homines tales odiũt & execrãtur, tametsi nemo non est huius modi, sed alius plus, alius minus, nemo tamen non dignus odio, nisi quem reconciliat Deo, & amabilem alijs efficit ipse Dominus Christus Iesus.

Cæterũ, mutua odia malorũ inter se his sequentibus notat: Inuicem odio prosequẽtes. Quæ quid efficiãt, nos docent quotidiana in uulgo exempla, nec opus est alia illustratione, quam ab exemplis improborum habetur. Prodesset autem minus exemplorum esse.

CVM AVTEM BENIGNITAS ET HVMANITAS ADPARVIT SALVATORIS NOSTRI DEI, NON EX OPERIBVS IVSTICIAE, QVAE FECIMVS NOS, SED SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM SALVOS NOS FECIT &c.

Huius loci uidetur inabsolutus sermo esse, qui tamẽ ita compleri poßit, quòd pro insipientibus sapientes, pro incredulis & errantibus credentes & in uiã iusticiæ reducti simus, quòd item pro seruientibus desiderijs & uoluptatibus carnis, in iusticia spiritus uiuamus, & deniq; q pro maliciæ operibus in dilectionis operibus ambulemus, id totum ex diuinæ gratiæ munere contigisse nobis, qua etiam beati & salui fi

*cti simus nullo prorsus merito nostro, aut iusticiarũ legis respectu.*

Et *hæc reuocans nobis in mentem* Paulus, *uult ut bene cõfidamus de gratia, planeq́; securi simus credentes iusticiæ gratiæ & æternæ uitæ.* Tum *non ingrati studeamus deinceps uoluntati* Dei *obsequi, & in operibus bonis excellere, nam si pro nostris meritis & nostra dignitate tractari debuissemus, nemo nostrûm nõ perijsset æternæ mortis condemnatione.* Cum *ergo iustificati sumus per gratuitam beneficentiam misericordiæ dei, quæ præstita est nobis in* Christo Iesu, *ultrà nõ debemus obsequi peccato & desiderijs eius, sed cum gratitudine erga* Deum, *in nouitate uitæ & iusticia bonorum operum ambulare.*

Proinde *peccatum quidem, de quo paulo ante egimus, serio & uere cognitum adfert desperationem, sed habent tamen peccatores contrariam consolationem per gratiæ* Euangelij *doctrinam, de qua hic agitur à* Paulo. Media *autẽ prædicatio & doctrina est lex, qua præcipitur de iusticia factorum nostrorum, sed quanquam præcipiatur, non tamen per legem iustificamur, quia obedientia operis nostri est imperfecta, & retinemus immundiciem agnatam in corde:* Quapropter *per legem perducimur tantũ ostensione peccati nostri ad priuatæ iusticiæ desperationem.* Simul *eiusdẽ officio quasi urgemur & impellimur, ut*

gratiam

gratiam seu misericordiam & ignoscentiam peccati & delictorum nobis à Deo per Christum Iesum roge mus & petamus. Hoc.n.qsquis facit, iustificatur & beatus efficitur, iuxta illud Ioel 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Neq; enim inuocatio illa est aliud, nisi suspirium & precatio cordis pro gratia, qua peccatis nostris ignoscitur per misericordiam gratuitam dei propter Christum. Quale fuit in eo suspirium & supplicatio cordis, qui Deo ita locutus est: Deus, propicius esto mihi peccatori. Luc. 18. Quem Christus testatur iu stificatum fuisse illa sua inuocatione, & illius exemplum nobis proponens in consolationem, significat, q; similiter omnes iustificemur, quicunq; ex fide pro missionum Euangelij uenimus ad gratiam, & pecca ti remissionem per Christum flagitamus. Dictum est autem proxime de peccato, & per occasionem, in primo capite de usu diuinæ legis. Iam ergo & de gra tia & iustificatione dicemus.

De gratia & iustificatione.

Multa hactenus dicta sunt, ex quibus omnibus cla re intelligi potuit, & intelligētur ex his quoq;, quæ deinceps dicentur, occasione & necessitate eorum, quæ Paulus in hoc tertio capite de gratia & iustifi catione nostri scribit, quid uidelicet gratiæ nomine significetur, quomodo fiat iustificatio, & qd sit Chri

*stiane siue formaliter iustum esse.* Denique qui sint, qui prædicationi gratiæ & iustificationis, quæ per Euangelium traditur, detrahant, & Christianas consolationes omnes auferant ex Ecclesia. Item perfidiā Iudaicam, hypocrisim operum, uanitatem & desperationem, uenturam ad extremum ignorantibus Deum, doceant.

Cum igitur Paulus testetur nos saluari per gratuitam misericordiā Dei, qa dicit, q̄ Deus nos saluos faciat, non ex operibus nostris, sed per suam misericordiā, palàm est gratiæ nomine significari hoc gratuitum beneficium misericordiæ Dei. Ad hæc, iustificationem nostri fieri per gratuitam remißionem nostri peccati, nam meritum remißionis peccati iusticijs nostris detrahit. Per quod manifestum est, opera nostra excludi à iustificatione Chrtstiana, qua homini salus æterna coram deo contingit. Non excludi autem, ne iustificatos obedientia operum nostrorum sequatur, sed ne quis opera nostra faciat precium & satisfactionem pro peccato & morte. Aut, ne quis iustum fingat hominem coram Deo per sua facta, siue sint opera mandatorum legis, aut doctrinarum hominum, quia iustificatio fit gratis sine operibus nostris per misericordiam. Et aliud quoddam precium est redemptionis nostri, quo satis fit pro peccatis nostris, & pro æterna morte, siue propter quod iusticia gra

tiæ

tiæ nobis cōtingit & imputatur, atq; adeo salus æterna uitæ nobis coram Deo donatur.

Significat itaq; gratia gratuitā acceptationē hominis peccatoris, quæ fit per misericordiā Dei, & complectitur donationem remißionis peccati, adeóque æternæ uitæ. Nec tollit exclusiua, qua derogatur operibus nostris meritum remißionis peccati, ipsa bona opera, de quibus in lege præcipitur, ne eos, qui per gratiā iustificati sunt, nō sequantur necessario, quemadmodum aduersarij nostri hanc gratiæ doctrinam calumniantur, ut imperito populo inuisam reddant, dicentes, bona opera, quæ constet à deo præcipi, prohiberi ac damnari ab his, qui doceant, q gratis & sine operibus nostris coram Deo iustificemur, sed iubet, ut alium mediatorem gratiæ quæramus, in quem respiciamus tanquam in precium & satisfactionem pro peccatis nostris & pro æterna morte, quia iusticiæ nostræ non sunt precium pro peccato, non sunt satisfactio pro morte. Contingit enim gratis remißio peccati, nec aboletur mors nostra potētia, sed quadam alia diuina. Rom. 3. Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram Deo. Gal. 2. Scimus, quòd non iustificatur homo ex operibus legis.

Quid poßit aut uelit exclusiua.

Cæterum, mediator ille gratiæ siue precium pro peccato et morte, est unigenitus filius Dei, Dominus & seruator noster Christus Iesus, sicut de illo dicitur

Ioan.1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Ephe.1. Per quem habemus redemptionem, per sanguinem eius remißionem peccatorum. 1. Pet.1. Redempti precioso sanguine, quasi agni inculpati & immaculati Christi. 1. Ioan.1. Sanguis Iesu Christi filij eius emũdat nos ab omni peccato. Quid multis? Hæc est propria Euangelij doctrina, quòd sine legis iusticijs per solam gratuitam gratiam Dei propter Christum Iesum saluemur à peccato et æterna morte. Ideo ad hãc gratiæ doctrinam oportet nos adferre fidem. Qui enim per incredulitatem illi resistunt, non possunt saluari. Nec possunt aliter accipi aut poßideri beneficia gratiæ, nisi per fidem. Atq; hinc est, quòd docetur, nos sola per Christum Iesum fide saluari à peccato & à morte. Atq; huc facit illud Pauli Roman.3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium per fidem in sanguine ipsius. Item Ioan.3. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filiũ suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Itaq; gratia, ut docui, est gratuita acceptatio peccatoris, & donatio remißionis peccati propter Christũ. Hæc uero gratiæ doctrina requirit à nobis fidem. Atq; inde colligere est, iustificationem nostri plane non aliud esse, quàm donationem remißionis

peccati,

peccati, & imputationem iusticiæ, quæ fit per misericordiam Dei, qua ignoscit peccatis nostris propter Christum, & fide in Dominum Iesum Christum, ut mediatorem gratiæ, & precium pro peccato adprehenditur. Deniq; formale in fide & iusticia Christiana, non esse opera legis, quæ nos præstamus, quemadmodũ somniant scholastici theologi, doctrinæ iustificationis Christianæ in solidum ignari, sed esse ipsissimam fiduciam promißionum gratiæ. Nec ob aliud prædicatur iusticia gratiæ, aut fides in eam requiritur à nobis, nisi ut fiducia meriti operum nostrorum excludatur, & ne quis corã deo glorietur, quasi per suam iusticiam saluus fiat & beatus corã Deo. Neq; intelligunt, quid sit peccatum, lex, gratia, Christus, iusticia, fides, bonum opus, qui in doctrina de iustificatione nostri coram deo, fidei operum et meritorum nostrorum fiduciam attexunt.

Iam ergo, cum in effectibus gratiæ oportet numerare & agnoscere donationem remißionis peccati, iusticiæ, pacem conscientiæ, & securitatem æternæ uitæ, ut ex his, quæ docui, manifestum est, qui fit, q̃ illos effectus aduersarij nostri papistæ & monachi tribuũt legi? (hoc est, meritis operum suorum?) quam Paulus facit ministram iræ et damnationis. Num lex est iustificatiõis & saluationis doctrina? An nõ Euangelium de gratia & misericordia Dei, per quam an-

nunciatur nobis gratuita peccati remißio, & æterna uita per redemptorem Christum: qui est precium pro nostris peccatis, cui ob id tribuitur iustificatoris & seruatoris nomen. Et Petrus negat aliud nomen datū esse hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri. Et affirmat, quòd testimonio omnium prophetarum remißionem peccatorum accipiant per nomen Christi omnes qui credunt in eum.

Vide nunc, qui nam sint, qui obloquuntur blasphemantes, & detrahunt gratiæ, & consolationes Euangelij obruunt in Ecclesia. Vtiq; papistæ, nã falsa sunt & impia commenta, quæcunq; tradunt ex doctrina scholasticorum theologorum de iustificatione monachi & papistæ, quia doctrinæ fidei assuunt conditionem meritorum nostrorum, per quod gratiam negãt gratuitam esse. Quod plane nõ est, quàm negare gratiam, & homini gloriationem aduersus Deum concedere. Nisi enim gratis contingat gratia, non est gratia, & si pro meritis nostris datur remißio peccati, ipsa remißio peccati est debita merces, non gratia, sicut Paulus cõtendit in illo Rom. 11. Si autem gratia, (saluamur) iam non ex operibus. Alioqui gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia. Alioqui opus iam nõ est opus. Si enim ex gratia salus contingit, opus quod iactatur meritoriũ remißionis peccati, est quoddam fabulosum & monstrosum commentum.

mentum. Et contrà, si per merita operum nostrorum obtinetur peccati remißio, ipsa doctrina gratiæ est res inanis & fabulosa. Cum autem per gratiam iustificemur coram deo, potes ex his plane dijudicare, qui nam euacuent gratiam, & Euangelium Domini nostri Iesu Christi calumnientur.

Quin etiam quia isti aduersarij nostri, quos dicunt, fingunt ex doctrina scholasticorum fidem Christianam ipsis quoq; impijs inesse posse, manifestum est, q, in doctrina fidei nihil loquuntur de fiducia misericordiæ & bonitatis Dei, qua ille ignoscit peccatis nostris propter Christum. Et in illo errore deprehensi, iudicari possunt, quòd perfidiam quãdam Iudaicam docent, & ipsum Dominum Christum Iesum saluatoris loco penitus excludunt. An possunt enim impij fiduciam misericordiæ Dei concipere? Si non possunt, quomodo credunt? Aut possunt ne impij sibi promittere Deum placatum per propiciatorem Christum Iesum? Si nõ possunt, quo loco habent Christum Iesum? Certe pro iustificatore et seruatore suo illum non possunt habere, quia alioqui propicium & placatum esse sibi Deum, agnoscerent per Christum Iesum. Sed ita neq; permanerẽt neq; essent impij. Et prorsus impoßibile est, fiduciam gratiæ & iustificatoris Christi in eo esse, qui est impius & flagitiose uiuit, peccato & desiderijs eius indulget, & sine pœnitẽtia manet.

Prorsus igitur sophisticum & fabulosum commentum est, in iniuriam gratiæ Dei confictum, quo dicitur, quod fides, qua Christiani credunt, impijs quoque inesse poßit. Dixi ergo, quod in doctrina de iustificatione aduersarij nostri papistæ de fide proprie Christiana nihil loquantur, neque intelligant. Credenti enim nihil tribuunt, nisi quod sentiat esse Deum, tum uera loqui Deum. Hæc est scilicet illa sophistarum fides, qua etiam dæmones credunt, uere papistica, & perfidiæ Iudaicæ cõtumelia. Nam etsi oportet credere esse deũ, & uera illum loqui, hoc est, promißiones & comminationes Dei ueras esse, tamen credenti ad iusticiam hoc non est satis. Aut, si satis est, cur damnamus Turcas & perfidiam Iudæorum? Et cur uos aduersarij Dei & Ecclesiæ catholicæ & communis salutis sanctorum papistæ in prædicatione fidei iustificãtis nullam facitis fiduciæ & promißionum gratiæ & iustificatoris Iesu Christi mentionem? qua una scilicet discernere oportet pios ab impijs, Christianos à perfidia reliquarum Gentium?

Verum age, quando incidimus in istorum sordes & blasphemias, prosequamur aliquanto copiosius retegere impia commenta, ut abominatio doctrinæ, quantum fieri potest, profligatur tota ab Ecclesia sanctorum. Quærũt itaque medium scholastici, per quod discernant pios ab impijs, quod cum suo iudicio non

reperiunt

reperiunt in eo, quod dicitur, credere esse Deum, & uera esse quæ Deus loquitur, cõuertunt se ad illud cõmentum, quo uidelicet fingunt fidei iustificantis esse postquam credideris esse Deum, & uera esse quæ loquitur, tum operibus bonis gratiã & æternam uitam mereri. Et hoc uocant credere in Deum, & credẽdo per bona opera ire. Quod si non est Iudaicum, à quibus fit fiducia promerendi gratiam & uitam æternã, dic quæso, qd sit? Pulchre adeo, id est, diabolice, per hoc pharisaicum commentum docemur negare gratiam, & iustificatorẽ Christum, & fidẽ Christianã.

Adde, quòd isto commento dicunt formaliter iustos esse eos, qui suo ipsorum iudicio credunt, non qa credunt, seu propter fidem, sed quia opera charitatis habent, & propter illa opera. Quod an non est operibus tribuere meritum iustificationis & uitæ æternæ? Tum fidei adpellatione, sophistica delusione tantum abuti, ad deceptionem auditorũ? Si enim alij, qui credunt Deum esse, & uera loqui illum, non sunt iusti & beati, nisi coniungant illi fidei sua opera meritoria remißionis peccati & æternæ uitæ, firmum est, quòd iustificatio & salus obtinentur non per fidem, sed per opera. Sic ergo, q charitatem fidei coniungunt, & partialem caußam iustificationis faciũt, hoc sophistico & pernicioso errore, isti gratiam in solidum negant, & Christum iustificatoris loco exclu-

dunt, fidei doctrinam obruunt Iudaicis commentis: Dicunt enim formaliter iustos esse, qui habent iusticias legis, promißiones dei negant gratuitas esse, sua opera faciũt precium pro peccato & morte. Et hominibus eo ipso concedunt gloriationem contra gratiam. Quarum omnium blasphemiarum cum rei sint papistæ & monachi, tamen nolunt admoneri.

Tria fidei obiecta.

Proinde contra istos omnes Iudaicos errores oppone tria fidei obiecta, quæ quàm diu negant aduersarij papistæ, securus pnuncia aduersarios Dei, Christi, fidei Christianæ & Ecclesiæ sanctorum esse. Primũ autem fidei obiectum est, ipsa promißio remißionis peccati & æternæ uitæ. Hanc enim facimus fidei obiectum, quia constat, quòd promißio illa gratiæ aliter quàm per fidem accipi non potest. Per legẽ enim obtineri nõ posse, testatur illud Pauli, Rom. 9. Israel sectando legem iusticiæ, in legem iusticiæ non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, (scilicet quærebat iustificari coram Deo.) sed tanquam ex operibus legis. Secundum obiectum, in quod intueri credẽtem oportet, est, q̃ promißio illa gratiæ & remißionis peccati seu iustificationis & æternæ uitæ est gratuita, quam papistæ gratuitã esse negant. Sed gratuitam esse, paulo post docebo. Tertium obiectum est, ipse iustificator Christus Iesus, q̃, ut Paulus inquit, dedit semetipsum preciũ redẽptionis pro oĩbus. 1. Tim. 2.

Et

*Et in eadem epistola capite 1. idem apostolus inquit: Certus sermo est, & dignus, qui omnibus modis acci piatur, quòd Christus Iesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere.*

*Qui igitur ista fidei obiecta aut non prædicant, aut negant, eos scias uel ignaros esse fidei Christianæ uel aduersarios eius, non Ecclesiæ doctores. Ac constat, quòd promißionum gratiæ in doctrina iustificationis nulla fit mentio à papistis, quemadmodum nec Christi iustificatoris & seruatoris nostri, quanquam etiamsi aliquam mentionem promißionum facerent, tamen hoc frustra fieret, propterea quòd fingunt iustificationē nulli gratis contingere, sed dari illam pro meritis operum legis. Ita ut cōtendunt Christum nulli prodesse, nisi operāti, quemadmodum prius ex dogmate eorum ostēdi. Oportet ergo omnium maxime firmum esse, ac certum Christianis, promißionē gratiæ gratuitam esse, nec dari salutē per opera nostra, sed gratis propter Christum.*

*Itaq; gratuitam esse gratiæ seu Euangelij promißionem, primum testatur ipsius rei adpellatio. Non esset gratia, nisi gratuita esset, & gratis contingeret credēti peccati remißio, iusticia & æterna uita, sicut antea docui testimonio allato ex Paulo Rom. 11. Cui adde & hæc sequētia Rom. 3. Iustificati gratis p gratiam ipsius &c. Et ibidē: Decernimus iustificari ho-*

*Promißionē Euāgelij esse gratuitam.*

minem per fidem ſine operibus legis. Galat. 2. Nos natura Iudæi, & nõ ex Gẽtibus peccatores, ſciẽtes, ꝗ non iuſtificatur homo ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti. Et nos in Chriſtũ Ieſum credimus, ut iuſtificemur ex fide Ieſu Chriſti, & non ex operibus legis, propterea, quòd ex operibus legis non iuſtificatur ulla caro. Ephe. 2. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne qs glorietur. 1. Corinth. 1. Ex ipſo aũt & uos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à deo, & iuſticia, & ſanctificatio & redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Tit. 3. Non ex operibus noſtræ iuſticiæ, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit &c.

Hæc clara & aperta teſtimonia ſurdis papiſtis inclamamus, qui doctrinã gratiæ impie blaſphemãt. Nec opus eſt pluribus teſtimonijs, niſi cui opus uideretur totos Euangeliſtas, & totas epiſtolas apoſtolorum huc tranſcribere. Quid eſt enim tota Euangelij prædicatio & doctrina, niſi quædam uniuerſalis excluſiua, qua Deus teſtatur, quòd nos gratis per miſericordiam ſuam, non propter iuſticias noſtras, ſed propter Chriſtum ſaluos faciat à peccato & æterna morte, quatenus credimus in eum? Itaq; quoties legis nos fide iuſtificari, & ſaluos fieri, memor eſto

iſtius

istius exclusiuæ, quæ detrahit hoc meritũ gratiæ nostris iusticijs & factis, ut cum dicitur Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius. ut intelligas hominem aliter non posse recipi in gratiam filiorum Dei, & hæredũ æternæ uitæ, nisi per solam in Christum Iesum fidem. Quod etiam hæc sequentia testantur. Ioan. 3. Qui credit in filiũ dei, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, nõ uidebit uitã, sed ira dei manet super eo. 1. Io. 5. Qui habet filium Dei, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam non habet.

Scias igitur falsum & impium commentum esse, cum dicitur, fidẽ impijs posse contingere, qui nõ continuo iustificentur & salui fiant, si permaneant in fide. Nulli enim impij, quatenus manent in impietate sua, possunt promissionibus gratiæ credere, sed negãt illas in cordibus suis, & contradicunt eis. At uero hypocritæ, qui se credere fingunt, negãt gratuitas esse, ideo conferunt in suas operũ iusticias meritum remissionis peccati et æternæ uitæ. Sic ergo detrahũt Christo mediatoris gratiæ & iustificatoris officiũ, iuxta illud Pauli Galat. 2. Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Potest impijs tribui historica noticia rerum in scripturis comprehensarum, qualis est, qui aut Liuiũ aut alias Gentium historias legunt, fiducia gratiæ & re

*mißionis peccati tribui non potest.* Et *contremiscunt horribiliter isti impij more dæmonum, quando reuelatur eis suum ipsorum peccatū, propterea q̄ fiduciam gratiæ nullam habent.* Non *sunt ergo præditi uera et & iustificante fide.* Rursus *in hypocritis est opinio pharisaica de fide, q̄ diu somniant, formale fidei iustificantis opera dilectionis esse.* Eo *nanq; beneficiū gratiæ in totum negāt, & produnt se neq; intelligere qd sit gratia aut beneficentia seu officium seruatoris* Iesu Christi. Tene *igitur* Christiane *lector firmus in corde tuo formale fidei iustificantis à peccato, & uiuificantis beata & æterna uita, esse fiduciam promissionum gratiæ gratuitarum, ut docui, de peccati remißione per* Christum.

His *de gratia & iustificatione* Christiana *præmissis, subijciam nunc ea, quæ sunt in scripto* Pauli, *epistolæ ad* Titum, *cum aliqua sui enarratione.* Quod *igitur* Paulus *inquit:*

CVM AVTEM BENIGNITAS ET HVMANITAS ADPARVIT SALVATORIS NOSTRI DEI.

Valde *significantibus uerbis usus est, prædicans & commendās nobis eam gratiæ beneficentiam, qua iustificamur à peccato & à morte.* Benignitas *enim græce est* χρηστότης, *lenitas quædam & clementia, seu placabilitas, q̄ efficit, ne ullo modo asperi in alios simus,*

simus, sed ut erratis aliorum non grauanter ignosca-
mus, ac toleremus patienter illa aliena mala, non at-
tendentes, ut eligamus, qd summo iure nobis in alios
liceat, sed quid tutum sit alijs & commodum, idq́; re-
tinemus & sequimur. Quo certe significat Paulus,
q, omnia uicia & peccata nostra Deus quasi dißimu-
let, iustificans nos & saluos faciens per Christum Ie-
sum, quòd nō agat nobiscum aspere aut rigide, prout
uicijs nostris merebamur tractari, sed secundū suā in
nos propiciā uoluntatē, & gratiæ bonitatē seu beni-
gnitatē. Huic si coniunxeris sequēs uocabulū, huma-
nitas, quanquam græce significātius legitur φιλαν-
θρωπία, id est, amor erga homines, intelliges hoc
dici, q, uidelicet deus, tanquam indulgentißimus pa-
ter, ex præcipuo quodam & ineffabili amore in hu-
manum genus, præstiterit nobis saluatiōem æternam
per Christum Iesum: Quo nihil dulcius, suauius, aut
maius dici potuit de incomprehensibili illa bonitate,
gratia, misericordia & clemētia Dei nostri, qua non
passus est nos miseros peccatores interire, adeo, ut
per traditionem unigeniti filij sui in mortē quæsierit
nos saluare à peccato & à morte. Huc facit hoc præ-
cipuum testimonium Ioan. 3. Sic enim Deus dilexit
mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis
qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æter-
nam. Item illud Pauli Rom. 5. Commendat autem cha

ritatem suam erga nos Deus, quòd cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Multo igitur magis nunc seruabimsr, iustificati sanguine eius, per eum ab ira.

Hæc est igitur saluifica gratia illa, qua nobis deus ueluti blanditur, ignoscens non solum omnibus peccatis nostris, sed & conferens nobis, quicquid est regni sui & immortalis gloriæ, non plane, quàm ex mera in nos liberalitate misericordiæ suæ, siue amoris in nos sui, per Dominum Iesum Christum seruatorē nostrum. Rom. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia cum illo nobis donet? Non respexit ergo neq; ad merita uel dignitates nostras, sed & nulla merita & nullas dignitates habuimus, imò ne quidem nisi grauia demerita, & summas indignitates, propter multiplices transgreßiones & grauißima peccata in carnali natura. Solam igitur misericordiam suam seu benignitatem & humanitatem intuitus est, & in illis efficax erga nos fuit, ut auferret à nobis peccata nostra & æternā mortē per Christū Iesum. Quod præterea mox sequentia quoque testantur, illa uidelicet:

NON EX OPERIBVS IVSTICIAE, QVAE FECIMVS NOS, SED SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM SALVOS NOS FECIT.

Hic non solum detrahit iusticijs nostris meri-

tum

tum remißionis peccati et æternæ uitæ, uerum etiam oĩm clarißime significat, gratuita esse in nos dona illa remißionis peccati, iusticiæ & æternæ uitæ. Nos igitur diligenter notabimus utrunq;, hanc exclusiuã, et hoc gratiæ præconium, nam utrunq; testatur iustificationem & saluationem nostri esse gratuita beneficia misericordiæ Dei, & sine meritis operum nostrorum ea contingere nobis.

Et hæc de gratia, gratis iustificante, & saluante nos sine meritis operum & factorum nostrorum, sedulo inculcat nobis Paulus, præco uidelicet gratiæ Dei diligentißimus, & apostolus Iesu Christi feruentißimus, & salutis animarum nostrarum studiosißimus, quia nec gratiæ Dei suam laudem detrahi patitur, nec Christo Iesu titulos, honorem & gloriam iustificatoris & redẽptoris æterni auferri. Nec deniq; nos fraudari sinit fœlicitate æternæ uitæ per falsas & impias persuasiones de merito nostrarũ iusticiarum. Hinc enim & 2. Timoth. 1. scribit: Saluos fecit nos, & uocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam. Ac habet his similia innumera in omnibus scriptis suis. Ac mirum est, plurimos ita cæcutire in illorũ lectiõe, ut quæ luce meridiana sunt clariora, nõ uideant, siue potius uidere nolint ac dißimulent, qđ est efficatiæ et opationis diaboli in eis, ne credẽtes salui

fiant. Sed cõfero me ad alia textus et scripti Paulini.

PER LAVACRVM REGENERATIONIS ET RENOVATIONIS SPIRITVS SANCTI, QVEM EFFVDIT IN NOS OPVLENTE PER IESVM CHRISTVM SALVATOREM NOSTRVM.

Dixit de gratia, qua salui facti sumus per mere gratuitam misericordiam Dei, sine iusticijs nostris, hoc est, sine meritis operum & iusticiarum nostrarũ. Hic etiam mediorum meminit, per quæ allata est ad nos illa gratia dei, uidelicet baptismi. Is enim est lauacrum regenerationis, tũ renouationis, quæ fit in nobis spiritu sancto. Et postremum propiciatoris Iesu Christi.

*Tria fidei obiecta.*

Ac docui prius in doctrina gratiæ & iustificationis esse obseruanda, tria ueluti obiecta, in quæ credentem semper respicere oportet. Primum ipsam promißionem seu Euangelium, nam fidei iustificantis doctrina est Euangelium, seu promißio remißionis peccati. Secundum, quòd hæc ipsa gratiæ seu remißionis peccati promißio est gratuita, id est, quòd gratis per misericordiam, & sine meritis operũ nostrorum confertur nobis peccati remißio, iusticia & æterna uita. Tertium denique, quod est ipsemet Christus, in quem nos intueri oportet, ut in propiciatorem, per quem Deo reconciliati sumus, adeoq́; ut in precium & satisfactionem pro peccatis nostris, & pro æterna

na

na morte, tum deniq; ut in ipsißimam iusticiam & uitam nostram, quia extra Christum nullam, neq; iusticiam, neq; salutem habemus. 1. Corinth. 1. Factus est nobis à Deo iusticia &c. Col. 3. Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo.

Nunc ergo & de baptismo & operatione in nobis spiritus sancti dicemus, excutientes, quomodo cū his fidei obiectis, quæ dixi, consentiant, nam quod Paulus inquit nos saluari per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, loquitur quod satis constat de baptismo, qui est externum aquæ lauacrum, & de renouatiōe interna, q̃ fit spū sancto in nobis, atq; intus purgat nos ab inquinamentis peccati.

Baptismus autem est signum promißionis illius gratuitæ, qua confertur nobis peccati remißio, iusticia & uita per Christum. Ideo auelli baptismus ab illa promißione non potest, nec uicißim promißio à baptismo. Sed ubi de baptismo agitur, ibi oportet et promißionē gratiæ intelligere, quæ nobis de Christo iustificatore concionatur, cuius fiducia baptizamur. Ac rursus ubi de promißione agitur, semper utilißimum est, & signorum meminisse, per quæ cōstat promißionis gratiam & beneficia seruatoris Christi nobis conferri, & quasi in nos transfundi. Sunt enim signa adposita Euangelio, tanquā monitoria promißionum gratiæ eius, & testimonia, per quæ cōstet no

bis donata esse, q̃ Iesu Christi noīe prædicantur, ipsa uidelicet peccati remißio, iusticia & æterna uita.

Porrò, ipse quoq; spiritus sanctus, siue operationes in nobis illius sunt his coniunctæ. Neq; enim aliter efficax est in nobis sua uirtute spiritus sanctus, operari in nobis nouā & spiritualem uitam, hoc est, uerùm timorem Dei, ueram fidem, spem, dilectionē, patientiam, castitatem, temperantiam, sobrietatem, & reliquas Christianas uirtutes, quàm per gratuitas Euangelij promißiones, de propiciatore, iustificatore & redemptore Christo Iesu nobis prædicatas. Solo enim uerbo Dei est efficax in nobis, & quidem solo Euangelio ad iustificandum & saluandum nos à peccato & morte. Et sicut per Euangelium consolatur nos, ita etiam iuuat nos per fidei sacramenta.

Sic ergo hæc inter se concordant, nos uidelicet saluari per Euāgelij gratuitas promißiones de Christo, & saluari per lauacrum regenerationis baptismum. Item, per renouationem illam internam nostri, qua creantur noui motus in cordibus nostris uirtute spiritus sancti, quia baptismus est signum & pignus promißionum gratuitarum, quæ testātur, quòd propter Christum accipiamus peccati remißionem & æternam uitam. Et ipse spiritus sanctus non aliter efficax est ad renouandum corda nostra, ut spirituali uita et Deo digna uiuamus, nisi per Euangelium, & adpendices illius sacramenta.

*Quod igitur Paulus ait, nos saluari per lauacrum regenerationis, significat baptismo ablui omnia peccata nostra, ceu gratiæ Euãgelij signo. Et eos, qui ex fide promißionum gratiæ baptizantur, adoptari & recipi in gratiæ filios. Sic enim est lauacrum regenerationis baptismus, qui ut testimonium et pignus gratiæ abluit peccata eorum, qui gratiæ uerbo credunt. Ephe. 5. Mundans eam (Ecclesiam) lauacro aquæ, in uerbo uitæ. Et quoscunque sic lauit, eos efficit filios Dei, & uitæ æternæ hæredes, more signi, hoc est, testatur esse Dei filios, & quidem ex filijs peccati, iræ & damnationis factos esse filios gratiæ, iusticiæ & uitæ æternæ.*

*Rursus, quòd inquit nos saluari per lauacrum renouationis spiritus sancti, ostendit operatione spiritus sancti intra nos fieri, ut Euangelio credamus, & timeamus deum uere, diligamus illum, & speremus in eum. Item diligamus proximum, patientiam exerceamus & mansuetudinem seruemus erga omnes, pacem & concordiam retineamus, uiuamus modeste, iuste, temperate, caste & pie. In summa, Euangelio Christi et filijs gratiæ digne cõuersemur. In his enim consistit operatio spiritus sancti in nobis, & illi sunt præclarißimi effectus eius, quos creat in saluandis:*

*In hunc itaq; modum duo attendi à nobis debent in doctrina illa regenerationis, quæ est oĩbus necessa*

ria ad salutem. Alterum est, ipsa ablutio delictorum, quæ fit ministerio Ecclesiæ per baptismũ in illis, qui Euangelio credunt. Et rursus hoc alterum, quod est internæ renouatiõis nostræ, quæ fit spiritusancto, & totum hominem mutat, ac noua, spirituali et Christiana uita uiuere facit, de qua lege, quæ sunt Hiere. 31. Ezech. 36. Galat. 5. Nam ex his testimonijs abunde constabit, totam nouitatem Christiani hominis deum operari & perficere in nobis uirtute spiritussancti. Et huc facit illud Pauli, ad Ephe. 2. Deus est enim, qui operatur in uobis, & uelle & efficere pro beneplacito. Iam idem hæc opera sua nõ operatur, nisi per Christum Iesum, sicut constat ex illo Ephe. 2. Ipsius enim sumus factura, creati per Christũ Iesum ad opera bona, quæ præparauit deus, ut in illis ambulemus.

Quid igitur iactamus liberi arbitrij uirtutes? cum illæ, quas nostra industria præstamus, longe absint à uirtutibus Christianis, pharisaicæ uidelicet & immũdæ, nã in ipsis quoq; sanctis suis defectibus laborãt, qui non imputantur quidem his, qui in Christum Iesum credũt. Iam etiam, si quid decenter, recte aut pie facimus, cur non agnoscimus in eo beneficia gratiæ, tum Deum & iustificatorem Christum glorificamus pro gratia, & gratias agentes potius, quàm uirtutes nostras iactemus? nam & Christus inquit: Sine me nihil potestis facere.

Porrò

Porrò hæc duo nostræ regenerationis, quæ dixi, & Christus una sententia comprehendit, & uocat, renasci ex aqua & spiritu, & affirmat, q. sine hac renascentia nemo poßit saluus fieri. Sic enim inqt Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Sed scribam illa occasione quædam in genere, de sacramentis noui testamenti, mox etiam seorsim de baptismo & dominica cœna. Neq; enim habemus Christiani, nisi hæc duo gratiæ seu Euangelij signa, quæ uocant sacramenta. Postea addam nõnulla de operatione & effectibus spiritus sancti, quo melius instructi concionatores, pie & utiliter Ecclesias dei gubernent, si qui ex illis harum rerum adhuc sunt imperitiores, nam illis hoc nostro scripto potißimum seruire statuimus, atque adeo, ut aduersarijs Euangelij & contradicentibus Christianæ doctrinæ melius & promptius nouerint resistere & respõdere, & impudentiã ac maliciã eorũ corã oĩ reliqua Ecclesia retegere, accusare & coarguere.

## De sacramentis noui testamenti in genere.

Itaq; sacramenta, sunt quædam Euangelij adpendices, nempe signa promißionum gratiæ, hoc est, monitoria Euangelij de remißione peccati, iusticia & uita æterna per Christum. Reuocant igitur nobis in memoriam Euangelij promißionẽ, & testantur nostram

esse, seu beneficia in nos cōferri, qui sacramentis per promissorum Euangelij fidem utimur, quorum sunt signa. Ideo adferunt peccati remißionem, iusticiam & æternam uitam omnibus, qui sacramentis pie utūtur, hoc est, qui per fidem gratiæ suscipiunt ea, & Deum ac redemptorem Christum Iesum laudant & glorificant pro gratia. Non enim proponunt nobis legis conditionē, sed gratiæ promißionem, qua requirit fidem à nobis. Et signo muniunt conscientias nostras, ac securas efficiunt remißi nobis peccati nostri, & donatæ iusticiæ & æternæ uitæ.

Non igitur conferunt ipsa per se gratiam, hoc est, non prosunt suscipiētibus ex opere operato. Qui est sophisticus & pharisaicus error, uulgatus in Ecclesia papistarum. Fieri enim potest, ut sacramentis quidam utantur in grauiorem sui condemnationem, sicut Paulus testatur 1. Cor. 11. Nec sunt nisi pharisaica commēta, quæcunq; nugantur sophistæ de suo obice, id est, proposito mortalis delicti retardante fructum & efficaciam sacramenti, nam etiamsi talis obex nullus adsit suscipienti sacramentum, tamen non confertur ei gratia saluationis, nisi utatur sacramento ex fide promißionis Euangelij de gratia per Christum. Sacramento itaq; uti sine hac fide, etiam noxium est, at cum fides in promißionem gratiæ adest, tunc utiliter illis utimur, nempe, ueluti signis & testimonijs

gratiæ & promißionum eius. Quæ signa, inquam, testantur quidem totam illam saluationis gloriam beneficio redemptoris Christi nostram esse.

Ita sunt ergo gratiæ signa, & testimonia remißionis peccati, ac uitæ æternæ sacramenta his, qui fiducia Christi promißionibus Euangelij credunt, proposita in uberiorem consolationem & confirmationem fidelium, certificāte illos Deo per gratiæ promißionem, & illius signa ac testimonia, significantia & testantia peccati remißionem & æternam uitam ad nos pertinere, propter iustificatorem & saluatorem Christum Iesum, qui totus noster est, quatenus credimus in eum. Quapropter uanus est & impius ac perniciosus error docentium, q̧ usu sacramenti homines iustificentur, etiamsi non adferant fidem. Tantum ut careāt proposito mortalis delicti, et designandi alicuius sceleris prohibiti in lege Dei. Ita somniāt enim, obtineri remißionem peccati & iusticiam, qui gloriam saluationis nostræ totam transferunt à gratia Dei, & à Christo Iesu, in nostras immundas iusticias rationis, & infinitis atque ineffabilibus modis pollutas coram Deo.

## De baptismo.

Postquam in genere de sacramentorum usu scripsi, scribam iam nūc etiam seorsim de singulis, baptismo uidelicet & dominica cœna. Nō enim habemus Chri

stiani plura noui testamẽti, id est, gratiæ seu promissionis Euangelij, signa, quàm hæc duo. Docui autem suprà, in quam sententiam Paulus baptismum adpellet lauacrum regenerationis, nam abluit peccata eorum, qui promißioni credũt. Abluit autem, tanquam signum & pignus seu testimonium gratiæ, quæ præstita est omnibus nobis per Christum, qui nos sanguine suo à peccatis lauit. Significat igitur baptismus, eum, qui Euangelio credit, & propiciatori Christo Iesu, esse receptum in gratiã adoptionis propter Christum, & iam uere Dei filium esse, sicut testatur illud Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Clarum est ergo recipi in fauorem & gratiam filiorũ Dei, quot quot fiducia iustificatoris sui Iesu Christi baptizantur, nam quæ in doctrina proponi debeant, baptizando uidelicet, fidei cõsolatio, ꝑ promißionẽ euangelij, expreßius dicitur Marc. ult. Prædicate Euangeliũ omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: ꝗ uero nõ crediderit, cõdemnabitur.

Ita ergo baptismus est signum gratiæ, & testimonium quoddam ac pignus, promißioni de gratia illa remißionis peccati & æternæ uitæ additus, ut plenius consoletur & perfectius confirmet eos, qui Euangelio credunt. Quapropter sine fide susceptus plane nulli prodesse posset, nec baptizari quisquam sanæ

mentis

mentis optaret, non credēs Euangelio, & si baptiza retur quisquam incredulus, non ideo melius haberet, sed longe deterius, nimirum propter contemptum gratiæ, qui est in incredulo, & rei sacræ, hoc est, sa cramenti, prophanationem. Si ergo quæras, ad quid prosit baptizari. Respondere oportet, multum oīno prodesse. Operatur enim peccati remissionem baptis mus in illis, qui Euangelio credunt, & constituit illos æternæ uitæ hæredes, liberatos à Christo ab inferis, peccato, Diabolo & æterna morte. Baptizati igitur & peccati remissionē accipimus, & filij Dei sumus, sicut testatur illud Act. 2. Pœnitentiam agite, & ba ptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorū, & accipietis spiritum san ctum. Sane enim spiritus ille non datur, nisi filijs dei, hæredibus æternæ uitæ. Huc quoq; facit illud Ananiæ ad Paulum, Act. 22. Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Domini. Item illud Ga lath. 3. Oomnes uos filij Dei estis, q̄ credidistis Chri sto Iesu. Nam quicunque baptizati estis, Christum induistis.

Nec existimandum est, nisi q̄ Deus lauet nos per baptismum officio ministrorum Ecclesiæ, & peccata nostra ita auferat. Ad hoc enim cōsecratus est baptis mus, ut uidelicet sit medium instrumētum, per quod Deus officio ministrantium in Ecclesia operetur &

perficiat nostram salutem. Sunt enim Dei omnia, cum uerbum gratiæ, tum sacramenta. Et quidam certi homines ministrant ea in Ecclesia, aliena uidelicet, non sua. Quare magna dignitas est uerbi & sacramentorum, & magna utilitas, si à credentibus uel audiatur uerbum, uel percipiantur sacramenta. Huc facit illud ad Ephe. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum dedit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et irreprehensibilis. Et Petrus incidens in baptismi mentionem, testatur illo nos saluos fieri, quo, inquiens cõtinuo, non sordes carnis deponuntur, sed conscientia bene respondet apud Deũ, per resurrectionẽ Iesu Christi à mortuis. Qui est ad dexteram Dei, deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes efficeremur. Profectus in cœlũ, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus. 1. Pet. 3. Cæterum, de allegoria baptismi, lege quæ Paulus scribit Rom. 6. Significat .n. ueteris naturæ abolitionẽ, ut in noua uita ambulemus, donec ad æternæ uitæ gloriam perueniamus, in qua Christus est, nostra iusticia, salus & æterna uita.

De dominica cœna.

Sicut remißionis peccati signum, tum adoptionis nostræ est baptismus, ita sacramentum corporis & sanguinis

sanguinis Christi testatur remißionem peccati, per quã fit adoptio, semper durare in Ecclesia. Ad hæc, nos perpetuo manere filios Dei, modo fidem retineamus. Cõstat enim huius sacramenti usu, quòd etiamsi lapsi aliquo casu aut infirmitate fuerimus, nõ tamen irritam fieri seu euacuari promißionem remißionis peccati, nec amitti cõtinuo adoptionem, modo libeat nobis, ut dixi, in fide gratiæ permanere, & reuerti iterum per conuersionem nostri ad Deum. Idcirco enim in hoc corporis et sanguinis Christi sacramento, cuius usum conueniebat esse quotidianum, sicut uerbi Euangelij prædicationem, proponitur eadem promißio gratiæ & remißionis peccati, de qua agitur in baptismo.

Itaq; habemus duo consolantißima promißionis gratiæ signa. Baptismum, quo abluimus peccatum, et recipimur in filios dei. Eucharistiã aũt, quæ testatur remißionẽ peccati eandẽ semper durare in Ecclesia, hoc est, non remitti tantum originalia propter Christum his, qui credunt, sed & actuales & quotidianas culpas. Quanq̃ aũt baptismus quoq; sit perpetuum signũ remißionis peccati, & testatur omnia delicta remitti ꝑ Christũ his, qui credũt in eũ, etiamsi in aliquo deficiant, aut sint in grauia quædam crimina lapsi, tamen ita placuit Deo, nos illo quoq; corporis & sanguinis Christi sacramento copiose consolari & mu-

nire cōtrà quaslibet periculosas certationes, & præsertim ne lapsi desperemus de gratia. Quod alioqui quàm pronum sit, quis nescit? Ne ergo aliquando cogitēt lapsi, sibi deinceps nullam peccati remißionem apud Deum reliquam esse, se amplius non esse Dei filios, frustra esse, q̃ nouam uitæ pœnitentiā instituāt, prohibet ipsa Eucharistia, reuocās nos ad eandē promißionū gratiæ fidē, ad quā p baptismum uocamur.

Itaq; sentio huius sacramenti usum potißimum ad lapsos pertinere, eos dico, qui post recōciliationem, quæ fit baptismo, forte iterū in grauia aliqua uicia, peccata, scelera, trāsgreßiones reciderūt. Quos peccati terrores crudeli desperatione enecare possent, et præcipitare in sempiternam condemnationem, uel etiam in eum errorem protrudere, in quo existimarēt iteratam pœnitentiā sibi nihil prodesse coram Deo. Quis nescit enim, huiusmodi tentationibus cor hominis peccatoris frequenter pulsari, ut ne dicam lapsi? Ne igitur quid huiusmodi fiat, siue admittatur à nobis, uetat ordinatus ille & præceptus usus sacramenti dominicæ cœnæ in ecclesia Christi, in qua eadē peccati remißio per gratiam Dei, & ea perpetua propter Christum, durat. Non sunt autem rari lapsus iustorum, imò quis nescit quotidianos esse, uel optimorum in Ecclesia? Ideo dixi prodesse, si huius sacramenti usus quotidianus esset, aut certe creber & frequentior

quentior, quàm est apud multos, q nec salutis suæ rationem habere uidentur, & dona Dei aspernari. Nemo tamen cogi ad illius usum debet, sed illum oportet liberũ omnibus relinquere, sicut etiam nemo cogitur ad baptismi susceptionem. Inuitari autem à doctoribus Euangelij homines debent, ut promptius & frequentius ueniant ad Eucharistiæ perceptionem, propositis consolationibus et promissionibus Euangelij. Imprimis, si qui periculosius fuerint lapsi, in quibus metuendum, ne admittant desperationem, aut se tradant in operationem omnis iniquitatis.

Ac uideri potest, quòd hoc sacramentum obtinuerit apud ueteres Eucharistiæ nomẽ in Ecclesia, quòd frequẽtes essent quidam, qui in illius usu gratias agebant Deo, memoria redemptionis, quæ est omniũ per Christum, non utiq; illi tantum, qui stare uidebantur, sed uel maxime, qui lapsi fuissent. Siue hoc nomen inditum est illi sacramento propter mandatum Christi, Hoc facite in mei commemorationem. Quo similiter reuocat nobis in memoriam beneficium suæ crucis et mortis pro nobis, requirens à nobis fidem & gratiarum actionem, siue stare uideamur, siue cõstet lapsos esse. Hoc enim cũ oẽs rectissime faciant, tamen peculiari quadam & summa necessitate lapsi iterum reuersi et pœnitentiam agentes. Deniq;, quia exercitia hæc habet, eius usus est potius apud adultos, quàm in

*fiantes, & magis necessarius his, qui lapsi sunt, quàm qui adhuc stare uidentur.*

*Est autem maxime clarum ex descriptione huius sacramẽti apud* Euangelistas, *q debeat esse eius usus, & quæ fides ad illũ adferri, maxime ex ijs, quæ* Paulus *scribit* 1. Corinth. 11. *quid sit digne aut indigne mãducare.* Nihil *enim obscure docemur in sacramento hoc dominicæ cœnæ de fide incarnati filij* Dei, *& traditi pro peccatis nostris in mortem, cum* Christus *ita nobis loquatur:* Hoc *est corpus meum, & hic est sanguis meus, q effunditur pro uobis in remißionem peccatorum.* Ideo *non est satis utentibus hoc sacramento eam fidem adferre solum, quæ agnoscit & confitetur nobiscum ueritatẽ corporis & sanguinis* Christi, *in hoc sacramento esse, uerum etiam, qua credant filium dei* Christũ *nostri saluandi caußa factum esse uerum hominem, & pro redimendis nobis à peccato & æterna morte sanguinem suum effudisse.*

Quare *nec ambigere licet, te usu huius sacramenti accipere peccati remißionem & æternam uitam propter* Christum, *in quem credis, et hoc nomine illo sacramento uteris, quia per illius usum inuitat te ad tantæ gratiæ & remißionis peccati fiduciã.* Hæc *igitur fides etiam discernit digne manducantes à diuersis illis, qui manducant indigne, uidelicet incredulis uerbo promißionis, siue qui opinantur illius usum ex opere*

opere operato sibi prodesse, aut qui fingunt deo se oblationē & sacrificium facere, cū sacramento utūtur.

Haec hactenus de usu signorum, quae usitate uocāt sacramenta. Sunt aūt monitoria promißionum Euangelij, & testimonia collatae in nos gratiae Dei. Ideo reuocant nobis in memoriam promißionē remißionis peccati & aeternae uitae, & eiusdem fidem à nobis requirunt. Et, quod maximum est, testantur promißionem illam gratiae, iusticiae & aeternae uitae ad nos pertinere, qui credimus in Christum, & per fidem nominis Christi sacramentis utimur. Si qui uero praeterea de Eucharistiae usu plura requirunt, illi repetant ea, quae suprà scripsi de prophanata missa, & in quodam alio opere, de poenitētia, copiosius de sacramentis, & de infantium baptismo scripsi.

De operatione & effectibus spiritus sancti.

Dictum est suprà nonnihil de uirtute & praecipuis effectibus spiritus sancti, sed nihil uetat ijsdē de rebus seorsim paulo copiosius disserere, ita, ut seorsim de sacramentis institui dicere. Paulus itaque loquens de uirtute, operatione & effectibus spiritus sancti, dicit nos saluari per lauacrum renouationis spiritus sancti, nam duo lauacra facit, prius externū, quod est, baptismi, & posterius internū, qđ est operationis spiritus sancti in nobis. Prius lauacrum habet

hominès administratores in Ecclesia, posterius nemi nem nisi deum. Nemo enim intus lauit nos à sordibus peccati, nisi Deus, aut certe Deus & homo, Christus Iesus. Ille enim, quia est mediator gratiæ & salutis, non solum impetrat nobis peccati remißionē sanguine suo, quem pro nobis effudit, sed etiam intus renouat & purificat corda nostra. Quapropter etiam dicitur baptizare spiritu sancto, ut Matth 3. &c. Quod etiam sibi sumit, ut pertinens ad officiū suum. Act. 1. De cœlo enim missurus spiritum sanctum, dixit: Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Ac disputata sunt quædam à me & in superioribus, quomodo Christi est, ecclesiam electorum suorum gubernare spiritu sancto.

Proinde Paulus de operatione & effectibus spiritus sancti loquens, uocat hoc, quicquid est, lauacrum renouationis spiritus sancti, quod ab inquinamentis uiciorum, ita ut realiter auferantur à nobis, non lauamur, nisi sola spiritus sancti uirtute, qua potens est in nobis Deus pater, & redemptor humani generis Christus Iesus. Baptismum uocat lauacrum regenerationis, quia abluens peccata nostra, ut gratiæ signū, efficit nos filios Dei. Virtutem uero spiritus sancti, adpellat lauacrum renouatiōis, quod est nobis autor internæ nouitatis huius, qua corda nostra à sordibus

peccati

peccati repurgantur. Nam eius est, corda nostra renouare, & eam totius uitæ nouitatem operari in nobis, qua Deum spiritu & ueritate adoremus & glorificemus. Siquidem efficit nos digne Deo ambulare, cum summa uoluptate & dulcedine cordis mandata eius facere, qui futuri sumus hæredes æternæ uitæ, cuius sunt multa testimonia in scripturis.

Quanquam autem hæc collatio uideatur à Paulo instituta esse per occasionẽ, tamẽ tribuẽs spũi sancto, q̃ in morem cuiusdam lauacri nos renouet ac repurget à sordibus uiciorum, allusit haud dubie ad ea scripturæ testimonia, in qbus emũdatio illa, q̃ fit spũ sancto, dicitur fieri quadam mũda aqua, & spiritus ipse dicitur effundi, & uocatur mũda aqua. Translaticie enim loquitur scriptura, uim repurgantem spiritus sancti aquam dicens, seu efficatiam illam, qua steriles in omni opere bono fœcundat, ut fructificemus per pietatem multarum bonarum & honestarum actionum & operationũ, sicut in illo Esaiæ 44. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam, & effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meã super germina tua, & succrescent inter herbas, & quasi salices iuxta riuos aquarum &c.

Ex hoc testimonio clarum est, quòd aquas illas, quas Dominus promittit, mox dicit suum spiritum, quo uidelicet multipliciter efficax est in nobis. Et in

morem aquæ, aut lauit nos à peccato, aut fœcundat, ut largiter fructificemus bene operantes. Item, quòd ipsam bonorum sitim hoc spiritu restinguit, & illo in tentationis æstu nos recreat, sicut etiam docemur illo Ezech. 36. Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab omnibus idolis uestris mundabo uos: & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponã in medio uestri: & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum: & spiritum meũ ponam in medio uestri, et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.

Satis liquet ex his, quòd quicquid est Christianæ nouitatis, primum internæ, deinde, si quid boni inde proficiscitur, id totum tribui operationi & efficatiæ intra nos spiritus sancti. Quod etiam agnoscunt homines pij, & inuocant Deum pro auxilio spiritus, & adiuti gratias illi agunt, nam illi sunt omnes effectus spiritus in nobis, quòd uidelicet diuinarum oĩm rerum, quas animalis homo non percipit, facit nos intelligentes. Ideo efficit nos auidos uerbi Dei, ut illi, cognito ex audito, nihil hæsitante fide adhæreamus, & per consequens, Deum nobis promittamus propicium, & beneuolentißimum patrem, per Christum Iesum. Mox etiam confiteamur, laudemus, prædicemus et gratias agamus in omnibus, quæ gloriose operatus

operatus est, tum quòd saluos nos fecit per unigeniti tum filium Christũ, cuius fiducia consistimus in periculis mundi huius, & mala quæq; perferimus. Effecti in summa noui homines, ut qui antea auari, ambitiosi, raptores, iniqui, & nostra tantũ quærebamus, continuo mutati, & abnegatis nobismetipsis, quæramus ea quæ sunt aliorũ, sinceram dilectionẽ in cibus custodientes, & sequentes, ut scribitur Phil. 2.

Hæc itaque in omnibus, qui Christi sunt, spiritus ille sanctus operatur, quem quisquis non habet, ut neque Christi est, ita nõ potest saluus fieri. Et quoniam agit in nobis ac perficit omnia, per quæ æternam salutem adipiscimur et obtinemus, ideo Christus Ioan. 4. de illo spiritu inquit: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Item capite 7. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluẽt aquæ uiuæ. Hoc enim, inquit Ioãnes, dixit de spiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum. Quanquam hæc non agnoscunt, qui uires liberi arbitrij prædicant, qui quantum errent, ex tota doctrina de gratia dijudicari potest. Et attigi nonnihil seorsim istorum errores & impietates paulum suprà. Sed plura de spiritus efficatia, & illius uirtute intra nos nihil attinet in præsentia dicere, quum ex his satis intelligatur, q̃ nulla uere Christiana uir-

tus est, cuius non sit ipse autor atq; effector in nobis. Ideóque illius admonendæ sunt Ecclesiæ, ne quid de suis uiribus præsumant, aut arrogantius de iusticijs suis sentiant, sed orent in omnibus ignosci sibi, cum nihil satis faciant, & rogent sibi auxilium spiritus mitti, & subinde ualidius robur conferri, quo uoluntatē Dei melius faciant. Rogent autem hunc spiritum per Christum Iesum. Neq; enim p aliud medium datur. Inde etiam sequitur in scripto Pauli de illo spiritu.

QVEM EFFVDIT IN NOS OPVLENTE PER IESVM CHRISTVM SALVATOREM NOSTRVM:

Vt enim mediatorem promißionum gratiæ habeamus Christum Iesum, ita ipsius quoq; spiritus sancti, cuius uirtute, ut dictum est, efficaces efficit in nobis gratiæ promißiones. Ioan. 14. Paracletus autem spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunque dixi uobis.

Creat igitur in cordibus nostris assensum, quo credamus his omnibus, quæ in Euangelio sunt prædicata, unde nascitur fiducia rerum accipiendarum, quæ per Euangelij promißiones offeruntur. Simul autem & alias Christianas uirtutes operatur. Sed de effectibus spiritus sancti antea satis dictum est.

Quomodo autem ille spiritus & à Christo mittatur,

tur, ut à domino regni gratiæ, aliàs quoq; dictum est. Habet autem in præcipuo opere officij sui Christi gloriam per Euangeliū illustrare, & arguere mundum de peccato, quòd non credit in Christum. Ioan. 15. Cum uenerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Et 16. Arguet mundum de peccato, quòd non crediderunt in me.

VT IVSTIFICATI GRATIA IPSIVS HAEREDES SIMVS SECVNDVM SPEM VITAE AETERNAE. CERTVS SERMO EST.

Hic locus admonet nos de illis fidei obiectis, de qbus suprà scripsi, & ostendi tria præcipua seu principalia esse. Quæ omnia negligunt papistæ in fidei prædicatione. Itaq; reuocat nobis in memoriā Euangelij promißiones, quas ubi attingunt papistæ? Deinde significat gratuitas esse illas promißiones, quia uocat gratiam Dei. Hanc uero negant gratuitam, q per opera sua gratiam & iustificationem mereri docent. Denique & clare innuit, per Christum mediatorem nos iustificari. Valde igitur impiū est & impudens, si qs suas iusticias faciat preciū p peccato et morte. Tria fidei obiecta.

Iam disce ex hoc loco, gratiæ adpellatione, non significari habitus infusos seu qualitates in nobis, hoc est, nostras uirtutes, quanquam fatearis esse dona infusa spiritus sancti, & nihil ex illis uirtutibus tibi adscribas, sed gratuitam beneficentiam alieni fauoris,

uidelicet redemptoris Iesu Christi, esseq; beneplacitum diuinæ misericordiæ extra nos, quã consequitur peccati remißio, imputatio iusticiæ & æterna uita.

De spe non ex meritis.

Liquet etiam ex hoc loco spei naturam esse, non niti nostra iusticia aut nostris meritis, sed in fiducia diuinæ gratiæ & beneficiorũ Domini nostri Iesu Christi, nam iustificatis per gratiã tribuit apostolus eam spem, quæ est quædam firma & certa expectatio futuræ beatitudinis & æternæ uitæ, sicut definitur ad Roman. 8. Nosipsi primitias spiritus habentes, intra nosipsos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus &c.

Cum igitur sperandum sit, secundum quod Deus pro amplitudine bonitatis & misericordiæ suæ promittit, non pro meritis carnalium iusticiarum nostrarum, hoc uanius est & audacius atque sceleratius sophistarum commentũ, & Lombardi, qui contrarium definiunt. Nam Lombardus, quem scholastici theologi magistrũ habent, in 3. sentent. dist. 36. ita definit spem: Est enim, inquit, spes certa expectatio futuræ beatitudinis, ueniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus. Vel ipsam spem, quam natura præit charitas, uel rem speratam, id est, beatitudinem æternã. Sine meritis enim aliquid sperare, non est spes, sed præsumptio dici potest. Hæc ille.

Quasi

Quasi hæc non sit sceleratißima præsumptio, niti fiducia propriæ innocentiæ, & iusticiæ priuatæ coram Deo, in cuius conspectu nemo prorsus est inculpabilis & innocens. Sed hæc est rationis theologia, quam pro fundamento habet Lombardus & scholastici, nam hominum more iudicant de Deo, quasi ille neminem adprobet, nisi secundum quod habeat priuatas iusticias & opera meritoria, ut uocant, cum ille plane nulli poßit fauere, nisi pro immensa illa bonitate, scilicet misericordiæ suæ, qua gratis nobis peccatoribus ignoscit propter Christum.

Quid igitur sentiendum sit de hoc impio & blasphemo commento doctrinæ sophistarum de spe, poterimus ex tota illa doctrina de gratia, fide & iustificatione, in suprà scriptis sæpius explicata, dijudicare, nam simile est illi somnio, quo formale fidei faciũt fiduciam operum legis, cum hac nihil uanius, nihil æque impium esse queat. Hoc enim est pharisaicæ iusticiæ fidere, & quod longe deterius est, misericordiæ Dei, & propiciatori Christo Iesu detrahere: Nos ergo ita potius statuamus, quemadmodum formale fidei didicimus esse ipsam fiduciã promißionis gratiæ, & redemptoris Christi, ita intelligamus ex eadem fiducia gratiæ & Christi spem prouenire, & ex ea sola.

Huc ualent & illa apostolorum testimonia, Pri-

mum Paulus nō dicit: Fiducia meritorum nostrorum gloriamur in spe futuræ fœlicitatis, sed: Iustificati ex fide, (gratiæ nimirum & beneficiorum Iesu Christi) gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Et Petrus non dissimiliter detrahit fiduciæ meriti operum nostrorum, & reuocat nos ad fiduciā beneficiorum gratiæ, & seruatoris Iesu Christi, ubi hæc de spe scribit, 1. Pet. 1. Secundum magnam misericordiam suam regenuit nos in spem uiuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, ad hæreditatem incorruptibilē, & incontaminatā & immarcessibilē cōseruatā in cœlis, pro uobis, q potentia dei custodimini, per fidem, ad salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

Hoc igitur est blasphemiæ pharisaicæ commentum, quod iubet nos fiducia meritorū nostrorum sperare fœlicitatē æternæ uitæ, & nihil nisi impia præsumptio & uanitas, quæ necessario conuertetur tandem in desperationem, quādo homini immundicia iusticiarum suarum fuerit reuelata, quam antea ignorauit, & spem salutis in eam posuit. Nec potest unq̄ satis explicari, quāta mala hæc impia persuasio fiduciæ humanæ iusticiæ inuexerit in Christianum orbē, nam gloriam gratiæ Dei & redemptoris Iesu Christi obscurauit, & ignaros fidei in Deum, quos pertraxit in hanc impiam persuasionem, fœlicitate æternæ uitæ priuauit.

Esto

*Esto igitur, ut nunc secure fidant hypocritæ meritis operum suorum, tamen in serio examine conscientiarum obruētur desperatione. Sed qui Deum timēt, intelligentes Euāgelij gratiæ, simul postquam hoc cognouerunt, conferunt se ad gratiam, desperantes de omnibus iusticijs suis, & dicentes cum propheta Dauid: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ac sunt securi illi ac certi, quòd pro gratiæ amplitudine ac bonitate, & propter Christum exaudiuntur. Istis enim loquitur Deus in promißione. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

*Sicut ergo prolixe in hoc toto commentario docuimus, formale fidei & iusticiæ Christianæ non esse nostra merita, aut iusticias nostras, sed fiduciam promißionum gratiæ & redemptoris Iesu Christi, ita de ipsa quoque spe sentiamus, ut quæ coniuncta est fidei, & simul cum illa oritur. Proposita enim fiducia remißionis peccati et æternæ uitæ, ut fit per uerbum promißionis, & illa adprehensa per fidem à nobis, simul speramus, nisi non credimus, & fidem promißis Dei nullā habemus. Oportet igitur & de spe sentire, & pronunciare, q, ex solius gratiæ promißionum Euangelij fiducia oriatur, et q, sine omnibus meritis iusticiæ humanæ concipienda est spes æternæ uitæ. Concipienda autem fiducia gratiæ promissæ in Euan*

gelio, & Iesu Christi, qui est iustificator & redemptor noster, imò ipsißima iusticia, redemptio, uita & salus nostra.

Ex iam dictis intelligi præterea potest, hoc quoq; inane & friuolum commentum esse, q, uidelicet charitas dicitur natura ipsam spem præcedere. Quomodo enim diligas eũ, de quo antea nõ aliquid boni promittas tibi? Itaq; ut nemo amare potest Deum, quem non sciat antea, & intelligat per fidem sibi reconciliatum & placatum esse, ita uere & ex animo diligere Deum, neq; quisquam potest, nisi antea securus ac certus promittat sibi ac speret fiducia reconciliati et placati Dei, immortalis uitæ gloriam.

Illud non magni refert, q, charitas dicitur rem speratam præcedere, hoc est, beatitudinem æternam, ut Lombardus interpretatur, nisi sentias cum sophistis, qui charitatem faciunt caußam, propter quam uita æterna homini donetur. Sic enim loquuntur de legis operibus, quæ quisquis in gratia faciat, id est, p charitatem, is mereatur æternæ uitæ gloriam, & quidem de cõdigno. Et hæc blasphemia beneficiorum gratiæ docetur in papisticis Ecclesiis, & summa impietas. Neq; pœnitet quisq̃, tametsi admonitus, ac ne intelligit quidẽ aliqs inter eos, q, nihil quàm meras operũ hypocrises, & ficticias iusticias prædicant ac docẽt. Quod hic mihi libuit, & per occasionem doctrinæ

de

de spe, retegere, qa refert nosse ac plane intelligere, quid aduersarij nostri de dogmatibus fidei sentiant. Nā odisse oportet, & execrari ac fugere, si beneficio cœlestis gratiæ & redemptoris Iesu Christi uolumus ac speramus salui fieri.

ET DE HIS VOLO TE AFFIRMARE, VT QVI CREDVNT DEO, SOLLICITI SINT BONIS OPERIBVS PRAECELLERE: HAEC SVNT ENIM BONA ET VTILIA HOMINIBVS.

Vides, de quibus rebus uelit doceri Ecclesias Paulus, & in quem finem: nam de gratiæ doctrina sentit ac loqtur, qua excitatur in nobis spes, quæ est firma quædam securitas & certitudo æternæ uitæ. Neque enim fallit aut mentitur Deus, & per doctrinam gratiæ non aliud agit, nisi ut fiduciam bonitatis & misericordiæ suæ habentes, saluos faciat à peccato & ab æterna morte.

Iam per illam gratiæ doctrinam potest demum impetrari ab his, qui crediderunt in eam, nouitas uitæ Christiana. Nec potest antea amari Deus aut proximus, nisi p fidē gratiæ antea didiceris reconciliatum esse tibi Deū. Similiter nullæ iusticiæ tuæ possunt placere Deo, nisi ex hac gratiæ fide proficiscantur & fiant, ut suprà in capite secundo prolixe docui. Tantum abest, ut placeas Deo, si fiducia meritorum tuo-

rum promittas tibi, ac speres beatitudinem æternã.

Notabis præterea ex hoc loco, q̃ dogmatũ Christianorum Paulus requirit cõstantem assertorem, qa inquit: De his uolo te affirmare. Quid efficiat enim, qui ipse ambigat de doctrina, num ei fides sit habenda, & secure nitendum ea, quòd placeas deo, si secundum hoc uerbum eius, quod tibi proponit, uiuas & agas atq; patiaris omnia? Ac liquet etiã ex his, quòd in Ecclesia Dei præter uerbum Dei doceri ac prædicari non debet. Quomodo enim erit assertor seu affirmator, nisi qui nouit se non hominum doctrinas, sed solum uerbum Dei prædicare & docere? Quid hic facient, qui uanitate doctrinarum hominum Ecclesias replent?

STVLTAS AVTEM QVAESTIONES ET GENEALOGIAS, ET CONTENTIONES, ET PVGNAS LEGIS VITABIS. SVNT ENIM INVTILES ET VANAE.

In hunc modum Paulus in utraq; ad Timotheum uarie admonet nos, ut odiosas illas ac uanas, nihili rerum & inutilium contentiones ac pugnas fugiamus: Lege 1. Timoth. 6: & 2. Timoth. 2. &c.

Non dißimilis ratio est, cum rixatur de uanitate traditionum humanarum in Ecclesia, & sana doctrina interim omittitur, q̃ est per fidem & dilectionẽ in Christo Iesu. Quanquam istis traditionibus hoĩm,

quibus

quibus affingitur, quòd sint necessarius cultus dei, et quòd mereantur homini gratiã & remißionem peccatorum, oportet resistere, & hanc gloriam detrahere, quod suprà pro uiribus feci in capite secundo.

HAERETICVM HOMINEM POST VNAM ET ALTERAM CORREPTIONEM VITABIS, SCIENS, QVÒD TALIS EVERSVS EST, ET DELINQVIT PROPRIO IVDICIO CONDEMNATVS.

Hæreticum hominem adpellat eum, qui impijs opinionibus & doctrinis est factiosus in Ecclesia Christi, qui suæ sententiæ nimium inhæret, & suis placitis nimium fidit, adeo, ut nulli cedat, & à nemine se abstrahi ab impia sententia patiatur, quanquam reuictus de errore & impietate opinionis. In summa, qui sentit pertinaciter contra dogmata Christiana, & Christianum se simulans, connititur alios in suas impias opiniones pertrahere. Quales hæretici iamdiu fuerunt Pontifices Romani & episcopi, qui impias opiniones eorum probauerunt, uel adhuc probant, & sanæ doctrinæ Euangelij Domini nostri Iesu Christi cedere nolunt. De hæreticis & corripiendis illis ac iudicandis:

Atq; istos suprà meo iudicio notauit, in capite 1. ubi uetat, ne sit præfractus episcopus, hoc est, morosus, durus, pertinax, inflexibilis, & suarum opinionum nimium tenax, qui tunc nimirum plus noxius est

Ecclesiæ, & minus ferendus in ea, quando impia dogmata defendit, q̃ præsertim pugnant doctrinæ Euangelij & fidei in Christum. Siue, cum legibus onerat Ecclesias, quia in illas nullum tale ius habet. Ac magis impius est, si oneret Ecclesias huiusmodi legibus, quæ sine peccato seruari non possunt. Quod facere audacter iam diu Pontifices Romanos, suprà aliquot exemplis declaraui.

Non tamen sunt comburendi tales hæretici, ac ne quidem pro hæreticis haberi debent, nisi antea admoniti, & reuicti de errore & impietate opinionis & doctrinæ, retractationem suæ impiæ sententiæ & impij instituti facere, & mutare impia dogmata recusent. Tunc enim puniri possunt, prout magistratus iudicant, ac placet ipsis. Ac ne sic quidem possunt eos mortis supplicio afficere, nisi seditiosos motus in Republica ciuili excitent suis impijs doctrinis. Nam iudicium de puniendis hæreticis spirituale est, & pertinet ad iudicium Christi. Itaq; & Paulus præcipit, ut tales semel atq; iterum admoneãtur seu corripiantur, qui si impia consilia, instituta & dogmata mutare nolunt, & præfracti esse potius quàm obtemperare Ecclesiæ & rectis monitis uolunt, uitentur ac fugiantur. Sed etsi ulli hæretici comburendi fuissent, aut comburi deberent, de papistis & monachis debuisset ac deberet hoc supplicium sumi.

Pertinet

Pertinet ad officium ciuilis magistratus, cohibere factiosos istos, qui impia dogmata ferunt in Ecclesia, & pertinaciter defendunt ea, idq; magis facere debent, ne seditiosi motus excitentur per eos, qui impias doctrinas in Ecclesia spargunt. Quinetiam, si admoneant tales, & ipsi parere imperio nolint, iam licebit, ut cum factiosis in Rempublicam & inter seditiosos supplicio capitis afficiantur, sicut hoc tempore aliquot in locis animaduersum est in anabaptistas. Sed magistratus tamen uiderint, ut recte iudicent his de rebus, ne ipsi impias opiniones & impios cultus contra Deum & Ecclesiam Iesu Christi defendant. Quod factum est sæpe, & usq; hodie fit à multis. Nec desunt, qui obijciant nobis, quòd impie cedere de nostra sententia nolimus, & iudicio magistratus subijci & illi parere. At nos reddimus dogmatum nostrorũ Christianorum rationem, quam quia quidam non audiunt, sed non contemnunt, ita consolamur nos, quòd scimus Deo magis obediendum esse, quàm hominibus. Et gaudemus in eorum numero esse & haberi, quos Deus dignatur pro nomine Iesu Christi contumeliam pati. Nam omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. secunda Timoth. tertio.

DISCANT AVTEM ET NOSTRI BONIS OPERIBVS PRAECELLERE AD VSVS NECESSARIOS, VT NONSINT SINE FRVCTV.

*His, meo iudicio, hoc postremo loco iubet eleemosynas precari & colligere ad necessarios usus pauperum. Reliqua huius epistolæ non indigent expositione.*

*Sit soli Deo gloria, Ecclesiæ pax, unitas fidei, & concordiæ studium.*

*Verbum Dei nostri florebit in æternum.*

FINIS.

FRANCOFVRTI EX
Officina Petri Brubacchij
Mense Martio.
ANNO M. D. XLI.





